






— Cecidit
vetus, altera
ſurgit,
Et talem Me-
cœnatem am-
bit.
1715.
Riuals Delineavit
Bojan Sculpsit toloſæ

ATOMISMUS

DEMONSTRATUS ET VINDICATUS AB IMPUGNATIONIBUS PHILOSOPHICO-THEOLOGICIS

REVERENDI ADMODUM PATRIS

FRANCISCI PALANCO,

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORIS, Supremi S. Inquisitionis Censoris ex munere, Archiepiscopatûs Toletani Synodalis Examinatoris, Ex-Vicarii Generalis, electi nuper Panamensis Episcopi, semel pridem & nunc iterum Ordinis Minimorum in utraque Castella Provincialis.

Authore R. P. JOANNE SAGUENS, *Religioso sacri ejusdem Ordinis Minimorum alumno, & Provinciali per Aquitaniam.*







TOLOSÆ,
Ex Typis DOMINICI DESCLASSAN, Typographi & Bibliopolæ, prope Ecclesiam sancti Romani.


M. DCC. XV.
CUM PERMISSU SUPERIORUM.



CLARISSIMO VIRO
ET EXIMIO DOCTORI
DOMINO SUO
AC DIGNISSIMO MECOENATI
DON D. MATTHÆO ZAPATA,
FUNDATORI ET PRÆSIDI SOCIETATIS
Regiæ Medico-Chymicæ Hispalensis, &c.

Frater P. JOANNES SAGUENS,
Minimus,

FELICITATEM.



RATIOSAM rem esse hominem, si homo est, *fuit olim pulchre ac vere pronunciatum: adeò in hac multitudine hominum propemodùm infinita res rara homo est, qui nominis illius impleat potestatem; & num eapropter erat Philosophus, qui accensâ lucernâ hominem in foro frequentissimo quæreret? An invenerit nescio; at scio meæ bonæ sortis id esse, ut sine facis ullius ope invenerim & ubi non quærerem, & quandò invenire jam desperassem.*

Quare nemo miretur, si qua tonantissima voce potero;

inclamatum à me audierit geminatumque verbum hoc inveni, inveni: *geminavit illud atque inclamavit quondam Pythagoras ob Veritatem problematis unius geometrici adinventam; neque noluit in signum lætitiæ ac gratitudinis suæ Diis hecatomben dicare. An ego mea jubila tacebo, an avara manu victimas parabo Superis, quando non unus radius, sed Sol integer veritatis illuxit mihi nuper in homine, cujus mens sapit omnes & alias non sapit, quàm illius delicias.*

Homo est, quem credo equidem nec vana fides, *ortum è generoso purpureoque sanguine Mecœnatis illius, quem Historia Romana celebrat* atavis editum Regibus, *Regesque atavos suâ literarum omnium copia, suaque in viros Literatos copiosa munificentia superantem. Is pudore suffundit tot Mecœnates degeneres hodiernos, qui siquidem solent* tantùm admirari, tantùm laudare disertos, ut pueri Junonis avem: *si fortè admittunt doctos, non amant, si fortè amant, non juvant: aut si fortè juvant, venari, urgere, præmiari non norunt, ut mos erat apud illum Romanum ac vere Regium Mecœnatem.*

Et jam, VIR CLARISSIME, *ut non diutiùs loquar ænigmata, Tu es Mecœnas ille, Tu es Homo ille, quem æque feliciter ac inexpectatò inveni: & cui, nisi meam hanc operam nuncuparem, illam nomini Tuo eriperem, tot titulis veriùs Tuam, Tuis persuasionibus cœptam, Tuis luminibus auctam, Tuis liberalitatibus absolutam. Concepit peperitque illam Tuus ille ipse Veritatis Zelus, quo Philosophiam recentem Atomisticam ex Galliis in Hispanias peregre profectam, non diu est, Tuis in ædibus excipere, fovere, amplexari, præ omnibus ambiisti. Tum illam per effusas sapientiæ tuæ divitias ita magnifice amixisti, ita splendide adornasti, ut Te præeunte visa in publico rapuerit illico in admirationem sui nobiliora vestræ inclytæ Gentis ingenia: quare decreverunt sese illi, repudiatâ vetulâ*

Peripateticâ, per solemnes & communes nuptias copulare.

Hoc certe unum, quod Veritati decus contulisti, Tuum Posteritati nomen ita commendavit, ut quamvis non præstitisses alia præclara, & quæ non mediocriter multa sunt, vitæ tuæ ac doctrinæ facinora, factus sis immortalis. Hinc illorum recensio evasit Oratori Tuo superflua; statueram tamen, fateor, non tacere illa; sed modestia tua, quæ virgo est, fuitque nimis præsaga futuri, *per jussionem longe anticipatam indixit voluntati meæ silentium. Ego igitur, qui totus ab ore Tuo nutuque pendeo, conticescam; at conticuisse me Tibi quid proderit,* VIR MODESTISSIME? *nihil plane: si fama mille faucibus adaperta de Te jam diu tota in Europa resonuit.*

Illa Tuam ubique clamat rebus in iatricis ac pyreticis præsertim experientiam, quæ imperare febribus etiamque inflammatissimis videatur: hinc ad Te accurritur, ut ait, undique pro hujusmodi plerisque insanabilibus morbis, quibus ita frequenter & ita occulte mederis, ut Tibi esse indulta desuper crederetur vis quædam vivifica Mosaïci serpentis illius ænei, quem cùm percussi aspicerent, sanabantur: *crederetur saltem à nescientibus quàm apertissima Tibi sint, quæ cæteris sunt occultissima, Pyrotechnicæ artis arcana omnia, & quàm mire Natura per artem illam providerit remediis multis morborum, qui antiquitùs apud Galenum & Hippocratem Chymica destitutos pro immedicabilibus censebantur. Oh quàm feliciora sunt hæc tempora, quæ feracia sunt Doctorum Medico-Chimicorum, è quorum numero inter præstantissimos unus es, aut primus!*

Hæc sunt, quæ Te invito, de Te, famâ referente, audivi: atque ut à se omnem amoveret suspicionem adulationis, per singulorum nomina recensebat multos Nobiles & Grandes, multos Sæculi & Ecclesiæ Principes, qui post Numen, per quod vivimus, movemur &

sumus, *Tibi dierum suorum longitudinem acceptam referant. Cæteros autem Ordinis minùs conspicui non aliter, quàm per myriades numerabas; & eo, quem conjeci, fine ut in te præberet Mundo spectaculum hominis unius nati pro multis millibus ad humanas vitæ sanioris atque longioris utilitates.*


Rumorem deinde sparsit celeberrima illius Societatis Regiæ Medico-Chymicæ, quæ te inspirante, te agente, te instante in florentissima Urbe Hispali fuit authenticè stabilita. Atque hîc saltem, Eximie Doctor, *aut calamo meo facies potestatem scribendi, aut illum experieris rebellantem imperatis tuis & publicantem, vel me nolente, non potuisse tantæ molis, tantæ novitatis opus sive tam consultè dirigi, nisi per consilia divinitus inspirata, sive tam prosperè consummari, nisi per alta & irrequieta meditamina hominis, qui supremâ valeret æstimatione apud Doctos, & cujus sermo apud Magnates fieret* non in persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione spiritûs & virtutis.

Hinc si prospicitur in futurum, quot sunt viri nobiles & docti, tuam in hanc Societatem verè Regiam per multa labentia sæcula conventuri, tot erunt ora quæ te loquentur, tot erunt manus quæ sculpent aut exarabunt æra & saxa, ut te loquantur. Adhuc seros eorum Nepotes audio, qui si quid edisserunt, si quid tentant, si quid consultant, si quid rerum suarum tractant in occursibus fortuitis, aut in cœtibus condictis, semper & ubique ZAPATAM *nominant. Parum est: si quid eorum theoria vel praxi Medico-Chymica offertur rarum & energicum ad ægritudinis alicujus medelam, audio tuum esse, à te præventum, à te præmonitum: quoscunque suis remediis aut juvant aut sanant, tu es, aiunt, qui juvisti, tu es qui sanasti: sicque tibi jam vertitur in anticipatum honorem plures esse, quibus per inclytam Societatem tuam*

profuturus sis, quum vivere desieris, quàm quibus profueris, dum adhuc viveres.

Tandem vetita graviter mihi cùm fuerit omnis recensio, multòque graviùs interdicta omnis laudatio dotum, quæ te perficiunt & adornant, ecce obtempero, DOMINE COLENDISSIME, *nec tamen fortè obtemperaturus, nisi voci quæ dictum Abrahæ fuit,* Suspice cælum & numera stellas, si potes, *similem intus apud me aliam audiissem, quæ aiebat, Suspice hominem, & numera dotes ejus, si potes. Uti revera si è dotibus illis eloquerer tuam in doctrinis comprehensionem, integritatem tuam in moribus, in rebus agendis fidem, in affabulationibus comitatem, securitatem in amicitiis, quàm nulla sunt ista, si cum cæteris conferantur, quas providisti mihi esse occultas; sed quas sciendi animo ac desiderio propiùs intuendi brevì ad te, si Deus juverit, ut ad Salomonem alterum, proficiscar? Vale interim,* DILECTISSIME MECOENAS; *vive diu in terris, ac tum pro veritatis æstu, quo ardes, fruere in cælis Christo, qui dixit,* Ego sum veritas. *Hæc sunt vota quæ vovet & scribit Tolosa hac die 29. Decembris.* 1715.

Deditissimus & amantissimus servus ac cliens,
F. JONNES SAGUENS Minimus



PRÆFATIO

AD LECTOREM.

UNIVERSIS hominibus ingenitum hoc à Natura est, ut cujus indolis quisque fuerit, ejus cæteros esse præcaveat, quos in societatem admittit, ne videlicet morum dissensio vertat charum illius ac dulce decus in exosas amaritudines contentionum. Nec immeritò prima hæc est cura hominis ad convictum nati quærere similes sui, ad paria officia studiaque proclives & in eadem desideria conspirantes. Nulla sine pace dulcedo est vitæ: vel certè *quid hominibus ex iis rebus, quibus frui atque potiri student, vita pacifica dulcius est*? Hinc quando sors noverca jungit nos sociis feras ferreasque habentibus consuetudines, enitimur suadere illis aliquantulum mollitiei atque mansuetudinis, ut si nulla conjunctionis esse suavitas potest, saltem asperitas minuatur.

D. Greg. Nyss. or. 7. de beat.

Tum ut ad humanæ affabulationis delicias consonantia morum nihil non confert, ita illas nihil tam perturbat, quàm dissonantia opinionum. Hæc in ingeniis parit bella & lites, quæ non raro ad ima pectora illabuntur, & afferunt luem discordiæ in externa vitæ commercia transituræ. Hinc salva esse inter homines convivendi voluptas nequit, nisi per optabile fœdus indolis & mentis: hinc etiam si licet moribus exteris vim facere, per quam ad nostrorum instar temperentur, quomodo non licebit insurgere contra opiniones discor-

des

des ad eas noſtris judiciis ſubmittendas, ſi felicitas vitæ pendet magis ex conſenſione doctrinarum, quàm morum? An poterit quis nimis effervere ad cæteros in ſuas ſententias pertrahendos, quando nempe illas arbitrari debuerit veriores?

At qua via deprehendet arbitrari ſe debere illas pro verioribus? An non hujuſmodi eſſe arbitratur quas quiſque ſequitur? Bene eſt. Aut id deprehendendi norma nulla eſt, aut hæc eſt. Si quis poſt multas olei expenſas, poſt junctas cum eruditis viris neceſſitudines, poſt crebrò iteratas concertationes; ſi poſt hæc nullius ſibi conſcius aut lucri, aut faſtûs, aut præjudicii opinionem unam præ alia ſuadentis; ſi nihil omiſit ex omnibus, quæ ſibi audienda, legenda, meditanda, experienda, diſputanda ſibi eſſe putavit, ut ad veritatis intuitionem veniret, id eſſe verum quod ſibi videbitur, arbitretur: id prædicet ſuper tecta, id per vicos & plateas clamet, id typis vulget, id modis omnibus manifeſtet.

Verùm equidem adhuc in errore verſari poterit homo, qui hujus tam multiplicis diligentiæ curas omnes adhibuit pro merendo veritatis aſpectu; ſed quid hîc niſi humanum eſt? Etiam dum errat, veritatem in errore amat. Atque idcirco de Authoribus pleriſque contraria ſentientibus inhumanus eſt ſenſus Vulgi reputantis aut hos, aut illos veritatem odiſſe. Hi equidem aut illi falsò de illa ſcribunt, ſed æque pro illa & æque amanter ſcribunt utrique, quando utriſque cautum æque fuit, ne ſcriberent contra illam. Qui contra ſcripſerint, eorum ſi quæ culpa eſt, hæc una eſt homines eſſe, & lapſos in hoc infortunium fuiſſe, quòd veritatem cum errore confuderint: condolendum eſt illis, non inſultandum; congaudendum eſt aliis & applaudendum, ſed eorum diligentiæ minùs, quàm fortunæ.

Itaque ſi modò abeſt inſanabile illud cacoëthes, quòd

nonnullis est insitum, scribendi de materiis quibusvis obviis sine ullo delectu, aut cultu mentis ab incentivis pravis omnibus alienæ, æquum est ut cæteri reputentur in gratiam veritatis scripsisse, licet contra illam congressi fuerint. Utinam hoc bene caperent Authores, qui vicissim aut insiliunt, aut insilientibus se opponunt: si hanc sibi æquitatem mutuam indulgerent, non essent oculi Lectorum fœdati turpitudine conviciorum, quibus se verberant lacerantque instar lotricium. Quid in viris doctis magis indecorum est, quàm hic apparatus opprobriorum? Et præsertim quando magis in personas, quàm in personarum doctrinas conjiciunt illa opprobria.

Ad rem venio & aio dignum esse Reverendum admodum Patrem Palancum nostrum, qui & à suis Aristotelicis & à nostris Atomistis laudes plurimas referat. Putavit præstare se obsequium Deo & Veritati, quando pro illis insurrexit adversùs istos, & nominatim adversùs Maignanum & me. Ecce in excelso suæ Theologiæ throno positus erat, quum audivit esse Philosophos, qui vellent turrim ex atomis fabricare pertingentem usque ad cœlos: quare apud se ait, *descendam & videbo*. Vidit illam erectam, suique muneris esse credidit eruditionis suæ falcem mittere ad calcem illius: audivit etiam clamores & applausus hominum plurimorum admirantium hanc Turrim; voluitque illorum admirationem confundere, primitusque Architectos invasit. Totum hoc amor est veritatis: totum hoc zelus est suarum partium.

Sed tum quam de cæteris habeo, eandem ambio postuloque de me opinionem ab illis: velimque omnino ut mei Lectores putent nihil scripsisse me aut hìc, aut alibi alio animo, quàm perducendi eos in unum veritatis à me ita reputatæ amplexum. An studiis consumerer tamque parum curarem de præcipitio dierum meorum in conscribendis libris, nisi zelus veritatis pennam incitaret? Ego-

ne tot inquietudinibus, imo tot ægritudinibus, quas assiduitas conscribendi parit, vellem patere ad persuasionem erroris, ad perniciem mei & proximi? Non sum, Deo volente, tam inhumanus mihi & aliis. Cæterùm emensus jam sexies decem Soles credideram attigisse finem bellandi pro veritatibus hucusque invictis Philosophiæ Atomisticæ; pro quibus utique, si deinceps invaderentur, tuendis videbam multos ad hanc provinciam suscipiendam idoneos, & paratos. Invasit itaque Atomistas nunc nuper Palancus noster, & ejus dialogos summa cum voluptate legebam, sed sine animo respondendi, licet adverterem illos patere facili responsioni.

Amovebat etiam à me animum illum hoc primum, quod metuebam ne non satis omnibus probaretur concertatio de atomis philosophica publica inter Fratres, alterum Castellæ, alterum Aquitaniæ, Provinciales quorum calamus antè videretur terendus in tractandis rebus ordinis altioris; sed valde ac multò magis hoc alterum magisque fugiendum periculum, ne si responderem, exacuerer fortè vel inadvertens contra Virum, quem amo, quem suspicio & quem libenter audio esse in controversiis & doctrinis scholasticis ornamentum Matriti & Regni. Prævidebam, si me pugnæ committerem, non esse quidem me satis inflati spiritûs, ut mihi palmam essem adjudicaturus; sed neque satis repentis esse modestiæ, ut illam adjudicari æmulo paterer: atque hinc intelligebam volatura verba, quæ pacem læderent, quod nolebam: melior enim est, ac præsertim inter Fratres, uncia pacis libra Victoriæ.

His rationibus consulebam meæ tranquillitati & quiescebam. Sed accesserunt posteriores cogitationes, quæ prævaluerunt prioribus: amor Atomismi excitavit illas. Vidi occasionem illius dilatandi perpulchram: Palancus ipse me monuit illum esse in studio & in admiratione & in ap-

plausu apud plurimos nobiles & doctos Hispanos, Physicos & Politicos, per quos in aliquot Academias aditum obtinuit facilem & honorabilem. Ex quibus initiis conjeci gradum sublimem, ad quem in vastissimis ditionis Hispanicæ Regnis possit assurgere, si à primis impugnationibus, quibus succutitur, per me vindicetur agendo contra Palancum, ut egi non ita pridem contra Gennarum, qui voluit impedire, sed valde in vanum, ne pedem quem promoverat, in Italia figeret. Conjecturam meam firmavit mos & vis ingenii apud Hispanos, de quibus scriptum est ab Authore gravissimo, *Qui se literarum studiis applicant, quam cœperunt ire, viam pergunt; in dies altiùs evolantes cœlum scandunt.* An Gens ulla fuit studiis Aristotelicis addictior, aut in illis prior? quare si Atomismus Hispanis sapere nunc primùm cœperit, Aristotelismo verso in nauseam, quomodo non brevì efflorescet & in fastigio collocabitur, unde iste ceciderit?

L. Marin. Siculu. l. 5.

Pependit etiam mutatio consilii antè initi ex furore philosophico, qui me, dum cunctarer, arripuit. Ecce in philosophicis veritati præceptionum atomisticarum jamdiu servio, & eam ut Reginam colo: hæc autem per Maignanum regnare cœpit in hac Tolosana Domo, quæ mea est jure dati regiminis hodierni. Derepente igitur exarsi & furens dixi, ***Etiam Reginam vult opprimere, me præsente, in domo mea.*** Sed cùm nulla in furoribus mora sit, reddidissem adhuc me forsan quieti meæ, nisi accessisset suasor *agens secum Musas & Apollinis omnem militiam:* ecce *Nectar ab illius labris & hymettia mella flumine perpetua stillant dicentis ab ore.* An resistere potui? Itaque suasit opus, cœpi, promovi, absolvi, & totum patrocinio ejus commisi atque deserui. Tandem sciat Lector nihil hìc, aut alibi à me affirmari aliter, quàm salvo meliori Sapientum judicio: ac præsertim salvo infallibili S. R. E, judicio, cui contradicere insanire est.



Licentia Reverendissimi Patris Generalis.

FRATER SYRUS JOSEPH VICUS Lector Jubilatus Totius Ordinis Minimorum Corrector Generalis.

Tenore Præsentium nostrique officii authoritate licentiam impertimur R. admodùm Patri JOANNI SAGUENS Provinciæ nostræ Tolosanæ Provinciali, Sacræ Theologiæ Professori emerito, &c. Typis publicis mandandi librum à se elaboratum, cui titulus est, *Atomismus demonstratus*, prævíis tamen diligenti examine & approbatione RR. Patrum ANDREÆ FETART ET GABRIELIS CANAC nostri ejusdem Ordinis antiquorum Theologiæ Professorum; nec non servatis de jure & more servandis. In quorum fidem, &c. Datum in Conventu nostro Tolosano die 21. Aprilis anni currentis. 1715.

F. SYRUS JOSEPH VICUS, *Corrector Generalis.*

De mandato Reverendissimi P. Generalis.
F. JOANNES SOULAS, *Collega Gallus.*



Approbatio Theologorum Ordinis.

TUrpis & indecora res esset inter Fratres discordia, quàm aliqua cupiditas, aut invidia pareret; sed laudabile nihil & honestum non esset in rixa, quam excitaret fortè inter illos & urgeret solus Veritatis ardor ad ostensionem & amplificationem sanioris doctrinæ. Hujusmodi est, quam isti polemici dialogi spectandam toti Orbi Literario exhibent inter duos æque doctos & æque pios Fratres Religiosos; atque hodiernos nostri Minimitani Ordinis Provinciales. Cæterùm ut quandoque suspicimus in Cœlo faces, quas æthereus calor inflammavit, invicem irruentes ac tum in grandiorem lucem

concrescentes, ita confidimus ut hæc eximia duo nostri Ordinis lumina, quæ ex adverso in se ruunt ac colluctantur, coëant tandem in unum & concordem fulgentissimum splendorem, per quem illustrabitur Veritas, quam nos omnes unanimiter sequi & amplecti oporteat. Interim uter Fratrum & Magistrorum nostrorum in hoc luctamine alterum vicerit, id non est muneris nostri decernere; id dijudicabunt Lectores. Tantùm quod spectat ad potestatem nobis factam à Reverendissimo nostro Correctore Generali Syro Joseph Vico, declaramus non modò in hoc opere dialogistico, cui titulus est, *Atomismus demonstratus*, nihil esse quod deficiat à sana ratione aut fide; sed etiam nihil esse, quod non utramque suavissime spiret: sicque illud typis publicis dignum esse censemus & testamur. Tolosæ hac die prima Octobris, 1715.


F. Andreas Fetart, *Antiquus Professor Theologiæ.*
F. Gabriel Canac, *Antiquus Professor Theologiæ.*



SERIES

DIALOGORUM.

DIALOGUS



DIALOGUS PRIMUS.

QUÆ SIT RATIO ET OCCASIO hujus Operis.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PAZZIUS. ROCCHIUS.



PAzzius. Fluxit, suavissime Rocchi; fluxit unà cum eunte rota nativitatis nostræ decennium, ex quo, si meministi, deferebas ad me opus dogmaticum Patris Gennari adversùs atomos redivivas; quas utique noveras habere me pro ludibriis, nugis, ineptiis, anilitatibus periculosis, ac non ferendis. 1. Scripsit P. Palaneus opus Physico-theolog. cū adversùs Atomistas.

Rocchius. Memini, ô mi bone Pazzi; nec periit recordatio lætæ admirationis quâ tunc me rapuisti dicens tibi novum non esse opus, quod jam ter legeras; & à quo didisceras plurima, quæ te invictissimè obfirmabant in perantiquo tuo atomorum nostrarum risu atque contemptu. Sed quæ, si placet, tam insueta hilaritas

frontem occupat? Quæ ram diducti rictûs occasio? An aliquis nuperrimè tibi rursus formas suasit, quas dissuaseram; aut quas suaseram atomos dissuasit; aut illis aliquid boni, aut istis mali aliquid suspicor contigisse.

PAZZIUS. Ita planè: res de atomis vestris acta est: contra illas conclusum est à Palanco. Nosti hominem?

II. Referuntur officia & merita Scriptoris.

ROCCHIUS. Vide si novi: homo est tam supremi nominis, quàm supremi Sanctæ Inquisitionis Senatûs Censor ex munere, Archiepiscopatûs Toletani Synodalis Examinator, Ex-Vicarius Generalis, electus nuper Panamensis Episcopus; semel pridem & nunc iterum Ordinis Minimorum in utraque Castella Provincialis. Vis plura? Homo est & magno librorum suorum numero, & pretioso litterarum suarum commercio mihi celeberrimus; quem adhuc ab annis non plus quàm quinque redeuntem ex ultimo Genuensi generali Capitulo tam carè ac reverenter hac in urbe complexus sum, quàm debui fratrem, tot inter nos honoribus auctum; & cui jam nihil deest, nisi universis præesse. Vide si novi.

PAZZIUS. Atqui ferè hoc non quærebam; sed an venisset in notitiam tuam opus, quod novissimè in lucem edidit, & quo ultimam manum admovit, tùm extinctioni atomorum, tùm illustrationi formarum. Ab istis declinaveram, & in illas inclinaveram te auctore, quando quondam in me Gennarum vicisti; sed mentem ac palmam quam eripueras, reddidit mihi lectio recentissimi hujus operis: atque hoc est caput grandis lætitiæ, quâ prægestio. De illo mihi præsertim à te quærebatur an vel non legeris.

ROCCHIUS. Tàm opus quàm opificem novi, mi Pazzi; opus ais Physico-Theologicum centum & uno suprà dialogis comprehensum; cujus inscriptio hæc est THOMISTA CONTRA ATOMISTAS.

PAZZIUS. Sic planè; sed, amabo, quid summatim de illo sentis.

ROCCHIUS. Sentio nihil subtilius, solidius nihil, fortius ac vehementius scribi pro formis Aristotelicis contra Platonicas atomos potuisse ab ipso, vel Thoma, vel Aristotele : atque hinc valde lætor quòd in tractatu tamen tam alto tamque profundo nihil sit, propter quod ullus nostrûm possit aut debeat, vel transversum unguem abs sententiis, quas tuemur, discedere. Certè ut audivi Thomistam adeò celebrem in pauperculos Atomistas cum tot iris atque minis, cum tot auctoritatibus & doctrinis insurgere, illico timui ne cum gravitate sua ex altitudine sua irruens nos opprimeret; at Deo volente ut mare ferum ac minax ad pauculas littoris arenas frangitur ; quem eventum ferè rident, qui vident, ita ferè risi cùm vidi feros ac minaces fluctus formidabilis scriptoris fractos contra exilissimas atomos, quæ nihil labis passæ sunt, sed ex adverso illustriores evaserunt, ut lucidior fit arena, quam mare alluit. Ecce voti mei factus sum compos : optabam ut post Gennarum, cujus robur & æs satis firmum non erat pro atomis expugnandis, exurgeret robustior quidam Peripatericus, firmiorque Thomista, & electus ad hanc pugnam ex millibus, sic enim apud me computabam res meas : si quid novi & invicti attulerit, abibo post eum, litabo formis, atomis valedicam : si secùs, manebo apud memetipsum, & in atomorum mearum complexu exercebo, ut ante, hostile odium adversùs formas. Atqui toto in opere tam eruditi Scriptoris nihil novi, nihil invicti attentis & iteratis lectionibus meis comparuit, cur non vicissim lætabor, quòd nunc quàm maximè certus sim ambulasse me hactenus in via veritatis & pro illa pugnasse, nec infeliciter.

III. Fertur generatim judicium de toto opere.

PAZZIUS. Et ego nunc quàm maximè certus sum te in errore versari, unde jam nulla spes maneat evadendi ; si legere potuisti librum illum, & in eo non sentire pondus auctoritatum, & non advertere splendorem de-

monstrationum, quibus plenè abundat. Scias, mi Rocchi, comperisse me in eo tot nova, tot invicta contra novatores Philosophiæ argumenta, ex fontibus Philosophicis & Theologicis hausta, ut ad Aristotelismum meum totus redierim.

IV. Proponitur concertatio ad examen operis.

ROCCHIUS. Ad vomitum rediisti, mi Pazzi; atque ut video, infelicitatis tuæ id fuit, quòd præjudicia, quæ deposueras, non satis in longinquum abierant, redierunt. Verum quidquid id est, interim dum tibi est mens tot authoritatibus onusta, tot splendoribus illustrata, si volueris, pugnam inter nos pristinam redintegrabimus: quia enim soleo veritatem vestigiis omnibus indagare, pergratum mihi erit hâc etiam peroptimâ viâ tentare diligentiùs debeamne tandem ab Atomismo meo discedere, sed neque tibi, ut puto, ingratum erit hâc eâdem viâ experiri debeasne ad illum sine mora ulteriori redire. Audi, mi Pazzi, duæ sunt species cœcitatis humanæ, *quæ non sunt videre*, & *quæ sunt non videre*; alter nostrûm in hoc libro cœcutiit: argumenta illius victricia vel ego non vidi quæ sunt, vel quæ non sunt tu vidisti: ergo ad distinctiùs judicandum de illis an sint, vel non sint, jungamus hæc duo paria oculorum, ac tum acuamus ingenia pro certamine, quod inibimus.

PAZZIUS. Non recuso laborem utilem hujus certaminis; sed antè juvat tecum facere aliquot pactiones: earum potissima hæc est, ut quæ inter nos fiet de hisce rebus Physico-Theologicis concertatio ullis in publicum typis non prodeat.

V. Accipitur consilium de hisce dialogis vulgandis.

ROCCHIUS. At quæ hæc iniquitas tua est, mi Pazzi, quæ hæc tua pactio tam injuria veritati? An non vides, bone Pazzi, quomodo Palancus non hæsit publici juris facere aggressiones suas? aut quomodo in illis non prætermitteret gloriari, si nemo nostrûm prælo prælum opponeret? Ecce charta provocationis ab eo latæ intonuit,

& silebimus ? Et nemo nostrûm veniet ad remedium veritatis læsæ, ad solatium veritatis afflictæ ? Nolo suffurari lucem publicam hisce dialogis, quos meditamur: si pro Palanci causa me viceris, non erubescam erroris palidoniam mei; si pro mea te vicerim, tunc turpiter erubesceres veritatem ?

PAZZIUS Ubi autem est, si placet, charta hujus provocationis ? De illa nihil memini me legisse.

ROCCHIUS. Grandibus tamen characteribus scripta est in Præfatione ad Lectorem, ubi fretus fiducia persuadendi Philosophiam novam, quæ formas rejicit & atomos admittit, rationi fideique adversari, & Atheismo favere, sic ait: *An persuadeam, tu Lector judex esto: si tamen opere lecto, non acquiescas, observa, rogo, D. Thomæ verba, quibus tractatus terminatur iste.* Tum verba D. Thomæ hæc sunt; scripta quidem ab ipso, agente contra Averroistas; sed quæ Palancus hac sua in causa in Atomistas convertit. *Si quis autem gloriabundus de falsi nominis scientia velit contra hæc quæ scripsimus aliquid dicere, non loquatur in angulis, nec coram pueris, qui nesciunt de causis arduis judicare; sed contra hoc scriptum scribat, si audet: & inveniet non solùm me, qui aliorum sum minimus, sed multos alios qui veritatis sunt cultores, per quos ejus errori resistatur, vel ignorantiæ consulatur.* Habes hîc, mi Pazzi, provocationem, de qua loquebar, & quâ solemniorem, audaciorem nullam audisti.

VI. Refertur provocatio facta à Palanco.

PAZZIUS. Solemnitatem illius video, sed audaciam non video: imò singularem urbanitatem; dum si quis vestrûm contra scripserit, pollicetur se suosque vestris erroribus & ignorantiis consulturos.

ROCCHIUS. Urbanum an inurbanum sit viros, qui perenniter veritati student & insudant, insimulare ignorantiâ & errore, nihil ad me, qui patientioris sum in-

dolis; quàm ut insimulatione pari commovear. Est præter chartam illam provocationis causa urgentior, quæ me movet ad petendam à te veniam vulgandi nostra hæc colloquia de rebus atomisticis, quibus illa, si forsan tuis aggressionibus & defensionibus prævalebo, non parum profutura esse confido. Purior alia mihi est origo pruritûs ad typos: zelus juvandi novos Hispaniæ atomistas, quos hic Scriba velociter scribens molitur telo calami sui vix enatos confodere.

PAZZIUS. Alludis, nisi fallor, mi Rocchi, ad eam quam Palancus præfatur sui operis rationem his verbis, ***Ratio autem qua me movit ad opusculum hoc elaborandum***, &c.

VII. **Perpenditur ratio, quæ movit Palancum ad scribendum contra Atomistas.**

ROCCHIUS. Cætera quæ taces, nolim inattenta sic præteriri: quin etiam expedit notari singula; nam si quæ alia, hæc inprimis sunt, quæ in me accendunt ardorem scribendi quidquid à nobis disputabitur in his dialogis. *Ratio autem qua me movit*, inquit, *ad opusculum hoc elaborandum ea fuit quòd illius Philosophiæ recentis fama paulatim percrebrescens etiam in Hispaniarum animos & Academias, unde novitatum monstra exulant frequenter, aditum sibi, quibus agentibus nescio, sollicitabat.* Invidet Palancus Philosophiæ atomisticæ hanc famam percrebrescentem: ægrè fert illam in animos & Academias Hispaniarum insinuari: & ignorat quibus viis insinuari potuerit: vias illas si nosset, quæ rectæ rationis sunt sollicitantis vehementiùs quàm antè, nobiles animos & fulgentes Academias Hispaniarum ad amplexum Philosophiæ verioris, nec invidiâ, nec ægritudine ullâ tabesceret: Peccabone, mi Pazzi, si efficiam ut illas noverit? Sic pergit, *Jamque aliquos Physicos & Politicos ita sibi devinxerat, ut in illius plausum & immodicas laudes non semel audierim nonnullos prorumpentes.* Quibus verbis clarè innuit Palancus velle se his suis ultra centum

dialogis ponere obicem plausibus illis & immodicis laudibus, quibus plures Physici & Politici per Hispanias Philosophiam atomisticam proclamare cæperunt: peccabone, mi Pazzi, si fortè obex ille fuit iniquè positus, tentando amovere illum, ut potero, per hæc nostra colloquia data in publicum?

PAZZIUS. Peccabis, quia hinc potest fieri, ut confirmes in amore & admiratione Philosophiæ atomisticæ præmissos Hispaniarum Physicos & Politicos qui ignorant, ut loquitur Palancus, *quid mali contra Ecclesiastica dogmata in ea* lateat, & de cætero putant *cuilibet licere philosophari*, ut volunt, *citra fidei orthodoxa periculum.* *In Præfat.*

ROCCHIUS. Quid ais, mi Pazzi? an igitur non cuilibet licet philosophari citra fidei orthodoxæ periculum.

PAZZIUS. Aïo quod Palancus ait, & redarguo quos redarguit id putantes, *eò quòd de rebus philosophicis fides non est, nec res fidei ad Philosophiam spectant.*

VIII. Philosophia utilis est ad res Theologicas.

ROCCHIUS. Quid iterum ais, mi Pazzi? Visne tu etiam cum Palanco sic permiscere res Philosophicas cum Theologicis, ut adhuc nec de illis loqui liceat citra præjudicium fidei, nec de istis citra præjudicium rationis? Quis audivit contrariam esse rationi fidem, vel fidei rationem? imò altera juvat & auget alteram; dum fides rationem frænat, & ratio fidem illustrat.

PAZZIUS. Annuo; sed Philosophi plerique in hoc peccant, quòd non advertunt *bellum acrius contra catholica dogmata plerumque à Philosophis de Philosophia tumentibus ortum duxisse, meramque Philosophiam, si absque sacræ doctrinæ condimento seu ad illam subordinatione, animum occupaverit diuturnis illius studiis, periculosam & fidei catholicæ noxiam evadere posse.* Ita Palancus; neque id non probat per inconcussam authoritatem Summi Pon- *In Præfat.*

tificis Leonis decimi, qui in Lateranensi Concilio sess. 8. vetat ea diuturniora Philosophiæ studia, *quæ sine revelatæ veritatis lumine in errorem quandoque magis inducunt, quàm in veritatis elucidationem:* ac tum ibidem pro Clericis studia Philosophiæ & Poëseos post Grammaticam & Dialecticam ad quinquennium limitat, quo exacto incumbere Theologiæ ac juri pontificio teneantur.

Dial. 41. n. 124.

ROCCHIUS. Hîc non video, mi Pazzi, diuturna studia Philosophiæ Aristotelicæ magis permissa, quam Atomisticæ: hîc non video illam minus quàm istam indigere condimento sacræ doctrinæ: aut minùs periculosam & fidei catholicæ noxiam evadere posse. Igitur ad quid Palancus hîc declamat adversùs studia & pericula Philosophiæ? Nisi fortè putavit neminem fore, qui è Philosophiis cæteris non exciperet Aristotelicam; quasi verò hæc una sui studiosos eximat à periculo deviandi à fide: verùm hîc, si unquam alibi, tuus Palancus fallitur: suspiciat enim Cœlum & numeret stellas si potest; aut si non potest, ita nec poterit numerare hæreses, in quas ab exortu Ecclesiæ lapsi sunt homines Aristotelici, ob id quod Aristoteli nimis studuissent, aut quod in Aristotele nimis confiderent.

IX. Nemo sibi nimis credere debet in rebus philosophicis.

Agamus, si placet, bonâ fide in hisce nostris concertationibus, mi Pazzi. Antiqui Philosophi sive isti, sive illi quos sequimur, homines fuere; & nos qui sequimur homines sumus: tum si quæ nova proponuntur hac ætate alia Philosophiæ Systemata, tàm qui amplectuntur illa vel aversantur, homines sunt; quàm, qui proponunt. Nosti autem quid sit hominem esse: id est esse falsis apprehensionibus, falsis judiciis, falsis conjecturis & consequentiis obnoxium: nemo igitur nimis glorietur in ea quam profitetur Philosophia, seu à se, seu ab aliis adinventa. Consultius est discere, si possumus quid Philosophi omnes senserint: & deinceps ut Deus dederit, ut

fides

fides permiserit, istis vel aliis, vel etiam nobismet ipsis, si quid adinvenimus, adhærere.

PAZZIUS. Rectè ais, mi Rocchi: & his verbis Palancum laudas, cui non satis fuit didicisse diu, & docuisse diu privatim ac publice Philosophiam Aristotelicam, quin etiam typis vulgasse: voluit adhuc, nec jamdiu est, dare operam libris Atomistarum ad pervidendum quid complectantur veri aut falsi, quid rationi & fidei aut consonum aut repugnans. Neque nemo scit, quot & quàm amplas hac in re laudes mereatur, nisi qui novit quàm mirum sit hominem, qui totus in Cœlo Theologico erat, voluisse descendere ad istas vestrarum atomorum minutias.

ROCCHIUS. Laudes adhuc ampliores mereretur, nisi quas atomistica Philosophia referebat ex doctissimis pluribus Hispanis, evacuare suo illo descensu voluisset: neque enim sine laudibus & plausibus immodicis, quibus eam videbat & audiebat & dolebat extolli, unquam permotus fuisset ad Authores nostros legendos: nunquam illum titillasset hæc curiositas. Audiamus ipsum sic loquentem; *illæ ergo laudes immodicæ & similes plausus acuerunt in me curiositatem legendi opera Renati Descartes, & Cartesianorum libros*, &c. Curiositas igitur hæc est, mi Pazzi, quam invidia peperit: neque jam miror quòd hic Scriptor, licet oculatissimus, non viderit in his libris res ut se habent: obtegebat illas affusus invidiæ livor, aut potiùs è formosis deformes repræsentabat, è certis dubias, è veris erroneas, & è catholicis tandem hæreticas; aut in hæresim inclinantes.

Quæ curiositas Palancum perduxerit ad scribendum.

In Præfat.

PAZZIUS. Non placet hæc invidiæ nota per te sic inusta curiositati, quæ Palancum movit, ut vestros libros legere dignaretur: ego veriùs illam interpretor accensam fuisse à zelo veritatis, quam in libris vestris quæsivit & non invenit: invenit in illis nihil, ut ipse refert,

& est fide dignus, *nisi singularitatis ac novitatis haud levem jactantiam, & in Peripateticos imposturas, perversosque de illorum doctrinis ac rudes sensus cum ingenti contemptu antiqua illorum Philosophiæ: cavillos etiam ac tergiversationes frequentes, quibus Lector illudi possit potiùs quàm doceri. Præterea etiam* invenit *plura haud parum periculosa, siquidem cum dogmatibus ecclesiasticis mediatè vel immediatè pugnantia.*

XI. **Veritas non reperitur ab euntibus cursim.**

ROCCHIUS. Absit igitur procul ab illo hæc invidia, cujus loco mala fortuna sit, cui tribuatur quòd non invenerit quem quærebat in fundo nostro lapidem philosophicum veritatis: forsan noluit multam illam patientiam, sine qua lapis iste non refoditur, exercere: maluit ire cursim ut fortia solent ingenia; sed raro advertitur veritas ab ingeniis cursim euntibus, nisi ex æquo perspicacia fuerint & felicia. Non despero tamen quin ei tandem illucescat, si legere dignabitur nostros dialogos: & hæc ratio adhuc me urget ad eos juris publici faciendos.

PAZZIUS. Jam attulisti rationes: quæ ad id te urgent, multas: neque fas est ut illis diutiùs contradicam: sed suspicor te urgentissimam omnium de industria tacuisse.

ROCCHIUS. Quam suspicaris, si placet?

PAZZIUS. Audi, mi Rocchi: dum vacarem lectioni partis secundæ dialogorum nostri Authoris, incurrebam sæpè in textus prolixos, quos suppresso loco & nomine refert ex tuo systemate tum Gratiæ, tum Eucharistiæ: & in quibus, aut novitatem, aut arrogantiam, aut tergiversationem, aut ignorantiam, aut hæresim, aut etiam atheïsmum, quamquam aliàs urbanissimè, reprehendit. Timeo ne istæ aut pares censuræ bilim tuam commoverint: debuerunt tamen non commovere, quia in Philosophiam tuam cadunt, non in personam.

ROCCHIUS. Et eapropter, mi Pazzi, me acriùs

commotum ſentio, cùm mihi carior ſit ac pretioſior Philoſophia quàm perſona. Illam mihi ab adoleſcentia mea deſpondi, mihi converſatio frequens cum illa eſt: illa eſt pars vitæ meæ ſuavior, illa deliciæ meæ: poterone videre laceram, ſpretam, laceſſitam tot contumeliis, & non velle, quæ tecum colloquar ad famam & decorem illius, ea prædicare ſuper tecta, ea declamitare per vicos omnes & plateas litterarii orbis? XII. Nihil Philoſopho ſit à Philoſophiâ carius eſt.

PAZZIUS. Jam dedi hac in re manus voluntati tuæ; ſed cave, mi Rocchi, ne quia nimis tuæ Philoſophiæ nomini & honori ſtudes, exponas eam multis jocis & ſibilis, dum quas celare poſſes, revelabis illius maculas: nemo neſcit lunæ maculas, quia ſe omnibus prodit in publico. Sed quia, ut adverto, rides conſilium meum, fac ut voles. Tantum fac ut à te obtineam dialogis hiſce noſtris, ſi fortè illos prælo vulgabis, formam longè aliam ab ea, quam priſtinis contra Gennarum editis contuliſti; illa etenim Palanco non probatur, ideoque nec mihi: & ut ſtatim noveris in quo non probatur, ecce odit Palancus in tuis illis dialogis *intermiſſiones illas ſuppoſititias dierum, horarum, prandii, cœnæ, ac ſomnii urgentis in ſimilibus fingi ſolitas.* Habet illas pro facetiis, à quibus dialogos ſuos purgavit: illos quaſi halitu uno promovet à primo uſque ad ultimum; diceres eum & atomiſtam ſuum per dies ad minus centum totidemque noctes ſine potu & eſu, ſine ſomno & otio ullo collocutos fuiſſe: qua methodo inſigniùs quàm omni alia demonſtravit ardorem quo ferebatur ad annihilandas quàm primùm atomos univerſas, cum omnibus Atomiſtis, ſi poſſet.

ROCCHIUS. Senſi ardorem illum; & is ipſe eſt qui meum accendit ferendi præſidium qualecumque potero, quàm celerrimè potero & Atomiſtis, & atomis. Sed cum bona tui & illius venia, mea ſolita utar ſcribendi methodo: vide, mi Pazzi, candor ſcribendi meus id exigit, XIII. Non ſunt ablegandæ omnes intermiſſiones à dialogis.

ut quas mutuò indulgebimus nobis intermissiones & remissiones colloquendi, eas calamo meo eloquar: nemini nocent; doleo tamen eas Palanco displicuisse: sed cùm nihilominus fateatur eas esse in consimilibus dialogis fingi solitas, quid hinc conjicitur, nisi voluisse illum in meis aspernari formam, quam imitari nollet in suis. Maluit esse primus, qui dialogos suos non scriberet sicut cæteri hominum; malo scribere meos, ut solent cæteri: vel maximè quia verisimilius redditur quod ita scribitur; quia enim non solent homines qui multa & longa miscent colloquia, uno spiritu illa protrahere; sed illa intermittunt seu propter vitæ necessitates, seu propter utilitates alias rerum suarum, quando scriptor talia colloquia, aut instar talium colloquiorum sua refert soliloquia, non peccat, si meminit talium intermissionum; sed fortè peccat qui scriptorem illum redarguit. Suam habet formam sermo concionatorius, suam historicus, suam scholasticus; suam habet dialogisticus, hanc volui nuper in meis contra Gennatum dialogis in lucem editis servare: Palancus spernit: non mutabo tamen, si placet, mi Pazzi, quia ratio id vetat juncta consuetudini.

XIV. Palancus ponit elegantiam sermonis inter facetias.

PAZZIUS. Bene est; puto quòd jam non sperneret, si hæc à te audiret: Sed non video quomodo spernere non debuerit *leporem* illum & *salem loquendi*, quos in tuis illis dialogis vidit, & in suis neglexit, quia pro facetiis habuit. Sic enim ait: *forsan etiam in dialogis à me institutis desiderabis intermsisiones illas suppositititias dierum, horarum, prandii, cœnæ ac somnii urgentis in similibus fingi solitas, nec non leporem & salem loquendi, quibus dialogus condiri solet:* ac tum sic prosequitur. *Sed horum defectum ut parcas precor; nam discursu semel arrepto & semper ad ulteriora provocante, molestum mihi erat illis intermissionibus confingendis mentem distrahere ab incepto veritatis examine, quam si avide in nostris dialogis inqui-*

ras, credo, (nota si placet) *quòd illas facetias haud nimium desiderabis.*

ROCCHIUS. Si facetiæ sunt intermissiones illæ suppositititiæ, lepores illi & sales loquendi, haud dubie nemo qui sapit, id nimium desiderabit: sed quis, si placet, pro facetiis præter Palancum habere potuit intermissiones hujusmodi, quas fingi solere in dialogis non negat, & id genus lepores ac sales loquendi, quibus condiri solere dialogos non diffitetur. Igitur ad illicò conciliandam cel e briorem famam novo generi dialogorum suorum sine intermissione ulla, sine lepore, sine sale ullo fluentium, computat inter facetias quidquid cæteri habent familiaris, venusti, lepidi, aut acuti.

Absit tamen, mi Pazzi, ut hîc ego velim ullo pacto aspernationis serram reciprocare; imo genus illud dialogisticum scribendi quod adinvenit Palancus, laudo tanquam valde nervosum, masculum, vivum & efficax & ad promptam ostensionem ac suasionem veritatis aptissimum: si minùs Oratorem sapit, sapit utique magis Philosophum, totum in conspectu & amore nudæ veritatis defixum: qui mollitiem omnem sermonis spernit, & attendit nunquam ad pulchritudinem dictionis. Sed neque sua laude frustandum est genus aliud magis solitum dialogorum elocutione sua florentium atque nitentium: vel maxime ubi sermo fit inter Philosophos aut Theologos, quos dedeceret esse humaniorum litterarum plane ignaros; quos è contra decet esse illarum & amantes & memores. Hinc si quas Palancus in nostris dialogis vidit Musas, si quas veneres, forsan æquiùs non vocasset facetias: vocavit, sed nihilominus donec scripsero *non cessabo veneres doctis jungere Musis, fœdus amicum.*

XV. Melius est dialogos elocutione aliqua florere atque nitere.

Euripides.

PAZZIUS. Nimium exardescis, mi Rocchi. Non is est Palancus qui si quid in tuis dialogis vidit bene ornati, aut belle pexi, voluerit id fœdare aut intricare suo illo

XVI. Affertur Augustinus contra scripto-

res nimis sollicitos de dictionibus. jam nimium repetito *facetiarum* vocabulo: non retulit illud nisi ad indolem, si quæ in te fuisset, ut in multis est, nihil scribendi, nisi defricatum aceto romano, aut sale attico; nihil nisi jocose ac festive dictum, eleganter, floride, comiter, magnifice; affectant sonos & numeros dictionum, minus cogitant de veritate statuenda, quàm de instituenda sermonis pompa, quâ possint etiam errorem, si voluerint, suadere. Hanc autem verborum optionem ita curiosam & laboriosam ægrè ferunt ac spernunt bona ingenia: nec ego id aio, sed Augustinus: *bonorum ingeniorum insignis est indoles*, ait, *in verbis verum amare, non verba*. Rationem hanc subdit: *Quid enim prodest clavis aurea, si aperire quod volumus non potest; aut quid obest lignea, si hoc potest: quando nihil quærimus nisi patere quod clausum est?* Vides igitur, mi Rocchi, quomodo ad reserandam veritatem quæ clausa est, superfluum est quærere clavem auream orationis florentis.

Lib. 4. de Doctr. Chr. c. 11.

ROCCHIUS. Sed mi bone Pazzi, si ad manum tibi occurreret prior clavis hæc aurea, quid ageres?

PAZZIUS. Fatue agerem, nisi uterer.

XVII. Est in quibusdam ingeniis felicitas recte scribendi sine labore.

ROCCHIUS. Ergo tandem intellige homines esse, quorum in hortis nascitur nihil præter rosas & lilia florentis elocutionis: terra illa nec germinat spinas, nec tribulos: hinc nihil nisi cum eximio candore ac splendore loquuntur: nec difficilius optime, quàm cæteri pessime, scribunt quod sentiunt. Absit ut vel tantillum mihi tribuam istius gloriæ; hoc scio tamen quòd si quid aliquando fuit à me ornatè scriptum, id non fuit studiose quæsitum: satis ultro se obtulit; quare temere reus dicerer indolis me ferentis ad phaletas affectati sermonis. Jam verò, mi Pazzi, tempus est redeundi ad officium satisfaciendi pleniùs petitioni tuæ, qua me rogabas ab initio, quæ mea mens summatim esset de dialogis Aggressoris mei.

PAZZIUS. Non evanuerat hæc curiositas: & eram

jam jam hac de re mentem tuam iterum rogaturus. Nam etsi memini te totius operis subtilitatem, soliditatem, fortitudinem ac vehementiam extulisse; suspicabar tamen excepisse te tuo in pectore aliquid, quod jure an injuriâ non laudares.

XVIII. Collocutores debent esse paris eruditionis.

ROCCHIUS. Suspicari non aliter potuisti, quia nosti nihil sub Sole omni ex parte perfectum esse: imo fere nihil esse, quod si comminùs inspiciatur, non habeat plus vitii, quàm virtutis, non plus quàm laudis, vituperii mereatur. Hoc primum in dialogis illis non laudo, quod non repræsentent suos collocutores paris eruditionis, paris experientiæ, paris animi pro tuendis juribus suarum partium. Video in illis Thomistam scientissimum & tenacissimum opinionum suarum, ac nihil prætermittentem omnium rationum, quæ aliquando ab optimis Magistris ad stabiliendas opiniones illas dictæ aut scriptæ sint: primas Aristotelismi cathedras promerentem, fortem, animosum, munitum hastâ & clypeo totius doctrinæ ad Atomismum invadendum desiderabilis. Tum in illis adverto Atomistam, qui nostra & dogmata & jura valde ignorat; qui si quid pro utrisque tuendis habemus invicti, hoc tacet; si quid infirmi, hoc effutit: si quid dubii, non distinguit; si quid obscuri, non elucidat, si quid clari obtenebrat: qui planè novitius est in rebus nostris, debilis, timidus, inermis; qui tandem indoctissimus cùm sit in illis, nunquam contra Palancum doctissimum in suis ex nostra delegatione pugnasset.

Quàm ridicula res esset, si quis ad insequendum leporem, canem cum testudine jungeret; quàm iniqua si quis araret *in bove simul & asino*, tam iniquus, tamque ridendus mihi videtur conflictus iste, qui pro insequenda & refodienda veritate paratur, inter personas tam dispares institutus. Vide tu ipse, mi Pazzi, quàm parum tolerabiles essent istæ phisico-theologicæ concertationes, *Deut. 22.10*

quas cito aggrediemur, si alter nostrûm ab altero tantùm distaret quantùm puer à sene, cœcus à vidente; at Deo volente neque pueri, neque cœci sumus in rebus respectivè istis; habemus in ætate pari parem notitiam; neque nisi opinione differimus. Alterum quod in dialogis Palanci non laudo, est quòd........

XIX. Probatur eruditio Atomistæ collocutoris.

PAZZIUS. Retine, si placet hoc alterum, donec responderim ad primum, in quo videris non alia de causa vocare vestrûm Atomistam indoctum & inexpertum, quàm quia victum à Thomista vides & doles. Atomista est qui libros vestros, etsi non multos, nec ab annis multis, attente ac studiose pervidit, & quasi memoriter didicit, nam fere perpetuus est in prolixissimis vestrorum Authorum testibus referendis, nec è suo penu mon multa profert, quæ pro Atomismi defensione sufficerent, si forte posset injusta justæ aggressioni defensio prævalere. Saltem donec te aut unum è tuis audierim meliùs satisfacientem demonstrationibus aggressoris vestri, putabo rem ipsi fuisse cum Atomista, in quo victo vos etiam fuisse victos ut concedatis, necesse est.

ROCCHIUS. Sed quid, mi Pazzi, si Atomista ille se ipsum ignarum prodit & fatetur in iis rebus, sine quarum notitia nullus Atomista, perinde ac nullus Aristotelista doctus unquam fuit aut esse potuit; quid aïes? adhuc ne contradices judicio, quo contendo Atomistam illum non esse unum è Doctoribus nostris, unum non esse cui causa nostra committi ac confidi potuerit.

XX. Contradicitur hæc eruditio.

PAZZIUS. Si res ita habet, non contradicam.

ROCCHIUS. Excidit, ut video, è tua memoria locus, in quo suæ rerum omnium Metaphysicarum inscitiæ promit humilem confessionem his verbis. *Quid ni dicam quòd ego Metaphisicus non sum, sed merè Phisicus: & de his quæ Metaphisica tractat non respondeo, quia ea non didici?* & alibi *Hæc vestra Metaphisica nobis exosa est, ac proinde*

Dial. 60. n. 522.

Dial. 85. n. 704.

proinde illam prætermittas rogo, & ne me redarguas demonstrationibus Metaphisicis, &c. in qua humili confessione Atomistæ non nostri Thomista vester triumphat, & ait, *O utinam omnes vestri ita responderent & cum subordinatione ad eos, qui Metaphysica pollent & per eam profunda & altiora Philosophiæ principia, quàm vestras Atomos explicant.* *Dial. 60. n. 522.*

Nosti autem mi Pazzi, quàm necessaria sit rerum Metaphysicarum alta & profunda cognitio perinde ac pyhsicarum omnibus, qui velint gradum aliquem sublimem obtinere sive in Aristotelismo, sive in Atomismo. Imo totus cujusvis Philosophiæ scopus in hoc est positus, ut sciatur quid sint entia in concreto, quid in abstracto, quid in statu reali, quid in statu merè intelligibili; & quæ sint eorum proprietates isti vel illi statui propriæ, de quibus interest adhuc scire quid meræ intelligibilitatis, aut etiam rei superadditæ habeant; ad hoc scilicet ut entia & eorum proprietates non evagentur extra limites Physicæ aut Metaphysicæ; ad quam de jure ac consuetudine pertinent.

XXI. Arduum est scire quid sit Physicum quid Metaphysicum.

Certè, si bene attenditur, non alia sunt hodie inter nos jurgia, nisi de limitibus illis: volunt Aristotelici formas suas è finibus Metaphisicis educere & impellere utut possunt in Physicam: Atomistæ contra recusant illas intra Physicæ fines admittere: ferre illarum contubernia non possunt cum suis atomis: illas obtestantur esse opera mentis, quæ mater est entium ad Metaphysicam attinentium; istas jurant esse opera naturæ, quæ per eas componit & format corpora omnia. Quæ jurgiorum nostrorum summa cùm hæc sit, vide, mi Pazzi, quàm benè prælia nostra præliari potuerit Atomista ille, qui palam fatetur ac ferè gloriatur se Metaphysicam ignorare. Tu & Palancus tuus, ut confido, in me videbitis aliud genus Atomistarum, qui Metaphysicam non ignorant.

P A Z Z I U S. Miror Atomistam illum ita Metaphysi-

cæ inopem ausum fuisse congredi cum Palanco; quem saltem audierat Metaphysicam absolutissimam edidisse.

Rocchius. Mirare potiùs Palancum sibi hujusmodi collocutorem elegisse ad vincendos in eo Atomistas; non sic Atomistas, sed tantummodò Atomistarum nomina & umbras vincere potuit; ô quam egregiam laudem, quàm ampla spolia hinc referre speravit! sed adhuc est aliquid in optione hujusce collocutoris longè admirabilius.

Pazzius. Hoc forsan, mi Rocchi, est illud alterum quod in Palanci dialogis non laudas, & de quo supra loqui occeperas.

XXII. *Idem collocutor non potuit pugnare pro Cartesio & Maignano.*

Rocchius. Ita plane. In illis dialogis video Atomistam, quem horreo ut chimæram bicipitem. Ecce unus duas personas sustinet, quas non tantùm dicam non potuisse in eo jungi, sed nec potuisse fingi conjunctas. Capis me, nisi fallor, mi Pazzi, capis non potuisse Atomistam illum sociare in se uno duo tam incoibilia ingenia, quàm fuerint illa Cartesii & Maignani. Et nihilominus pro utroque pugnat: id est, pro utriusque placitis toto cœlo contrariis. Quid diceres si Thomista qui triumphat in illis dialogis sustinuisset in eorum decursu personam Scotistæ, & sic personas illas ad arbitrium permutasset, an non eum ut alterum Proteum mirareris, an non potius stuperes ut monstrum coalitum ex concursu duarum incompatibilium mentium? Atqui longe minus distant Thomas & Scotus, quàm Cartesius & Maignanus: quale igitur monstrum est mens illa tam duplex Atomistæ unius, qui ab initio tuetur partes Cartesii, mox partes Maignani, & deinceps in priores relabitur?

Pazzius. Atomista fuit, mi Rocchi, qui talium Authorum mentes contrarias noverat: quare potuit quum vellet utrique authori patrocinari, quando Thomista modò se in illum, modò se in alium invehebat.

ROCCHIUS. Dic potiùs, mi bone Pazzi, Atomista fuit, & Atomista non fuit: & ideo fuit monstrum immane, ingens mentis fœtæ infinitis ac perpetuis contradictionibus. Qui stant à Maignano, eos esse vere ac religiose Atomistas quis nescit? eos verò qui stant à Cartesio, quomodo Palancus potest Atomistas vocare? sunt ne toto in orbe literario Philosophi, quibus magis atomi sint exosæ, ita ut nec nominentur quidem ab ipsis? nihil suis in opinionibus magis sacrum & antiquum habent, quàm divisibilitatem omnis materiæ in infinitum: hanc proclamant, hanc propugnant altiùs, fortiùs quàm Aristotelici soleant? Quare igitur Cartesiani potiùs quàm Aristotelici *Atomistarum* nomine donabuntur?

XXIII. Quales sint veri Atomistæ, & quales non sint.

PAZZIUS. Debuisses legere attente totum id quod Palancus à fronte dialogorum suorum ad Lectorem præfatur: & ibi comperisses rationem, qua permotus fuit ad hoc nomen Cartesianis imponendum; hanc videlicet quòd in ore passim habeant corpuscula, per quæ plerosque naturales effectus explicant; hæc verò corpuscula frequenter atomi vocantur; unde potuit Cartesianos, & *Corpusculatores* & *Atomistas* vocare. Authoris verba hæc sunt, *quo nomine* (Atomistarum) *omnes generaliter comprehendo in decursu operis sive Maignanistas, sive Cartesianos eò quòd corpuscula omnia atomi frequenter appellantur; quamvis divisibilia sint, ut vult Cartesius.*

XXIV. Cartesius non fuit Atomista.

ROCCHIUS. Certe, mi Pazzi, si Adam cunctis animantibus terræ, & universis volatilibus cœli ad se adductis non dedisset nomina magis convenientia, scriptum non fuisset. *Omne quod vocavit Adam animæ viventis, ipsum est nomen ejus*: nam hoc ideo scriptum est, quia *appellavit nominibus suis cuncta animantia & universa volatilia cœli & omnes bestias terræ*. Palancus autem Cartesianos minime vocavit *nominibus suis* quando *Atomistas* vocavit: & mirum in modum fallor, si quis eorum tam

Gen c. 2. 19. 20.

alieno nomine vocatus, putet ſe vocatum, multòque minus provocatum ad aliquam reſponſionem. Neque audiendum eſt quod ait Palancus corpuſcula, de quibus apud Carteſianos frequens ſermoeſt in explicandis Naturæ phænomenis, frequenter etiam *atomos* appellari: nam à quibus, ſi placet, ſic appellantur? à Carteſianis? nunquam: ab Ariſtotelicis? non aliter quàm abuſive aut per contemptum. Illi enim nihil magis cavent quàm quòd in mentem nulli veniat corpuſcula, de quibus loquuntur, atoma eſſe, id eſt, impartibilia, inſectilia eſſe: habent ſiquidem ſemper in conſpectu materiam ſub quacumque molecula corpuſculari capacem innumerabilium diviſionum. Iſti verò licet plane ſciant talia corpuſcula non eſſe atoma, nec pro talibus à Carteſio reputata, cum quo utique idem ſentiunt de materia in infinitum diviſibili, nihilominus *atomos* vocant.

XXV. *Atomiſtarũ* nomen aliis injurium eſt aliis honorificum.

Quod ſi fortè id agunt per ſolum nominis abuſum, qui uſitatiſſimus apud vulgus evaſit, ferendi ſunt: ſi per contemptum, culpandi; non ob id tantùm quòd cognomentum *Atomiſtarum* illud apud Carteſianos ſit injurium, quàm quòd apud nos ita ſit perhonorificum, ut doleamus quum audimus illud transferri ad ſectam hominum tam à nobis diſſentientium. Vis ut me magis explicem, mi Pazzi?

PAZZIUS. Volo plane: vel præſertim quia Scriptor hic noſter, ut non ſolet ullo termino abuti, ita neminem ſolet contemnere.

ROCCHIUS. Scriptor itaque veſter non negat plurima corpora eſſe molis inæqualis, & ab invicem differre per gradus plurimos magnitudinis & parvitatis: tum illa corpora, quando ſunt juſtæ ſeu notabilis magnitudinis vocari debere corpora, & quando ſunt juſtæ, ſeu notabilis parvitatis poſſe vocari corpuſcula. Sic ea vocant Carteſiani, ſic etiam vocant Ariſtotelici: utri-

que, sicut etiam universi homines, ut familiari exemplo utar, corpuscula vocant moleculas illas, quas videmus mille variis motibus, itibus, gyris, reditibus, spiris, incursibus intra radium luminosum moveri: sic etiam corpuscula vocant tenuissimas illas particulas, quæ è terra & aqua in vapores & exhalationes assurgunt: sic vocant minutias cujusvis detritissimi pulveris: sic tandem generaliter vocant quidquid minus proprie vocaretur corpus propter nimiam exilitatem, ad quam sive natura, sive ars, sive casus illud redegit.

XXVI. Qualiter Aristotelici vocari possint *Atomistæ*.

Atqui hæc & similia corpuscula, *atomi frequenter appellantur*, teste Palanco: quid igitur super est nisi ut inferam non potiori jure Cartesianos, quàm Aristotelicos vocari Atomistas posse? si videlicet nomen *atomi* abusive accipitur, ut apud vulgus, pro corporibus valde exilibus seu corpusculis, licet aliàs minorum divisionum capacibus. Si verò nomen *atomi* accipitur in sensu stricto ac rigoroso pro corpusculo minimo, ac proinde insectili, nos qui à Maignano stamus, soli sumus, qui vocari Atomistæ debeamus: de cætero melius erat, si Palancus neque res, neque personas istas tam confusè permiscuisset, ut permiscuit vocando illas nominibus non suis. Visne adhuc, mi Pazzi, ut hoc eodem spiritu, quo loquor, non intermisso conquerar apud te de alia rerum & personarum permixtione, quam longe acerbius fero, & ob quam premo altum corde dolorem.

PAZZIUS. Perge, annuo; voluissem tamen, ut dedisses mihi tempus interponendi consilium, quo te decreveram exhortari ad non ita de nominibus contendendum: nam quòd Cartesiani *Atomistæ* vocentur, aut non, quid interest?

XXVII. Maignanus non debuit numerari inter Cartesianos.

ROCCHIUS. Hoc satis nostrâ interest, si attendis; sed adhuc magis interest ut advertam non debuisse Palancum enumerare inter sequaces Cartesii & Maignanum &

In praef. ad Lect. me, ut enumerat quum ait, *His (qui pro ipso scriptis publicis decertarunt) accessit unus vel alter ex Theologia sacra Professoribus Catholicis, uti ex nostra Minimitana Familia RR. ac SS. P. Emanuel Maignan ejusque discipulus R. adm. P. Joannes Saguens*, &c. Quis hæc legens non illico crederet Maignanum raptum lectione Cartesii totum in illius mentem inclinasse, nec alio fine suam Philosophiam typis dedisse, quàm ut cum aliis pluribus Cartesii discipulis pro eo *scriptis publicis* decertaret. Hoc verò quàm falsum sit non dicam, quia id satis dicunt & probant Philosophica chronica, quæ Palanco non debuerunt esse ignota: ab illis utique didicisset Maignanum tam non fuisse discipulum Cartesii, quàm Cartesium Maignani. Legere potuit Maignani vitam à me scriptam, & ibi comperisset sæculum præteritum tria tulisse primaria ingenia, quæ in locis quidem valde dissitis, sed iisdem horis incumbebant elaborandæ Philosophiæ novæ, qua veterem abolerent, quia si aboleretur, id opinabantur profuturum veritati, ac præsertim rerum Physicarum, securiùs obtinendæ. Ea tria ingenia sunt Cartesius, Gassendus, Maignanus; sed omisso Gassendo, cujus nullibi Palancus meminit, redeo ad id, quod cœpi dicere Maignanum nihil omnino suarum opinionum à Cartesio accepisse.

XXVIII. *Maignanus fere in omnibus contradixit Cartesio.* Equidem Philosophia Cartesii prior in lucem venit, & Maignanus illam vidit; sed si tum in sua paulò post edita typis Tolosanis, anno 1653. illius bis aut ter meminit circa difficultates ad vim magneticam & elasticam attinentes, bis aut ter contradicit: & quod, si placet, notabis, mi Pazzi, quando eadem Maignani Philosophia typis aliis Lugdunensibus post unum alterumque decennium fuit edita, comparuit inprimis aucta dissertatione prolixissima Physico-Geometrica, qua Maignanus totam fabricam Mundi Cartesiani convellit, dum demonstrat falsitatem hypotheseon vorticum, quorum ope Cartesius putavit Mun-

dum ad hanc aspectabilem formam pervenisse, aut pervenire saltem potuisse. Itaque si per istas contradictiones meruit Maignanus haberi pro discipulo Cartesii, bene est; sed res est satis inaudita, si fortè sermo non est de discipulo rebellante, ut quondam fuit Aristoteles in Platonem.

XXIX. Cur Maignanus positus sit inter sequaces Cartesii.

PAZZIUS. Adhuc contendis de nomine, mi Rocchi: non latuit Palancum, quòd Maignanus Cartesium deseruit in multis; sed nihilominus ut daret locum Maignano inter sequaces Cartesii, satis ei fuit videre illum isti consentientem in negandis formis omnibus Aristotelicis, tum accidentalibus, tum substantialibus. *Hi ergo*, inquit loquens de te ac tuo Maignano, *licet in multis Cartesium deserant, cum eo tamen formas tam substantiales materiales, quàm accidentales omnes à proprio subjecto distinctas & consequenter accidentia realia, ut à cunctis Peripateticis antiquitus agnita negant & impugnant*, &c. Atque is est sensus in quo haud dubie licuit Palanco vos cum Cartesianis miscere, uti etiam vocare Cartesium *Atomismi Antesignanum*, ut alibi loquitur his verbis, *Et ulterius constat vestrum Cartesium, quem Atomismi Antesignanum omnes agnoscunt, prima rerum principia designare non potuisse*, &c. *Dial. 85. n. 702.*

XXX. Nullus verus Atomista militat sub Cartesio.

ROCCHIUS. Dele, si placet, mi bone Pazzi, τὸ *omnes*; & corrige *nulli*; nam prorsus nulli veri Atomistæ, ad quos pertinet nosse quem Antesignanum habeant, militant sub vexillo Cartesii: interroga illos, ætatem habent. Interim scias nullos esse præter eos, qui stant mordicus à Maignano, hac ætate Philosophos, qui ponant atomos rigorose acceptas, id est, veras atomos pro primis materialium rerum principiis. At verum istum ac proprie dictum Atomismum Cartesius horruit, Maignanus coluit: Authores sunt qui pro & contra in rebus istis ad veras atomos vel abolendas, vel retinendas spectantibus secum vexilla conferunt, & ex adverso pugnant pugnaci-

ter, & tunc adhuc cum Palanco poteris Cartesium vocare veri Atomismi Antesignanum? Non id sane inoffensâ veritate potes, inoffensâ proprietate rerum ac nominum.

XXXI. Cartesius falsò dictus est Antesignanus Atomistarum.

Sed neque Palancum juvat quod ait nos unà cum Cartesio negare pariter universas formas substantiales & accidentales, *ut à cunctis Peripateticis antiquitus agnitas:* hinc nos forsan Cartesianos vocare potuit; sed quid est isti cognomento commune cum vero Atomismo, quem Cartesius negavit, & cujus eapropter nemo, qui res clare videt & idonee vocat, illum vocabit *Antesignanum.*

PAZZIUS. At saltem concedis posse vos universos, qui Maignanum sequimini, Cartesianos vocari, ex hac saltem parte, quod convenitis omnino in negandis & impugnandis formis omnibus Aristotelicis.

XXXII. Quàm discordes sint Cartesiani ab Atomistis.

ROCCHIUS. Insanirem si concederem, mi Pazzi: Phrasis mea hæc est, *hinc nos forsan Cartesianos vocare potuit*, & tu non attendis ad insertam in ea particulam dubitandi. Audi jam meas rationes dubitandi non leves, unam & alteram. Primò sexcenta sunt Philosophica placita, in quibus sequaces hinc Cartesii, hinc Maignani toto cœlo discordant; unum est in quo concordes vidit eos Palancus: & hoc sibi sufficere putavit ad comunem nominis impositionem. Quis in Aristotelismo & in sexcentis pariter illius placitis discipulos S. Thomæ à discipulis Scoti dissentientes non videt; in uno tamen consentientes, scilicet in affirmandis formis, sicuti & nos consentimus in pernegandis. Igitur sicuti rideretur qui propter hoc unum aut fere unum, in quo illi Philosophi veteres unius sunt mentis, vellet omnes esse *Thomistarum* nomine designatos; ita continere vix risum potest, qui audit Maignanistas nominari Cartesianos, ob unicam aut fere unicam, in quam cum Cartesianis inclinant sententiam de formis Aristotelicis rejiciendis.

Secundò quoties duo Scriptores, ac præsertim coætanei,

nei, nihil opinionum suarum sibi mutuò debent, si quid in eis novi uterque adinvenerit, non est cur id potius uni quàm alteri, tanquam authori tribuatur: hujusmodi fuerunt Cartesius & Maignanus: simul sed seorsim Philosophiam meditabantur Aristotelica meliorem: in qua publici juris facienda, si quæ est Cartesii, prævivit annis admodùm pauculis, multi erant ac satis multi, à quibus suam Maignanus, adhuc ineditam, Romæ docuerat. Jam verò quid vis ut hinc inferam, mi Pazzi: quid mecum hinc inferre dignaberis. XXXIII. Cartesius & Maignanus scriptores coætanei.

PAZZIUS. Inferam, quod parum interest, sua singulis vestrûm dari aut relinqui nomina oportere: & à me quidem, nemo Maignanistarum deinceps Cartesianus, nemo Cartesianorum Atomista vocabitur, quandoquidem vis ac jubes tibi tuisque sacrum esse hoc *Atomistæ* cognomentum, de cujus erga ipsos omissione intelligo Cartesianos, deconquesturos non esse: sicque sine labore ullo utrisque vestrûm indulgebitur quod optatis. Neque rem tam facilem non indulsisset tibi Palancus, mi Rocchi, sed quomodò tuam hanc adeò delicatulam indolem poterat suspicari, ut te gravissime offensum putes ab eo qui te inter Cartesianos, vel Cartesium inter Atomistas innocenter locat? hoc certe est nimis Cartesianismum horrere, nimis Atomismum amare.

ROCCHIUS. Tu ita loqueris, mi Pazzi, quia nescis quantùm intersit, quod tam nomina nostra, quàm res nostræ tractentur seorsim à rebus & nominibus cæterorum. Atque ut hac horâ tecum fiducialiter agam, intelliges ex præmisso intervallo pene infinito, quod est inter eos qui Cartesio adhærent, & eos qui abeunt post Maignanum, sive quod idem est, inter veros Cartesianos & veros Atomistas, esse mihique tibique nihil deinceps tractandum ex omnibus, quæ in suis dialogis Palancus aut impugnat, aut propugnat contra Cartesium, quia non sumus de fal- XXXIV. Non fiet hîc sermo nisi de rebus ad Maignanum spectantibus.

ſo illo genere Atomiſtarum, quos in Carteſio vidit & confodere in eo voluit. Hac via clarum eſt quantùm tuus mecum colloquendi, & meus noſtra hæc colloquia ſcribendi labor minuitur: ſi quid ab eo ſcriptum eſt contra nos directe, propter quod cogitas de reverſione ad Ariſtotelem, hoc unum à te opponendum erit, à me refellendum, ſicque multò citius noſtra concertatio ad laudem Ariſtotelismi aut Atomiſmi, prout alter noſtrûm vicerit, abſolvetur. Et rurſus nunc longe magis quàm antè intelliges proceſſurum multò clarius ac forſan feliciùs fuiſſe Palancum in ſua dialogorum Hecatontade, ſi non ſic res & perſonas Philoſophorum ſibi tam aperte, ac fere in omnibus contradicentium confudiſſet.

XXXV. Qualiter Palancus gerere ſe debuiſſet in ſuis dialogis

Ecce tandem, mi Pazzi, ſi placet audire, modum quo ſeſe gerere in ſuis dialogis Palancus debuit. Noverat Ariſtotelismum ex univerſis Galliæ, ex multis Italiæ Provinciis repulſum, extorrem Atomiſmo regnante: quod infortunium ſatis patienter ferebat; ſed ut vidit Atomiſmum in Hiſpaniæ Provincias etiam irrepentem ad regnandum ibi ut alibi, ferre diutius illud non potuit, mihique videor audire illum ad ſuos converſum his verſibus Virgilianis.

Arma viri ferte arma, vocat lux ultima victos:
Reddite me Danais, ſinite inſtaurata reviſam
Prælia, non omnes hodie moriemur inulti.

Et ei quidem pulchrum ac decorum fuit involare ad arma pro veritate quam præſumebat, & quam extinctum iri timebat in Academiis Hiſpanicis, quando è contra cœperat exoriri. Generoſum etiam fuit inſilire in eos, à quibus fortiùs impetebatur Ariſtotelismus jam deſperationis pleniſſimus, inſilire aio in Carteſium & Maignanum; ſed inconſultum fuit eos non aggredi ſeorſim ut de uno

alteroque faciliùs triumpharet: quomodo non potuit, ut debuit, suos dialogos bipartiri? pugnare in primis contra Cartesium, & eo victo dimicare in sequentibus adversùs Maignanum, seligendo sibi duos collocutores, qui bene nossent, ille res Cartesii, & iste res Maignani.

PAZZIUS. O quàm rapide loqueris, mi Rocchi, quàm fuse de meris nugis! Nugas voco, quia non respiciunt, nisi formam à Palanco in suis dialogis institutam: in qua licet peccasset, quid interest? modò non peccaverit in eorum materia: sive in demonstrationibus, quas ibi affert pro suis Thomisticis adversùs Atomisticas opiniones vestras: istæ omnes demonstrationes mihi probantur & me coëgerunt ad Aristotelismum meum reverti; tibi è contra non probantur, nec ab Atomismo tuo, ut aïs, vel transversum unguem te dimoverunt. De istis demonstrationibus agitur: at de illarum circumstantiis quibuscumque inter nos, si placet, inposterum non agatur. Quid ego & tu quærimus in his nostris colloquiis? veritatem: hæc igitur una sit colloquiorum nostrorum materia: jamque ut verum fatear, impatiens sum pugnandi cum Palanco pro formis Aristotelicis & consequentiis earum contra vestras atomos & earum consequentias, quas antehac non videram tam contrarias plerisque fidei christianæ mysteriis. Igitur determína tempus & locum ineundæ vicissim disputationis. XXXVI. Opponitur Palancum saltem non peccasse in materia dialogorum.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, hanc mihi gratiam indulge, ut utrumque pro tua voluntate indicas. Tantùm patere ut pro candore meo aperiam tibi cogitationem, quæ hoc ipso temporis puncto meæ menti se offert. Intererat, ut bene meministi, jam sunt anni decem, nostris circa opus dogmaticum Gennari adversùs atomos redivivas dialogis doctissimus & amicissimus noster Philalethes: si fortè vellet interesse hodiernis & eos, ut solebat cæteros, moderari, an non tibi pergratum foret?

XXXVII. Philalethes constituitur judex futuræ omnis contentionis

PAZZIUS. Pergratum ac perhonorificum plane. Atque hinc opto ut intelligas quanta doctrinæ Aristotelicæ fiducia valeam apud Palancum; nam memini Philalethem non magis quàm te permotum olim fuisse argumentis Gennari pro illa certantis adversus atomos redivivas, unde contigit ut ab illo colluctationis nostræ palmam retuleris. Sed hodie video in his physico-theologicis Palanci dialogis genus aliud argumentorum & authoritatum ita urgentium, ut minime dubitem, quin si me patienter audieritis, id est, Palancum ore meo loquentem, sitis illico formas nostras amplexuri, & atomis vestris dicturi æternum vale.

ROCCHIUS. Amo fiduciam tuam, mi Pazzi; sed habemus, ut nosti, nostrum optimum Philalethem ruri agentem. Quid agemus?

PAZZIUS. Et hoc novi, quòd adhuc ruri aget per dies quindecim: etiam hoc novi, quòd pro liberanda fide cras ad illum iturus sum, & apud eum mansurus, & non sine illo rediturus. Itaque tradam ei legendos hosce novos Palanci dialogos, & unà ex me audiet quidquid consilii circa illos iniimus: audiet, polliceor, tam singulatim ac si præsens adfuisset.

ROCCHIUS. Bene omnino est, neque jam superest nisi ut te onerem salute multa, quam optimo Philalethi, ex me nunciabis.

PAZZIUS. Nunciabo hilariter: jamque nox imminet, abeo: vale mi Rocchi.

ROCCHIUS. Vale millies mi Pazzi.



DIALOGUS SECUNDUS.

QUAM MALE SENTIANT ARIStotelici de Materia prima.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

PHILALETHES. Suadebat temporis serenitas, suavissime Rocchi, ut præter quod constitueram, ruri diutiùs agerem; sed noster Pazzius dissuasit accendendo in me novum ardorem audiendi vos colloquentes rursus de vestris hinc formis, hinc atomis, & de consequentiis ad eas pertinentibus respective. I. Proponitur non agere, nisi de rebus atomisticis.

PAZZIUS. Noveram, mi Rocchi, pergratum tibi fore, si quanto citùs perficeremus quod proposuimus: quare nihil omisi quo eriperem nostro sapientissimo Philalethi diutiores ruris delicias.

ROCCHIUS. Ego verò quàm impatienter tulissem moras longiores non dico: id intelligite, Domini mei, ex aviditate, quæ me totum occupat audiendi qui sint sermones, quos per tot dies ac noctes invicem contulistis de novis istis dialogis R^mi^ P. Palanci; sed adhuc me major urget cupido sciendi ex te, optime Philalethes, an tibi probetur & pro consulto habeatur quod ambo decrevimus eos contentionibus nostris subjicere circa res unice ac vere atomisticas, omissis cæteris.

PHILALETHES. Erit mihi res ardua tot sermones, tot eorum occasione natas meæ mentis è sinu cogi- II. Narratur delatio ju-

dicii ferendi prosecuturis contentionibus. tationes in epilogum brevem contrahere: efficiam tamen ut in narratione ista non sim prolixus, ne remora ulla fiat ardori hodiernæ inter vos disputationis. Itaque scias, mi Rocchi, Pazzium nostrum, totum plane lætabundum ad me his nuperis diebus detulisse novos illos dialogos Physico-Theologicos Palanci, mihique jurasse se propter illos resiliisse ab opinionibus atomisticis, quas tandem illi olim suaseras, quando contra te, ac coram me pro Gennaro certabat, id est, pro libro illo dogmatico, quod Gennarus pro formis Aristotelicis scripserat *adversus atomos redivivas*; jurasse se, inquam, cum spe, aiebat, & proposito in opiniones tam pravas nunquam ampliùs recidendi. Tum quoties licuit vacare recessui & otio, nostra dialogorum illorum lectio non intermittebatur, nisi aut per notas quas in libri margine apponebat, aut per interpellationes, quibus à me requirebat assensum, vel etiam admirationem rationum, quas Author pro sua causa passim ingeminat. Ego verò constanter ab omni assensu & admiratione abstinui; reputabam enim me deinceps longe consultiùs assensui & admirationi daturum quidquid deberem, quando vestris pugnis interessem, & rogarer de illis mentem, in quam hinc aut inde iturus sum.

III. Profitetur Judex se nullo præjudicio laborare in rebus contendendis.

De cætero autem nihil contentionum, quas jamdiu propter Gennarum sustinuistis, colui, nihil retinui, avocantibus me aliò studiis meis: tempus magis edax memoriarum quàm rerum delevit vestigia plane omnia, quæ illæ contentiones vestræ impresserant: quare fingite me rursus, si placet, tabulam rasam: in ea de novo pingite formas aut atomos; habetis in me caput ab universis præjudiciis liberum; & eapropter non inclinaturum nisi ad eam, quam alter vestrûm clariùs demonstraverit, opinionem. Neque vis haud dubie, mi Rocchi, ut hîc referam cætera, quæ mihi Pazzius noster narravit, tum disputata,

tum conventa inter vos fuisse, quando de novis illis Palanci dialogis cepistis colloqui; satis est si te monuero ea generatim ac sigillatim mihi perinde nota esse ac si vestro illi anticipato colloquio adstitissem. Unum est, quod Pazzius, nisi fallor, omisit in relatione illius; omisit enim referre seriem singularem materiarum, quas proposuistis in utramque partem agitare in futuris vestris concertationibus; in quibus dissimulatâ causâ Cartesianorum illa tantùm movenda est, quæ Atomistas ab Aristotelicis dividit, seu qua Maignanus ab Aristotele se divisit.

ROCCHIUS. Quin imo nihil hac in re omisit Pazzius; etenim de industria tibi, siquidem Agonothetæ nostro, reliquimus potestatem omnem seligendi ac distribuendi materias concertationum nostrarum.

PAZZIUS. Sed nec ulli æquiùs quàm tibi reservari potuit hæc potestas, optime Philalethes; quare jam inter nos ad nutum & ad arbitrium tuum pugnabitur.

IV. Statuitur ordo materiarum quæ in contentionem venient.

PHILALETHES. Votis vestris obtempero, Domini mei, & declaro esse hoc maxime in meis, ut ope vestra resciam ab initio, utri vestrûm, Aristotelistarum aio, & Atomistarum, meliùs sentiant de materia prima; tum ad formam substantialem sermo convertetur: hinc ibitur ad formas accidentales generatim; tum ad aliquas particulatim: atque hinc procedetur ad consequentias opinionum magis adversantium aut faventium fidei: novi enim hoc esse quod ab Aristotelicis summe contenditur, opiniones atomisticas non esse idoneas ad ea, quæ sunt fidei explananda. Cæterum constat non posse fidem per opiniones, quibus inest falsitas exponi: hanc inesse opinionibus Aristotelicis Atomistæ clamant. Quid opus facto? Res, de quibus hîc magis litigatur, materiales sunt: quales ergo Philosophi possint de illis meliùs opinari, nisi qui de materia prima meliùs opinantur?

PAZZIUS. Et ideo Palancus maxime totus fuit in

V. Opponitur Atomistas non pollere Metaphysicâ. ſtabilienda vera notione materiæ primæ: ac præſertim quando & quoties invictè demonſtrat atomos elementares, quamvis darentur, non eapropter fore prima rerum naturalium principia, quia non eſſent prima illarum materia, uti neque prima illarum forma: ſiquidem & ipſæ atomi ex materia & forma fierent; & quod utique adverterent, ut ait, Atomiſtæ, ſi ut ipſi pollerent Metaphyſica, per quam id advertunt, & ſi non tam craſſi eſſent, ut ſunt in rebus phyſicis. Audite, ſi placet ipſius verba. *Deberent etiam non negare diſtinctionem & compoſitionem* Dial. 60. n. 521. *realem & veram actûs & potentiæ, ſubſtantiæ & accidentium, quæ Metaphyſicus advertit, & quæ merus & groſſus Phyſicus penetrare nequit: & non quæ ignorant, quia pure ac groſſe Phiſici ſunt, blaſphemare in Peripateticis, qui Metaphyſica pollent, & per illam ut ſubalternantem regulati, Phyſicam firmam & ſolidam ſubtiliſſimeque exponunt, altiùs & profundius illius principia conſiderantes, non quidem in minimis illis corpuſculis ſiſtendo, ſed in illis etiam advertendo materiam & formam tanquam altiora principia, ex quibus conſtant tam ipſa corpuſcula, quàm omnes ſubſtantiæ materiales.* Et hæc eſt una demonſtratio è multis, quas alibi profert ad repellendam à corpuſculis minimis ſive atomis, ſi quæ eſſent, veram notionem materiæ primæ. Vis aliam, mi Rocchi; ejuſdem generis?

ROCCHIUS. Audiam libenter.

VI. Proponitur demonſtratio contra Atomos. Dial. 60. n. 518. & 519. PAZZIUS. Audi Palancum ita loquentem. Vos ô Atomiſtæ *Nullam diſtinctionem realem & phyſicam, aut ſimilem compoſitionem advertitis veſtro craſſo & rudi philoſophandi modo ſenſibus nimis affixo, niſi ex corpuſculis, aut inter corpuſcula vel atomos: & cum in his diſtinguendis pervenitis ad minimum, ſive ad minimas atomos, creditis jam inveniſſe prima rerum principia & totius Philoſophiæ primordia, non conſiderantes quòd ſi illa vere ſint*

entia

entia corporea, seu vera substantia, debeant esse adhuc ex actu & potentia composita, potentiales & perfectibiles, mutabilesque intrinsece per accidentia & quod illis etiam convenire debeat quidquid vere & realiter competit omni substantiæ materiali creatæ, titulo talis, nempe esse compositam ex materia & forma, ex essentia & esse, esseque potentialem adhuc & perfectibilem per formas & modos accidentales. Pergit. *Nos autem ad rerum veritatem veramque intelligibilitatem attendentes magis quàm ad merum sensum & imaginationem illumque grossum modum sensibus & imaginationi affixum contemnentes, intellectu potiùs quàm sensu utentes subtiliùs rerum essentias indagamus, advertimusque in omni ente naturali creato esse veram compositionem ex essentia & esse, ex substantia & accidentibus, quia illam advertimus potentialem, perfectibilem mutabilemque intrinsece.* Habes hîc, mi Rocchi, demonstrationem alteram quam rogasti.

ROCCHIUS. Si tertiam ejusdem generis habes ad manum, affer, si placet; eo fine ut si forte insolubiles non sunt, una sit trium solutio.

VII. Proponitur alia demonstratio contra atomos.

PAZZIUS. Dixerat Palancus paulò ante, *Ultra compositionem ex particulis & atomis extensionem facientibus, quæ certe repugnat Angelo, nos intelligimus compositionem realem ex essentia & esse, ex substantia & accidentibus, tanquam ex potentia & actibus ejus; & hoc modo creaturam spiritualem compositam esse dicimus.* Quibus verbis clare demonstratur, quòd si etiam in Angelis est compositio realis ex essentia & esse, ex substantia & accidentibus, quanto magis reperietur hæc compositio realis in atomis; quomodo igitur erunt prima principia componentia, quando ipsæ ex prioribus aliis principiis componuntur? Habes hîc, mi Rocchi, tres unius generis demonstrationes, quas audire voluisti; solve si potes.

ROCCHIUS. Imo, mi bone Pazzi, quomodò in

iiſdem verbis ter repetitis poteſt eſſe, ſi quæ tamen eſt; niſi demonſtratio una ter repetita? & rurſus ſi quæ in illis eſt, adhuc quærenda eſt, quia latet: aut certe non patet ſub forma valde ſplendida.

PHILALETHES. Anno in demonſtrationibus formam quæ ſeſe offerat, quæ niteat, rapiatque mentem; & ſane quomodo veritas, quæ adhuc latet, aſpici poteſt & laudari pro demonſtrata? quare maluiſſem audire à Pazzio brevem unius demonſtrationis formam, quam adeò longam demonſtrationis non unius materiam: & ideo mi Rocchi, vel tu redige, vel redigat ille in formam demonſtrativam verba quæ retulit.

VIII. Elucidantur præſumptæ demonſtrationes.

ROCCHIUS. Has partes cum bona tui, Pazziique noſtri venia mihi aſſumo, & experiri volo an ſatis aſſequar mentem Authoris, quamvis ſim unus eorum, quos vocat *meros & groſſos Phyſicos, ſenſibus nimium affixos, Metaphyſicam ignorantes*, &c. tum ſi forte non aſſequar, Pazzius eam mihi dignabitur aperire. Ecce itaque formam demonſtrativam trium textuum præmiſſorum. Vos Atomiſtæ qui eſtis meri, groſſi & craſſi Phyſici, qui philoſophandi modum habetis nimis affixum ſenſibus, qui Metaphyſici non eſtis, qui blaſphematis in Peripateticis quæ ignoratis &c. non videtis in atomis veſtris niſi atomos. Nos qui Metaphyſica pollemus, per quam ſubtiliùs, altiùs, profondiùſque indagamus rerum eſſentias, & qui ad hoc magis utimur intellectu quàm ſenſu, videmus in veſtris atomis multiplicem compoſitionem ex eſſentia & eſſe, ex potentia & actu, ex ſubſtantia & accidentibus. Igitur veſtræ atomi ſunt compoſitæ, & ideo non ſunt prima rerum Phyſicarum componentia.

PHILALETHES. Reſcinde, ſi placet, mi Rocchi contumelias illas à majori, & jactantias iſtas à minori propoſitione talis demonſtrationis, cui utique vim nullam afferunt.

ROCCHIUS. Imo vim illi afferunt multam istæ falsæ in jactantiæ, nam nisi Aristotelici, homines fide digni, affirmarent se videre in nostris atomis compositionem multiplicem, quis crederet? ex hoc autem quòd id affirment ita jactabunde, quis non movebitur ad credendum rem ita esse? ecce igitur demonstrationem illam sub forma breviori. Illa entia quæ in se admittunt multiplicem compositionem non possunt accipi pro primis componentibus. Atqui vestræ atomi admittunt in se multiplicem compositionem; quam utique, ut aïunt, nos videmus, propterea quòd magis utimur intellectu quàm sensu, subtiliùs quàm vos altiùs profondiùsque indagantes rerum essentias. Igitur vestræ atomi non possunt accipi pro primis componentibus. Placet ne tibi, mi Pazzi, forma hæc demonstrationis? IX. Aristotelici aiunt se videre compositionem in atomis, ubi nulla est.

PAZZIUS. Placet admodum.

PHILALETHES. Mihi verò admodum displicet: neque audivi aliquando tale genus demonstrationis, ubi proponitur credendum quod incumbit probandum. Sed neque puto Palancum voluisse, ut Atomistæ crederent quod aïebat de illa multiplici compositione atomorum vestrarum: illam vidit, quid inde, nisi efficiat ut vos etiam videatis? nam quid est veritatem aliquam alicui demonstrare, nisi efficere ut veritatem illam nunc primùm videat quisquis ille est, qui antea non videbat?

ROCCHIUS. Et nihilominus constat Palancum hanc ab Atomistis fidem exegisse: ac forsan quia novum illud dialogorum genus novum hoc demonstrandi genus requirebat exigere fidem, tacere rationem. X. Vis demonstrationis non pendet nisi à ratione.

PAZZIUS. Audi mi Rocchi, ne te crucies hac in re. Noverat ab Atomista suo Palancus vos Metaphysicam ignorare *Quid ni dicam*, verba sunt Atomistæ collocutoris, *quòd ego Metaphysicus non sum, sed mere Physicus, & de his quæ Metaphysica tractat non respondeo, quia ea* Dial 60. n. 522.

non didici. Hinc intelligebat nihil vobis esse profuturas rationes, quas ad vestram convictionem afferret ex Metaphysica: & ideo desiderabat ut crederetis ea quæ prudenter omittebat probare. Quare sic excipit præmissum
Ibidem. Atomistæ sui responsum, *ô utinam omnes vestri ita responderent, & cum subordinatione ad eos qui Metaphysica pollent, & per eam profunda & altiora Philosophiæ principia quàm vestras atomos explicant: nam sic sane controversia cessaret.* Pergit, *sed probe scis audaciores vestros esse, ut Aristotelicis Metaphysicam profitentibus subordinari velint.* Quem excessum audaciæ postea sic redarguit, *Cur ergo*
Ibidem n. 523. *qui meri Physici estis, non debeatis credere & subordinari eis, qui Metaphysicam profitentur?*

XI. Opponitur Metaphisicam docere compositionem atomorum.

In quibus verbis latet hic discursus: Philosophi qui non pollent Metaphysica credere debent iis qui Metaphysica pollent, scilicet in rebus quas per Metaphysicam didicerunt: sed Atomistæ non pollent Metaphysica, Aristotelici autem pollent Metaphysica; igitur illi credere debent istis, scilicet in rebus quas per Metaphysicam didicerunt. Hinc subsumitur. Atqui per Metaphysicam didicerunt compositionem illam multiplicem atomorum: igitur Atomistæ credere debent illam compositionem multiplicem Atomorum, & ideo ab atomis removere notionem primorum componentium, quæ utique si sunt prima componentia, non sunt composita.

PHILALETHES. Deserite, si me amatis, Domini mei, res id genus ridendas: junior fui, etenim senui; nec nisi hac prima vice audivi Philosophos, quorum alii ab aliis fidem postulent circa opiniones, de quibus contendunt: nullas adhuc audieram demonstrationes, per quas postularetur assensus, & non potiùs cogeretur. Sed jam magis philosophice inter vos agite: agitate magis seriò rem præsentem, quam si videtur, in hunc modum bipartiar.

Primò disquiratur an revera comperiretur in atomis, si quæ essent, illa multiplex compositio, quam objicit Palancus: ac tum secundò discutietur an hujusmodi compositio, quæ in illis comperiretur, impediret quominus accipi pro primis componentibus materialibus, id est pro materia prima rerum istarum materialium sensibilium corporearum, de quibus vestra hæc jurgia sunt instituta. Cæterum si bene memini textuum, quos Pazzius noster modò referebat, vides, mi Rocchi, compositionem illam ab Authore insinuatam triplicem esse: nam illæ Atomi *primò* componerentur ex essentia & esse: *secundò* ex potentia & actu: *tertiò* ex substantia & accidentibus. Deinde verò præfatus Author in locis mox relatis triplicem illam compositionem minùs probet, quam optet bona fide recipi ab Atomistis in verbo suo; nihilominus illam alibi satis probat, idque præsertim, ut recordor, ex discrimine quod necesse est esse inter eas increatum & creatum: equidem non occurrunt memoriæ meæ textus id probantes; sed extant tamen. XII. Qualiter disquiri debeat compositio atomorum.

PAZZIUS. Extant sane permulti; & illos habeo in promptu: jube ut referam.

PHILALETHES. Referes eos, quum oportunior occasio referendi sese obtulerit. Interim pergo, & ut nihil dissimulem dico me nequaquam alienum esse ab hujusmodi compositione triplici admittenda in atomis: neque diffido, mi Pazzi, quin pariter Rocchius eam in atomis suis videat, ex quo cepetis illi aperire oculos per claram expositionem talis doctrinæ. Agite inter vos. XIII. Non repugnat in atomis compositio Metaphysica.

ROCCHIUS. Agam igitur tecum, mi Pazzi, per interrogationes sequentes. Quid, si placet, intelligit Palancus per compositionem ex essentia & esse? finge me unum ex Atomistis illis, si quis tamen ex illis vel unus est, qui Metaphysicam nesciunt aut non curant.

PAZZIUS. Audi, si placet, hanc demonstrationem,

ex qua eruetur responsum, quod quæris. Sic loquitur Pa-
Dial. 85. n. 703. lancus. *Sed ecce ego potius evidenter demonstro, nihil nisi compositum, creatum esse posse. Etenim nihil creari potest nisi recipiendo & participando suum esse à suo Creatore. Atqui ens participans & recipiens suum esse à Creatore, necessariò est compositum ex recipiente & participante esse & ex ipso esse tanquam ex actu & potentia. Ergo implicat aliquid esse creatum nisi compositum ex essentia & esse.* Pergit & hanc ipsam demonstrationem profert sub breviori forma his verbis. *Ens cujus essentia est suum esse, creari non potest: ergo solùm creari potest ens, cujus essentia non sit suum esse. Sed hoc necessariò est compositum ex essentia & esse: ergo creari non potest nisi ens compositum ex essentia & esse.* De qua demonstratione addit Palancus valde confidenter. *Hæc, mi Atomista, est demonstratio, si ulla est in tota Metaphysica.*

XIV. Quid sint ens increatum & creatum.

ROCCHIUS. Sed, mi bone Pazzi, ad quid valet hæc demonstratio nisi ad stabiliendum loquendi modum, qui apud vestros Metaphysicos multo in usu est; sed qui si alte ac profunde inspicitur, falsus est, & occasio esse potest errandi circa res Physicas; imo fuit occasio Aristotelicis errandi circa illas frequenter. Communis hic est modus loquendi, quo Metaphysici omnes utimur, ut ad notandum discrimen entis creati ab increato dicamus istud irreceptum & imparticipatum esse, illud è contra receptum & participatum, quia videlicet ens creatum, ab alio utique creatum est, quia nihil creare se ipsum potest; & sic ens creatum ab increato creatur: ens autem quod increatum est, à se uno est quidquid est, & semper fuit quidquid est; quia si non fuisset ab æterno quidquid est, numquam id fuisset; quandoquidem sibi dare non potuisset quod non haberet; sed neque id recipere ab alio potuisset, quia sic non increatum, sed creatum fuisset, contra hypothesim. Itaque ens increatum, quod est Deus,

totum suum esse habet à se, & essentialiter quidem habet à se, ob id quod nunquam potuerit totum esse quod habet, aut non habere, aut à se non habere. Ex adverso autem ens creatum, totum esse quod habet, à Deo habet; quin etiam accidentaliter habet; potuit enim Deus non educere illud è nihilo, id est, potuit non creare.

XV. Afferuntur duæ notiones entis creati.

Hinc in notionem entis creati duæ istæ notiones ingrediuntur, scilicet subjecti recipientis suum esse à Deo, & hujus esse recepti in subjecto illud recipiente: quam compositionem ex subjecto recipiente & esse recepto vocant Metaphysici compositionem *ex essentia & esse*. Et ratio illam sic vocandi hæc fuit; quia Metaphysici distinguendo res ab essentiis rerum, sic passim loquuntur dicentes res quidem omnes in tempore à Deo fuisse productas; sed earum essentias & improductas & improducibiles fuisse, si quidem æternas, invariabiles, immutabiles: hinc quando aliqua res de novo producitur, rursus concipiunt essentiam illam quæ ab æterno erat, recipere istud esse quod de novo producitur, & ideo cum illa jungitur. Placet ne tibi, mi Pazzi, hæc Metaphysica, tam nostra, Deo sic volente quàm vestra; nec à nobis minus quàm à vobis, quoties ordo notionum id postulat, usurpata.

PAZZIUS. Placet quod nobiscum loquaris; sed non placet quod nobiscum non sentias: videris enim jam satis insinuasse compositionem illam ex essentia & esse, compositionem esse duarum notionum & non duarum rerum. Nos autem hîc intelligimus duas res: aliàs compositio quæ fieret ex illis, non esset realis; esset igitur chimærica: esset igitur nulla contra hypotesim.

XVI. Non sunt confundendæ res cum conceptibus rerum.

ROCCHIUS. Doleo admodùm quòd sic confundas res & conceptus rerum; neque volo quidquam omittere ut hîc advertas errorem primarium, unde alii apud vos pene infiniti enati sunt. In exemplum veniat Angelus, qui totum suum esse, sicut loqui solemus, recepit à

Deo : & jam à te rogo quænam sit illa res, quæ recepit esse illud angelicum productum: nam si quod recipitur est una res, & subjectum recipiens est alia res, è duabus unam habemus in esse angelico producto & rece po, aliam tuum est assignare quæ recipiat istam. Assigna igitur.

PAZZIUS. An non tu dixisti, mi Rocchi, Angelum esse qui totum suum esse recepit à Deo? Angelus est qui recipit, & esse Angeli est id quod recipitur: quid ultra quæris? an non habes hîc rem unam recipientem, & alteram receptam?

ROCCHIUS. Sed tu, mi bone Pazzi, non advertis quòd Angelus qui nondum est, recipere suum illud esse non potest: at non est, antequam suum illud esse receperit: tam id quod non præexistit, non potest recipere, quàm id quod non præexistit non potest dare.

PAZZIUS. Equidem id non advertebam: jamque tecum consentio non posse personam Angeli esse id quod recipit esse Angeli; sed erit perinde si Angeli essentia, quæ ab æterno est, recipiat esse Angeli: siquidem essentia illa recipiens erit res una, & esse quod recipitur, erit res altera.

XVII. Compositio quæ in Angelo est, realis non est.

ROCCHIUS. Sed iterum non advertis, mi Pazzi, quòd esse quidem Angeli est res producta; sed essentia Angeli non est pariter res producta: imo ex sua notione improducta, atque improducibilis est, quatenus ab æterno est. Igitur quando componis Angelum ex essentia recipiente, & ex esse producto ac in ea recepto, componis utique illum ex re una non producta, & ex alia producta; atque ita illum non componis ex duabus rebus distinctis; quare jam plane constat compositionem illam à te præsumptam Angeli non esse realem. Neque jam si ab Angelo transeamus ad atomum, aliter discurrendum erit: nam essentia atomi, licet intelligatur instar rei, non est tamen res quæ recipiat esse atomi; atque ita composi-

tio

tio *ex essentia & esse* in atomo non erit compositio realis, licet aliàs objectiva & intelligibilis, resultans hinc ex re, illinc ex non re, sed quæ nihilominus instar rei concipitur.

PHILALETHES. Noli addere plura, mi Rocchi: totum quod ais in aperto est; ac plane gaudeo quòd semper senserim apud me non esse habendam pro reali in ullis entibus creatis compositionem illam *ex essentia & esse*: in quem sensum nunc longe magis quàm antè inclino propter rationes quas adduxisti.

PAZZIUS. Me quoque moverent rationes illæ, nisi obstarent authoritates, quas ex D. Thoma profert Palancus. Audiamus D. Thomam sic loquentem. *Hoc est contra rationem facti, quòd essentia rei sit ipsum esse ejus, quia esse subsistens*, scilicet subsistens per se & essentialiter, *non est esse creatum.* Ac deinde clariùs, *Est autem de ratione causati quòd sit aliquomodo compositum, quia ad minùs esse ejus est aliud quàm quod quid est*: at per ista verba *quod quid est*, intelligit S. Doctor essentiam. *Dial.* 85. *n.* 704.

XVIII. Essentia & esse non sunt duæ res distinctæ & productæ.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, propter istas authoritates discedere deberes à sententia, qua credis compositionem *ex essentia & esse* realem esse: etenim si realis esset, non dixisset S. Doctor, *est autem de ratione causati quod sit aliquomodo compositum*, sed dixisset, quòd sit realiter compositum; quod tacuit, quia in essentia & esse non agnovit duas res distinctas & productas: agnovit unam productam, & aliam non productam, atque ita non rem, licet instar rei conceptam. Sed jam, Philalethe noster ita jubente, vertatur sermo ad aliam compositionem, quam esse pariter asseris in omni ente creato, scilicet ex potentia & actu; & unde adversùs atomos, si quæ forent, pariter infers eas, siquidem ita compositas, admitti pro primis componentibus non posse, id est pro prima rerum corporearum materia.

PAZZIUS. An etiam contendis, mi Rocchi, hanc compositionem ex potentia & actu non esse realem? patere ut te interrogem his verbis Palanci, ***Substantia creata est ne, vel potest esse actus purus nullo modo potentialis, nec actuabilis? Item est ne summe simplex, ita quòd nullo modo sit composita?*** Hoc certe mihi nunquam suadebis scienti solum Deum esse actum purum, & eapropter omnem creaturam, nedum materialem, sed etiam spiritualem habuisse antequam produceretur potentiam ad actum quem obtinuit, & adhuc potentiam habere ad varios actus, per quos mutari potest & perfici.

XIX. Compositio ex potentia & actu non est realis.

ROCCHIUS. Ego verò miror, mi Pazzi, quomodo ex jam dictis non es convictus tam in ista quàm in præmissa compositione nihil esse realitatis, vel præsertim quia ista eadem est ac illa mutatis terminis. Substantiam itaque omnem creatam, nedum materialem, sed etiam spiritualem ais esse realiter compositam ex potentia & actu: neque ab illa compositione, ut ais, reali magis eximis unum Angelum, quàm unam Atomum. Primùm loquamur de Angelo, in quo, si quæ est hujusmodi potentia, de qua loqueris, quæro an illa potentia sit res creata?

PAZZIUS. Certe si creata non esset, utique non esset; quia præter ens increatum, quidquid est, creatum esse necesse est.

ROCCHIUS. Rursus si potentia illa est res creata; quæro an hæc res sit actus purus.

PAZZIUS. Jam dixi Deo uni convenire notionem hanc actus puri: & inde oritur necessitas admittendi aliquid potentialitatis, seu perfectibilitatis in omni ente creato.

XX. Potentia & actus non possunt conjungi.

ROCCHIUS. Hinc concludo rem illam quam vocas *potentiam*, componi ex priori potentia, & ista rursus, si vere foret res creata, ex alia potentia præcedente componeretur: sed quod adhuc magis repugnat, cùm nullum

sit ens creatum, quod non sit compositum, ut ais, ex potentia & actu, illa ipsa res creata, quam *potentiam* vocas, componeretur ex potentia & actu: vide autem, mi Pazzi, quomodò possit ingredi actus in compositionem potentiæ. Imo si attenditur propiùs veritas rerum ut se habent in se ipsis, non est possibilis casus, in quo conjungatur potentia cum actu, respectu cujus est potentia: etenim accedente actu jam non est potentia ad actum, & ita nihil ex potentia & actu respectivis potest componi. Deinde omnis potentia est potentia alicujus rei, scilicet in ordine ad actum quem res illa potest recipere: igitur falsò supponitur rem omnem constare ex potentia & actu; siquidem prius est esse rem quàm potentiam rei: & similiter omnis actus est actus alicujus rei: unde prius est rem esse quàm actuatam esse: quomodò igitur potest constare res ex potentia quæ nondum est, & ex actu qui pariter nondum est?

XXI. Res & conceptus rerum non eodem modo se habent.

Hinc intelligere mecum debes, mi Pazzi, res naturales aliter se habere in se ipsis & aliter in conceptibus nostris: nam nos quidem in omni re naturali concipimus potentiam qua possit perfici, & actum per quem perficitur; sed nihilominus illa potentia & iste actus non sunt duæ res: cum non sint nisi duo conceptus unius rei naturalis, quæ à Deo producta supponitur. Sic Angelus est una res, in qua considerare possumus & essentiam & esse, ut supra; in qua iterum consideramus & potentiam & actum, quum volumus: sed quòd *essentia, esse, potentia & actus* sint res quatuor Angelum componentes, quis inter Physicos credet, licet inter Metaphysicos sic loquatur: & si ab Angelo itur ad atomum, tam parum realiter atomus quàm Angelus ex quatuor rebus illis componitur, seu potiùs ex illis non rebus instar rerum conceptis. Habet Angelus à Deo suum unicum esse spirituale: habet atomus à Deo suum unicum esse materiale: divide postea & hoc & illud

unut volueris per plures conceptus: at non eapropter non erit unicum realiter & incompositum?

PHILALETHES. Altam hîc audio Metaphysicam.

XXII. Repugnat res omnes singulas non esse simplices.

ROCCHIUS. Audi altiorem, si placet, optime Philalethes, & mecum cogita summam rerum omnium, sive spiritualium, sive materialium coalescere omnino ex rebus singulis sive spiritualibus, sive materialibus respective. Hujusmodi autem res singulas, licet conceptibiliter, id est, metaphysice compositas, esse tamen realiter, id est, physice simplices ac incompositas facilè demonstratur in hunc modum. Da mihi unam ex illis singulis: itaque illa vel constat, vel non constat ex aliis: si primum, non unam ex illis singulis assignasti, sed plures singulas: si secundum: hoc ipso assignas rem simplicem realiter & incompositam: atque ita res omnes singulas vides esse simplicitatis & incompositionis omnino realis: ita quòd tam quælibet res materialis, quàm quælibet res spiritualis simplex sit & incomposita in suo genere: ratio enim adducta pro utroque pariter genere urget; & hinc suo loco ac tempore inferetur tam nihil compositionis realis esse in atomo, quàm in Angelo, salvo discrimine quod est inter spiritum & materiam, & quod nihilominus non impedit quominus absit ab atomo realis pluralitas omnis partium materialium, sicut omnis pluralitas realis partium spiritualium abest ab Angelo.

PHILALETHES. Perge nunc, mi Rocchi, & transi ad aliam compositionem ex substantia & accidentibus, quam, ut Pazzius noster retulit, affirmat Palancus esse realiter in singulis entibus creatis, etiamque spiritualibus.

XXIII. Opponit formalitates meta-

PAZZIUS. Sed non antè, si placet, quàm dixerim omnes igitur potentialitates & actualitates quas in rebus creatis esse Metaphysica docet, chimæras fore, si reales

non sunt, & ideo Metaphysica esset scientia plane chimærica, siquidem non tractaret nisi de chimæris. Quam Metaphysicæ contumeliam ferre non valens Palancus accumulat multa D. Thomæ testimonia demonstrantia Metaphysicam esse maxime realem, maxime nobilem, maxime necessariam omnium scientiarum; ac deinde suum Atomistam alloquitur his verbis, *Ista* (testimonia) *si legisses, inde disceres sine Metaphysica vera & prima rerum principia disci non posse, & consequenter nec principia prima Mundi corporei & entis naturalis, quæ sunt principia Philosophiæ*, &c.

physicas fore chimæras

Dial. 60. n. 523.

XXV: Chimæras non Metaphysica, sed mens Metaphysicorum quandoque habet.

ROCCHIUS. Absit, mi Pazzi, absit ut quod vestri Metaphysici peccant, id Metaphysicæ tribuam: non illius, sed vestra culpa est, quando plures meras intelligibilitates unius rei, distinctiùs cognoscendæ, & ideo plurium instar rerum per plures conceptus consideratæ, admittitis pro rebus pluribus rem unam componentibus. Considerate in rebus singulis quotquot perfectibilitates & perfectiones vult & jubet Metaphysica considerari pro rebus illis singulis distinctiùs cognoscendis; sed cavete tum ne *non-res* instar rerum conceptas affirmetis res esse: sicque tolletis à Metaphysica vestra non illius chimæras, sed vestras. Si quot sunt intelligibilitates unius rei, tot essent in ea res, nulla posset assignari quæ foeta non esset mille aliis & ex istis mille nulla rursus quæ suo in sinu mille alias non haberet: quem progressum si Metaphysica permitteret, nunquam ad ullius rei prima principia perveniret. Sed sine modò ut obtemperem Philalethi, qui jubet ut fiat sermonis transitus ad compositionem realem ex substantia & accidentibus, quam Palancus opponit in singulis entibus creatis etiamque spiritualibus reperiri, & eo magis repertum iri nostris in atomis.

PHILALETHES. Mihi sane longum erat audire te de compositione ista, quæ mihi quidem est omnium

potissima & probabilissima, differentem.

XXV. Res omnis, quæ producitur, in suo esse perfecta producitur.

ROCCHIUS. Pareo: sed rogo, Domini mei, parcite prolixitati mei discursus, si fortè non potero in pauca verba illum contrahere. Quando Deus rem aliquam producit, utique producit integram & perfectam: nam aliàs si quid illius productioni deesset, producta non esset, contra hypotesim; sed esset partim producta, partim non producta, quod est contra notionem productionis rei unius, quæ ut differt ab omnibus rebus aliis, ita produci per productiones rerum aliarum non potest. Tum res quæ supponitur perfecta in suo esse, non intelligitur sic perfecta, nisi propter perfectiones quæ pertinent ad illud esse, & quæ in ea intelliguntur receptæ tanquam in subjecto quod esset antè in potentia ad illas, & exinde fuerit actuatum per illas. Hinc nulla res creata, ob id quod perfecta est, potest intelligi aliter quàm instar subjecti perfectionum multarum, quarum una saltem, quæ primaria omnium est, essentialis illi est: cæteræ verò essentiales non sunt, & hinc accidentales vocantur, ac revera sunt: quatenus etsi Deus producere non possit rem quæ non sit in suo esse perfecta, potest tamen producere illam magis aut minus perfectam. Jam verò tale subjectum perfectionum illi rei convenientium aliter consideratur prout in se est; & aliter prout refertur ad perfectiones, quas recipit subjective. Ex priori conceptu subjectum illud dicitur subsistere, & vocatur *ens subsistens*: ex posteriori dicitur substare, & si rigide loquimur, ut Metaphysicos decet, vocatur *ens substans*; quod est subjectans: vulgaris tamen usus obtinuit ut vocetur *substantia*.

XVI. Nomen substantiæ relativum est & importat multos conceptus.

At hoc nomen sive *entis substantis*, sive *substantiæ*, perinde ac nomen *subjecti* omnino relativum est: & eapropter secum importat tot alios conceptus, quot sunt formæ seu perfectiones in subjecto receptæ: refertur enim subjectum ad omnes formas & perfectiones quarum est

ſubjectum : qua ratione neceſſe eſt, ut omnis res creata intelligatur compoſita ex ſubjecto & formis ſive perfectionibus ſubjecti. In hunc modum omne ens intelligitur fieri ens per entitatem, eſſens per eſſentiam, exiſtens per exiſtentiam, ſubſiſtens per ſubſiſtentiam, ſubſtans per ſubſtantiam, ac deinde ſpirituale per ſpiritualitatem, intelligens per intelligentiam, ſapiens per ſapientiam, &c. ſicuti extenſum per extenſionem, figuratum per figuram &c. Et quia hujuſmodi perfectiones tam in rebus ſpiritualibus creatis, quàm in materialibus pene infinitæ ſunt, nulla eſt res quæ pene infinitis compoſitionibus non abundet. Vide, mi Pazzi, quàm liberaliter tibi concedo illam ex ſubſtantia & accidentibus compoſitionem, quam contendis eſſe in ſingulis rebus creatis, etiam in Angelis, ac multò magis in atomis : ſi quidem iſti compoſitioni addo alias valde multas, quæ illam præcedunt aut ſubſequuntur.

PAZZIUS. Sed, mi Rocchi, valde parca eſt hæc tua liberalitas, niſi adhuc conceſſeris compoſitionem illam ex ſubſtantia & accidentibus eſſe realem.

XXVII. Requiritur an compoſitio ex ſubſtantia & accidentibus ſit realis.

PHILALETHES. Monet te, mi Rocchi, perquam optime Pazzius noſter : nam hoc eſt quod potiſſimùm ab illo contenditur, ſcilicet hujuſmodi ex ſubſtantia & accidentibus compoſitionem, quæ eſt in rebus creatis omnibus, eſſe realem, & eſſe perinde in cauſa cur nulla res creata ſit vere ac pure ſimplex : atque hinc infert atomos veſtras, ſi quæ forent, non eapropter fore materiam primam rerum corporearum ; ad quam ſpectat eſſe primò componentem & eapropter eſſe ſimplicem ac incompoſitam. Atque hinc rurſus infert, quod ſi quæ forent, conſtarent ex materia & forma, tanquam ex duobus primis ipſarum, perinde ac rerum omnium aliarum principiis componentibus. Neque velim à te audire quid de iſtis, ac valde ponderandis duabus, illationibus ſen-

tias, donec priùs audierim quid realitatis sit aut non sit in compositione præmissa ex substantia & accidentibus.

ROCCHIUS. Contineo igitur te jubente responsionem quam pro illatione utraque illa parabam, & pergo dicere coherenter ad nostros Metaphysicos conceptus omnem substantiam esse substantiam alicujus rei, quin etiam substantias pro diversitate rerum esse diversas: hinc alia est substantia Angeli, alia hominis, alia cœli, alia ignis, &c.

XXVIII. Res & substantia rei non sunt duæ res.

Neque tamen puto rem & substantiam rei, esse res duas, licet per duos conceptus apprehendantur: & ratio est, quia si res & substantia rei essent duæ res, una earum alteri adveniret, & in hunc modum substantia adveniret rei cujus esset substantia, & esset ejus accidens, quod repugnat; vel præsertim quia per substantiam intelligitur subjectum omnium accidentium. Itaque omnis res producta per se habet esse subjectum, sive substantiam: sed quia omne subjectum est subjectum alicujus rei, rursus non puto subjectum & rem cujus est subjectum, esse res duas: nam si equidem sunt duæ res, vel utraque pariter vel neutra esset subjectum; tam ista illi, quàm illa isti conciperetur advenire: essent enim duæ res pariter productæ, ac pariter independentes; pariter substantes aut pariter accidentes. Quare jam clare affirmo nihil realitatis esse in quacumque intelligibili compositione ex substantia & accidentibus, id est, ex subjecto & omnium accidentium talis subjecti.

PAZZIUS. Id equidem, mi Rocchi, te affirmaturum esse præintellexi, sed maluissem præintelligere rationem affirmandi. Multùm discurris, ac pene ad cœlos ascendis tua illa Metaphysica dividente ac subdividente rem unam pene in infinitum: ac tum ad inferos descendis confundendo divisiones illas omnes ac subdivisiones in hunc modum, ut affirmes non esse nisi unicam omnino rem illam,

quam

quam tot divisionibus ac subdivisionibus distinxisti.

ROCCHIUS. Id ago, mi Pazzi, ut intelligas vel tot esse res in una re, quot sunt conceptus, quibus illa res potest dividi ac subdividi; vel tot illos conceptus etiam in infinitum multiplicabiles nullam inducere aut arguere realem compositionem in ea re, quæ ita dividitur ac subdividitur. Quia enim eadem ratio valet pro divisionibus ac subdivisionibus singulis, vel per omnes, vel per nullas probatur compositio illa realis. At si per omnes probatur, vide quàm ridendum sit componi rem unam ex mille aliis, de quarum singulis eadem difficultas recurret: igitur per nullas id genus divisiones ac subdivisiones unius rei probatur rem illam esse in se compositam realiter, id est, constantem ex rebus pluribus, seu duabus, aut tribus, &c. Tum verò, mi Pazzi, quòd ascendam ego ad cœlos, ut aïs, sublimando conceptus super conceptus unius rei, ac tum descendam ad inferos deprimendo & coarctando omnes illos conceptus ad simplicitatem & incompositionem illius rei, noveris me, dum id primum ago, sustinere personam Philosophi Metaphysici, & dum ago hoc secundum, Philosophi Physici personam agere.

XXIX. Multiplicitas conceptuum nullá facit compositionem realem.

Atque hoc est in quo vos, salvâ veniâ, turpissime peccatis, quotquot estis Aristotelici, qui Physicam cum Metaphisica ita confunditis, ut ex Metaphysica in Physicam inducatis multiplicitatem rerum pro multiplicitate conceptuum. In Metaphysica vestra, & meritò, consideratis ens ut essens, seu ut in potentia ad esse, ut existens, ut subsistens, ut substans, ut accidens, ut quantum, ut quale, ut relatum, ut locatum, &c. & sic quidem considderatis promiscue tam ens spirituale quàm materiale. Hinc in uno & eodem ente concipitis tot formas velut inhærentes, scilicet essentiæ, existentiæ, subsistentiæ, substantiæ, quantitatis, qualitatis, relationis, ubicationis, &c. Ac tum in Physica vestra, sed immeritò, affir-

XXX. Aristotelici male multiplicant res propter conceptus.

mitis omnes illas formas unius entis, res esse, quasi jam non memineritis ex vestro arbitrio pependisse omnes illas considerationes unius entis sub hujusmodi formis omnibus, quæ præter esse objectivum aliud non habent.

XXXI. Atomistæ omnino vitant confusionem rerum & conceptuum.

Nobis autem confusio illa vestra rerum cum conceptibus rerum & exosa est & vitatur. In Metaphysica Metaphysicos agimus, & Deo volente, si vos in ea estis Aquilæ, (quæ vestra jactantia est) nos in ea Grues non sumus; sed perinde ac vos in altissimas ac multiplicissimas, ac forsan in altiores & multipliciores quàm vos, entis considerationes assurgimus. Tum in Physicâ personam mutamus, Physicos agimus, & omnino cavemus ne quidquid in ente consideravimus, id putemus rem esse ab illo ente distinctam; hinc omnes illas entis formas intelligibiles dicimus esse opera nostræ mentis, sed non opera creatoris, qui dum rem unam producit, certe non producit nisi unam; & tamen hæc una cum sit, potest multipliciter concipi pro multitudine intelligibili formarum seu perfectionum, à quibus licet una sit, habet quod perfecta sit.

XXXII. Aristotelici Metaphysicam in Physicam male inducunt.

PHILALETHES. Ex his quæ aïs convictus sum, mi Rocchi, aut te Atomistam non esse, aut Atomistarum duo genera esse, quorum alii Metaphisica pollent, alii non pollent, si verum est quod Palancus passim insinuat Atomistas Metaphysica non pollere. Et ego quidem hoc mihi ante suaseram accidere posse in scientiis id quod frequenter accidit in linguis. Quando enim quis didicit plures linguas solet, dum loquitur, voces aliquas unius transferre in usum alterius; sic non mirum est Metaphysicos interdum de rebus Physicis metaphysice loqui, & Physicos de rebus metaphysicis physice; sic Philosophi de rebus theologicis philosophice, sicut Theologi de rebus philosophicis theologice interdum loquuntur: & sæpe quidem audivisse me memini Mathematicos, qui voces

& cogitationes suæ Matheseos inducebant in sermonem occurrentem de rebus ad Philosophiam aut Theologiam nostram spectantibus, mathematice loquentes ac sentientes de illis. Hinc facilè crederem Aristotelicos Metaphysicos Physicam tractantes non satis physice, id est, nimis metaphysice loqui ac sentire de illa propter innumeras illas, de quibus loquebaris, compositiones rei unius cujuslibet mere intelligibiles, quas deinde pro realibus habent, quando ad Physicam è Metaphysica devenerunt; sed nondum satis, ut video, Pazzius noster in hanc credulitatem meam inclinat.

XXXIII. Opponit omnes compositiones metaphysicas esse reales.

PAZZIUS. An inclinare potero in vestram illam præventionem, unde Physicæ totius Aristotelicæ ruina indeclinabiliter sequeretur? an adeò hebetem me putas, mi Rocchi, ut non conjiciam actum esse de nostris formis omnibus substantialibus & accidentalibus, (quæ tota nostra Physica est) si tibi semel concesserim non esse admittendas in Physica pro realibus compositiones, quas in omni ente Metaphysica considerat resultantes ex subjectis formarum & ex formis subjectorum? An Metaphysica considerat chimæras, quando compositiones illas considerat?

ROCCHIUS. Chimæræ non sunt, mi Pazzi; sed à chimæris valde non differunt, si pro chimæris haberi possunt meræ similitudines rerum, nihil aliud habentes, nisi quòd cùm sint *non-res*, considerari tamen rerum instar possunt: quod utique chimæris rigide acceptis æque non competit. Quod autem ais inclinare te non posse in nostram illam præventionem, parco tibi præventionis nomen, quia confido te pariter, id est, non inaniter convictum iri ad rejiciendas à vera physica universas illas compositiones metaphysicas, seu mere objectivas cujusvis entis & corporei & incorporei.

Audi me quæso. Si perfectiones cujusvis entis efficè-

XXXIV. Ostenditur plures perfectiones esse in rebus simplic[illegible] quam in compositis.

rent compositionem realem cum illo, ubi abundarent perfectiones, ibi realis compositio major esset: & in hunc modum ens quodlibet assignabile, quò perfectius esset, esset utique magis compositum: quod evidentissime falsum est, ob id quòd simplicitas sit altissima quædam perfectio, & locum habens inter divinas. Hinc si realis simplicitas perinde ac realis compositio susciperet magis & minus, res omnis creata eò simplicior foret, quò perfectior esset, licet perfectionibus pluribus abundaret. Hinc etiam manifeste infertur fabulam esse in Physica interdictam, licet in Metaphysica permissam, quidquid Aristotelici loqui solent de compositionibus realibus in unoquoque creato ente compertis propter varias formas, seu perfectiones illius.

XXXV. An compositio Metaphysica obstaret & notioni materiæ primæ in atomis.

PHILALETHES. Sed si res ita est, ut mihi jam valde persuasum est, redeamus ad duas illas superiores illationes, quibus respondere, authore me, distulisti. Ecce duo sunt, quæ Pazzius noster ex præsumptis illis compositionibus realibus cujuslibet creati entis inferebat, unum est, quòd atomi, si quæ forent, ob id quòd compositæ forent, non essent materia prima, cui convenit notio entis primò componentis atque ideo incompositi. Alterum est quòd illæ atomi coalescerent potiùs ex materia & forma, id est, ex materia seu subjecto alicujus formæ, & ex forma alicujus subjecti, sive materiæ. Et sic quidem dum inter vos agetur de valore aut nullitate utriusque illationis illius, tractabitur caput alterum ab initio indictum hodiernæ hujus concertationis, tale videlicet, an dato quòd in atomis esset illa multiplex compositio, quam objicit Palancus, obstaret quominùs accipi possent pro materia prima, sive pro primis componentibus rerum materialium sive corporearum, de quibus controversia tota est.

PAZZIUS. Certe hoc ipsum alterum est, ut bene

memini, optime Philalethes, quod te jubente, hodie diſputandum ſuſcepimus: quin etiam ad hoc clariùs diſputandum deduxerunt nos duæ illæ meæ illationes, quas in noſtram memoriam revocaſti, & pro quibus cum Palanco totus contendo. Agitur hìc de vera notione materiæ primæ, quæ ſi utique prima eſt, incompoſita eſt; hinc ſi fuerit in atomis aliqua compoſitio, quomodo iſtis notio materiæ primæ poterit convenire? & rurſus ſi fuerit in atomis aliqua compoſitio, an non erit compoſitio ex aliqua materia & aliqua forma? quare ſemper eò revertendum eſt ut aſſeratur materiam & formam eſſe duo prima rerum omnium materialium componentia. Tum verò quòd in atomis multiplex compoſitio ſit, nec ipſe Rocchius contradicit, niſi quòd aït eam eſſe tantummodò metaphyſicam, ſeu mere objectivam; nullatenus verò phyſicam ſeu realem. In hoc uno differimus. XXXVI. Opponitur notiones compoſitionis & materiæ primæ eſſe oppoſitas.

ROCCHIUS. In hoc uno differimus, mi Pazzi: ſed quale, ſi placet, hoc unum eſt, per quod non differimus minùs, quàm ſi notionem materiæ primæ darem ego rei alicui viſibili creatæ, tu verò alicui dares inviſibili atque increabili chimeræ? Attende igitur ad paucula hæc, quæ ſum à te petiturus, ut te hodie vel nunquam tuo te capiam in ſermone. Cur itaque vis entia materialia componi ex noſtris atomis, ſi quæ forent, tanquam ex primis componentibus non poſſe? XXXVII. Quæritur cur atomi non poſſint eſſe materia prima.

PAZZIUS. Quia Metaphyſica noſtra deprehendit in illis multiplicem compoſitionem, ut ex eſſentia & eſſe, ex potentia & actu, ex ſubſtantia & accidentibus; ſi enim neque res ſpirituales iſtis & ſimilibus compoſitionibus non carent quomodò illis atomi veſtræ carere poterunt?

ROCCHIUS. Sed adhuc, amabo, da rationem potiſſimam propter quam nulla res ſive ſpiritualis, ſive materialis caret illis & ſimilibus compoſitionibus.

PAZZIUS. Illam ſatis, vel etiam nimis frequenter

attuli. An oblitus es, mi Rocchi, an te oblitum ſimulas? Ratio potiſſima hæc eſt, quia nulla res creata, poteſt eſſe actus purus: hoc unius Dei privilegium eſt & equidem ſingulariſſimum: ideoque nulla eſt quæ non habeat aliquid potentialitatis commixtæ atque conjunctæ cum actualitatibus illi propriis & concreatis.

XXXVIII. Quæritur an materia prima ſit creata.

ROCCHIUS. Adhuc rogo, mi Pazzi: tua illa materia, quam vocas primam, eſt ne aliquod ens creatum?

PAZZIUS. An joco id rogas? utique noſtra hæc materia prima eſt ens creatum; nempe à primo ente quod increatum eſt & Deus eſt.

ROCCHIUS. Hoc tandem rogo. Iſtud ens creatum eſt ne actus purus?

PAZZIUS. Tædet me toties tibi repetere, mi Rocchi, ſolum Deum ex ſingulariſſimo entis increati privilegio eſſe actum purum.

XXXIX. Qualiter nulla eſſet Ariſtotelicis materia prima.

ROCCHIUS. Quieſce jam, mi Pazzi, ſed ſine ut inoffenſis veſtris Philoſophis dicam eos colere Philoſophiam cœcam, ſi quam philoſophaſtri ulli antiquitus coluerunt. An non præconcipere potuiſti me dum à te quærerem an mareria veſtra eſſet ens creatum, & an eſſet necne actus purus, id non quærere niſi ut ex tuis reſponſionibus quales noveram afferendas, inferrem materiam illam veſtram ob id quòd non ſit actus purus, eſſe compoſitam, & ob id quòd ſit compoſita, non eſſe primò componentem; ſeu quod idem eſt, ut inferrem ad hominem materiam illam primam, quam admittitis, non eſſe primam: vides mi Pazzi, vim illationis meæ indeclinabilem?

PAZZIUS. Vim tuæ illationis video, mi Rocchi, ſed indeclinabilem eſſe non annuo: obſtat enim ne materia prima quam admitimus, ſit compoſita, id quod demonſtramus, eam videlicet eſſe puram potentiam.

ROCCHIUS. Imo hinc potius inferendum eſſet ma-

teriam primam, quam admittitis, esse summe composi-tam: nam quia pura potentia, si quæ est, contraponitur puro actui, quantum simplicitatis est in actu puro, tantum compositionis erit in tua illa pura potentia. XL. Materia: quam admittunt, esse summe composita.

PAZZIUS. Sed si nulla compositio fieri potest nisi ex potentia & actu, quomodò vis puram potentiam esse compositam? Non sunt isti conceptus *potentiæ* & *actûs* ita confundendi, ut vos confunditis. Igitur omnis potentia sub conceptu præciso potentiæ, nihil habet actus ex quo componatur.

ROCCHIUS. Igitur etiam, mi bone Pazzi, omnis actus sub conceptu præciso actûs nihil habet potentiæ, ex qua componatur: atque ita tam omnis actus est actus purus, quàm omnis potentia est potentia pura: sicque per tuam illam per pulchram Metaphysicam nihil nisi puræ potentiæ & actus puri componerent nostra hæc corpora, si ad præcisiones Metaphysicas pertineret illa componere. At nostra hæc corpora non componuntur ex conceptibus; sed ex rebus vere corporeis, quarum eas quæ sunt primò componentes, ut aliquas esse necesse est, incompositas esse opus est: & hujusmodi res corporeas incompositas vocamus *atomos*, quæ corpuscula sunt omnium minima, & proinde atoma, seu insectilia. Postmodùm verò, mi Pazzi, concipe in istis atomis nostris tot potentias, tot actus, tot subjecta, tot accidentia, tot materias, tot formas quot volueris, quid inde? An per vestros hujusmodi conceptus res istæ minimulæ corporales, si sunt insectiles, secabuntur? secari pariter possent res spirituales, quæ utique non paucioribus, imo pluribus conceptibus diversis subjacent ob pluralitatem perfectionum intelligibilium quibus abundant, & quibus respondet seorsim sua quædam notio singularis.

Atque hinc tandem intellige vestros illos omnes conceptus metaphysicos, per quos atomos nostras dividitis, ut esse compositas probetis, nullatenus impedire posse XLI. Nulla compositio metaphysica obstat sim-

plicitati atomorum. quin sint in se ipsis & individuæ & incompositæ: neque proinde unquam mens vestra nostris atomis adimet notionem veræ materiæ primæ corporalis seu physicæ, de qua sermo est; quidquid interim sit de alia omni materia intelligibili seu metaphysica, de qua non agitur, & quæ in rebus spiritualibus perinde ac in materialibus reperitur. Et sic quidem jam satis multa hinc & inde disputata fuerunt de quæstione una & altera, quam tu, optime Philalethes, nobis hîc proposueras agitandam; sed jam superest ut hæc multa, quæ noster disputandi ardor non satis distinxit, aut non satis seu arguendo, seu respondendo firmavit, ea clariùs resumas, & solidiùs statuas in gratiam illius partis, in quam faciliùs inclinares. Sic ne mecum idem rogas, mi Pazzi?

PAZZIUS. Idem Rogo, vel præsertim, mi Rocchi, quia confido non parum lucis & roboris accessurum esse rebus hisce nostris hactenus agitatis, idque in gratiam sententiæ verioris.

XLII. Qualiter materia prima debeat esse res perfecta.

PHILALETHES. Dicam ingenue, Domini mei, stupuisse me infinities, sive quoties audivi Philosophos disputantes de materia prima rerum omnium materialium, veluti de re nullius extensionis, nulliusque perfectionis, ac tandem veluti de quodam nihilo; cùm è contra pateat materiam illam, si tota quanta est spectatur, totum orbem implere, atque in suo genere perfectam esse, aliàs non computandam inter opera divina, quæ non potuerunt non esse suis in generibus perfecta omnia. Itaque per materiam primam generatim intelligo rem toto in spatio mundano productam, & illi coëxtensam, ex cujus variis portionibus acceptis singula pro varia mole ipsorum corpora componuntur, & partes corporum. Hinc etiam intelligo majores portiones illius materiæ in se complecti alias minores, & istas adhuc ex minoribus constare, quæ possunt etiam in alias minores dividi, atque ita deinceps.

Sed

Sed tum quæstio,&hæc quidem notabilis, sit an in portionibus illis minoribus,atque minoribus admitti tandem debeant portiunculæ minimæ, ex quibus primò fiant portiores minores, ut ex minoribus majores fiunt: quem in modum tota illa materiæ primæ massa totius orbis spatio coëextensa nihil aliud erit quàm congeries minimarum id genus particularum, quæ secum unitæ aut in majori aut in minori numero componunt majores aut minores corporum moles: sicque à massa totius primæ illius materiæ compositissima devenitur ad singulas massulas, seu particulas quæ primò illam componunt; & in hoc sensu vocari possunt materia prima totius illius molis corporeæ, quam antè generatim materiam primam vocavimus. Atque hic est sensus proprius, in quo vos Atomistæ affirmatis atomos vestras esse materiam primam corporum omnium, quorum majores partes ex minoribus fiunt, ut minores tandem ex minimis. Nunquid ita, mi Rocchi? XLIII. Materia prima reduci debet ad particulas minimas.

ROCCHIUS. Ita plane: sicut etiam istæ sunt atomi, de quibus ex nuda hypothesi quòd essent, negabat Pazzius quòd esse possent vera materia prima corporum istorum: ego verò affirmabam, ut meministi.

PHILALETHES. Memini, mi Rocchi; nec ullatenus probavi rationes, quæ ad id negandum afferebantur à Pazzio: si quidem ad id negandum non afferebat nisi præcisiones Metaphysicas, quibus demonstrabat quòd adhuc in singulis illis atomis si darentur, essent objecta plura conceptibilia, ex quibus non potest, aïebat, non resultare compositio valde opposita incompositioni, quæ requireretur in atomis illis ad habendam rationem materiæ primæ. Itaque rationes illas ex Metaphysica deductas non probavi; *primò* quia licet atomi componerentur ex rebus alterius generis non pertinentis ad realitatem materialem, de qua est sermo, non eapropter non essent incompositæ in suo genere; & hoc modo essent perinde XLIV. Quidquid materiale est aut est atomus, aut ex atomis.

corpuscula incomposita, atque ideo prima principia materialia corporum. *Secundò* quia rationes illæ intelligibiles & considerabiles in atomis singulis, videlicet potentialitatis, actualitatis, essentiæ, existentiæ, subjecti, accidentis, &c. vel sunt res materiales, vel non sunt; si *secundùm,* non componunt materialiter atomos; si *primum,* aut sunt incompositæ, aut non sunt: si *primum* ergo sunt atomi: si *secundum,* ergo componuntur ex atomis: quidquid enim materiale est, aut est materia ipsa, aut componitur ex materia: & ideo aut est atomus, aut est ex atomis.

XLV. Opponitur fore in atomis aliquam formam specificam.

PAZZIUS. Sed permitte, si placet, optime Philalethes, hanc meam brevem interpellationem. An in atomis illis non est aliqua forma, per quam sunt in aliqua entis specie determinata? tum verò forma illa est ne sine subjecto? At hoc subjectum illius formæ, materia est, quæ utique definitur *subjectum formarum omnium.* Quare licet atomi essent genus quoddam materiæ secundæ, pertingere non possent ad hoc alterum genus materiæ primæ.

XLVI. Retorquetur quòd similis forma esset in Angelis, in quibus esset etiam materia.

ROCCHIUS. Permitte similiter, optime Philalethes, ut per brevem interlocutionem à me satisfiat interpellationi, quam opposuit Pazzius. Satisfiet autem sic retorquendo. An in Angelis non est aliqua forma, per quam sunt in aliqua entis specie determinata? tum verò forma illa estne sine subjecto? At hoc subjectum illius formæ, materia est, quæ utique definitur *subjectum formarum omnium.* Igitur Pazzius non probat hoc suo discursu esse in atomis nisi materiam quæ pariter est in Angelis; & de qua non est sermo inter nos, qui quærimus non materiam objectivam sive metaphysicam spirituum; sed realem atque physicam corporum. Rursus ita retorqueo. An non illa materia, ex qua vult Pazzius componi atomos nostras, est in aliqua determinata entis specie? scilicet in specie entis materialis: est igitur in illa specie per aliquam formam, uti per formam materialitatis; sicuti spiritus est

in ſua quadam ſpecie per formam ſpiritualitatis. Tum verò forma illa eſtne ſine ſubjecto? minime: hoc autem ſubjectum materia eſt: atque ita illa materia, quam Pazzius aſſignat pro prima, utique non erit prima. Imo nulla erit quæ accipi pro prima poſſit, cum nulla eſſe poſſit contra quam argui non poſſit hoc ipſo diſcurſu ad detectionem alterius prioris.

XLVII. Notio materiæ primæ convenit atomis ſi dantur, & ita ſupereſt ut probentur.

PHILALETHES. Advertit vim invictam, mi Rocchi, tuæ hujus duplicis retorſionis, Pazzius noſter & tacet: quare pergo dicere, quòd ſi ſemel convincerer dari corpuſcula id genus minima, ſeu puncta illa phyſica, materialia, inſectilia, qualia per atomos ſuas rigidi Atomiſtæ intelligunt, non alienus eſſem à tribuenda talibus atomis vera notione materiæ primæ: nam ſi tales ſunt, revera ſunt prima illa entia materialia, ex quibus tanquam ex primis materialibus principiis compoſuit Deus ab initio Mundum iſtum materialem; & quidquid in eo exinde componit ſolus de novo, aut à cauſis ſecundis componi efficit per concurſum, quem præbet. Sed an dentur tales atomi quis novit? nemo ſatis illas hactenus demonſtravit: quare, Domini mei, ſinire ut judicium meum retineam, ut definiam nihil de controverſia hodierna, quam ſuſtinuiſtis, donec mihi probe compertum ſit aut à Deo productas fuiſſe atomos, aut utique non fuiſſe. Itaque, mi Rocchi, tuum erit ſeriò cogitare de veſtris illis atomis demonſtrandis: ſi res proſpere ceſſerit, audacter pronunciabo atomiſtica placita præferri Ariſtotelicis debere circa notionem materiæ primæ, ſed è contra ſi conatus ad id tuus irritus fuerit, erit mihi aliter decernendum.

PAZZIUS. Itaque decernes aliter, optime Philalethes. Vertat ingenium ſuum in quamcumque partem voluerit noſter Rocchius, nec ſuas illas atomos unquam demonſtrabit: demus tamen triduum ſtudii & laboris, ut fortunam tentet.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, demonſtratio, ſed

neque una tantùm, in promptu est: & cras summo mane, si Philalethes noster annuit, ad illum ibimus.

PHILALETHES. Placeat vobis, Domini mei, non venire ad me, nisi statim à prandio.



DIALOGUS TERTIUS.

QUAM BENE SENTIANT Atomistæ de Materia prima.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PAZZIUS, PHILALETHES, ROCCHIUS.

I. Opponitur atomos esse indemonstrabiles, & quare.

PAZZIUS. Verebar, colendissime Domine, accessurum me longiusculè à tuo prandio: quare præceps incessi, & ut vides, pene halitus deficit.

PHILALETHES. Imo, clarissime Pazzi, accedis horâ maxime opportunâ: nondum, ut vides, secundas mensas famuli amoverunt: adhuc non egi solitas pro esu & potu gratias: da veniam brevi orationi. Jam itaque consedeamus ad ignem: hîc tranquilli expectabimus Rocchium, qui, ut opinor, non morabitur.

PAZZIUS. Forsan præter opinionem tuam morabitur. Obstabit ne leviter incedat, onus multarum demonstrationum, quas secum se allaturum heri promisit in gratiam atomorum suarum, quas unas agnoscit pro vera & sola materia prima corporum universorum. Nisi potiùs gravabit illum onus susceptum demonstrandi rem, qua nullam indemonstrabiliorem esse affirmant Philosophi

omnes veteres, quin etiam recentiores, si pauculos istos rigidos Atomistas excipimus. Quia enim nihil est quod esse materiale possit, & extensum non sit: nihil quod extensum esse possit & divisibile non sit, opus omnino est atomos, quas Atomistæ isti, materiales & extensas esse non negant, divisibiles esse, & ideo atomos non esse. Clariùs sic aïunt. Quidquid est alicujus extensionis, etiam est alicujus figuræ: omnis autem figura certis quibusdam terminis clauditur: igitur atomos, si extensionem, si figuram habent, ut isti Atomistæ fatentur, opus est posse saltem dividi in eos terminos, à quibus figura illarum clauditur. Neque non nosti, optime Philalethes, applausum, cum quo argumentum istud apud omne hominum genus pro demonstrativo accipitur.

PHILALETHES. Quoties mihi olim res erat, mi Pazzi, cum istis rigidis Atomistis, tuo illo argumento utebar: atque ut verum fatear, eorum neminem audivi, qui mihi visus sit satis idonee illud solvere. Quare ne omittas, si placet, opponere illud vehementer & obstinate argumentis, quæ à Rocchio tibi proponentur ad indivisibilitatem atomorum probandam. II. Conceditur rationes adductas esse magni momenti.

PAZZIUS. An omittere illud potui, optime Philalethes? erit sane si forsan illud idonee solvet Rocchius noster, ingeniosissimus Atomista; qua laude illum Palancus satis frequenter exornat.

PHILALETHES. Voluit hac laude lenire convicia multa, quibus valde frequentiùs illum denigrat, ut inepti, rudis, crassi, hebetis, stulti, arrogantis, &c. Hæc & similia nihil afferebant ad intentum: quare, inter nos dictum sit, melius erat, si tacuisset. Sed & nos taceamus: ecce Rocchius jam jam adest; audio tussientem. Bene adsis, mi Rocchi: sede, si placet è diametro Pazzii.

ROCCHIUS. Parcite moris meis, oro Domini mei: obstitit ne maturiùs adessem, negotium importunum, jo-

cosium tamen, quod enarrarem, si deceret à jocis exordiri res serias hodierni colloquii. Quare ut paululum quievero promissis hesternis stabo, & demonstrabo, ut potero, nullam esse vel esse posse materiam rerum omnium materialium primam præter atomos nostras, quas deinceps vocabo *elementares*.

III. Opponitur atomos non jam nominari, ut ante, atomos Platonis.

PAZZIUS. Memini quòd in veteribus illis nostris dialogis de opere dogmatico Gennari adversùs atomos redivivas, rarò solebas illas nominare sine addito *Platonis* nomine: jam verò in his novis dialogis millies nominas, nec vel semel vocas *atomos Platonis*. Cujus novitatis nihil aliud esse in causa suspicor, nisi quòd à Palanco novissime didicisti errasse te, quando aiebas Platonem fuisse atomismi vestri patronum. Certe argumentis multis convincit illum vestris atomis non favere: ac tum sic concludit,

Dial. 83. p. 697.

Vide igitur quantùm fabulentur qui atomismum Platoni adscribunt, ut ab ipso illi authoritatem conciliare queant: ac tum addit, *Quæ tamen nulla foret, ut pote ex Philosopho turpissimis erroribus fœcundo.* Itaque magistros vestros Leucippum, Democritum, Epicurum vobis reliquit: Platonem non vestrum abstulit. Patientiam habete.

IV. Alibi ostensum est Platonem pro atomis pugnasse.

ROCCHIUS. abstulit, mi Pazzi; sed ad modum quo justis possessoribus suæ res auferuntur. Furtum laudas; ego illud patienter fero, meæque causæ jus omne decernendum relinquo nostris Lectoribus. Nolo de Platone quicquam tecum contendere: malo tibi deserere integram illius authoritatem, quàm in occasione tibi esse, vel illum similiter suffurrandi, vel ita minuendi, ut similiter dicas quod *nulla foret, utpote ex Philosopho turpissimis erroribus fœcundo.* Debuit igitur Palancus nobis authoritatem adeò *nullam* non invidere: debuit patienter sustinere gloriationem nostram in authoritate adeò *nulla*: potuit istam perinde ac illam Leucippi, Democriti, Epicuri nobis relinquere. Vel tandem si adeò *nulla* est, cur adeò sollicitus fuit

probandi toto dialogo octuagesimo tertio, *quòd Plato non atomos, sed materiam & formas agnovit pro Mundi principiis*? An id contra me satis probaverit, rursus apud nostros Lectores sit dijudicare. Hic saltem labor indicio est, quòd voluit, si potuit, Platonem ad suas partes pertrahere: at vidit illum reluctantem; & ideo divini hominis famam violavit, authoritatem sprevit, dicens *quòd nulla foret utpote ex Philosopho turpissimis erroribus fæcundo*: sic authoritatem, quam conciliare sibi non potuit, sprevit, *nullam* vocavit: sic olim Vulpi spretæ & maturæ non erant uvæ, quas non poterat attrectare. Sed, mi Pazzi, rursus aio nolle me de Platone quidquam tecum contendere: novimus & Platonem & Aristotelem, amicos suos, hostes suos, sequaces suos, osores suos, præcones & detractores pariter habuisse: novimus etiam utrumque hominem fuisse, qui falli, qui fallere potuerit; & in quo proinde nemo nostrûm omnino confidere possit: quare, si placet, agatur inter nos perinde ac si neuter nos præcessisset: nostra hæc jurgia uni rationi committamus: finge me primum esse qui affirmo, te primum esse qui negas atomos *elementares* esse primam Mundi hujus corporalis materiam.

V. Non debuit Palanceus invidere nobis Platonem.

PAZZIUS. Sic omnino placet, mi Rochi: tantùm rogo ut obiter dicas, cur atomos, de quibus à te jam demonstrandis agitur, vocas *elementares*.

ROCCHIUS. *Elementares* voco, quia per illas intelligo omnes minimas particulas ignis, aëris, aquæ, terræ, & earum rerum omnium, ex quibus permixtis quatuor illæ massæ elementares heterogeneæ coagmentantur: & ex quibus deinceps fiunt mixta hæc omnia. *Elementares* etiam voco, veluti *primordiales*, ut etiam per eas intelligantur, ad quodcumque aliud rerum genus pertineant, omnes particulæ minimæ, quæ componunt orbes cœlestes, & sydera illorum omnia.

VI. Quare atomi debeant vocari *elementares*.

PHILALETHES. Omitti potuit, Domini mei,

totum fere hoc proludium. Quare jam ad rem, si placet.

ROCCHIUS. Pareo, & precor, mi Pazzi, ut mecum præintelligas omnia & singula corpora componi ex omnibus & singulis partibus ipsorum: ac deinde omnes & singulas partes cujuslibet corporis non minùs ab invicem distingui, quàm corpus quodlibet ab omnibus & singulis cæteris distinguatur.

PAZZIUS. Nihil hìc video negandum: nihil etiam ad rem, de qua sermo est, inferendum.

ROCCHIUS. Ego tamen ad rem omnino meam hinc infero omnes & singulas partes cujuslibet corporis, si seorsim accipiuntur, ut possunt & debent accipi, indivisibiles esse, & ideo atomos esse. Neque apertissima non est ratio id inferendi: si enim omnium & singularum nulla est alia, nulla est quæ ex aliis fiat: nulla ergo in alias potest dividi: ergo absolute nulla est divisibilis: ergo denique nulla est, quæ non sit atomus.

PAZZIUS. Quid ais, mi Rocchi? Manus est pars humani corporis: an igitur manus est atomus? quid ais?

VII. Quid sint partes singulæ seorsim acceptæ.

ROCCHIUS. Aio manum non esse partem unam humani corporis, sed esse multa millia partium illius, de quarum singulis non conjunctim, sed seorsim acceptis dico eas indivisibiles esse, & ideo atomos esse. An adhuc me non capis, mi bone Pazzi? Intellige quòd sicut manus non potest in pedem dividi, ob id quòd nihil commune sit manui & pedi, sic omnium partium, quæ manum aut pedem componunt, nulla est seorsim accepta, quæ dividi possit in aliam, ob id similiter quòd commune nihil habeant omnes & singulæ.

PAZZIUS. Capio te nunc paulò magis quàm antè; sed mihi videris, mi Rocchi, petere principium tuo in hoc discursu, quando jubes singulas partes alicujus corporis accipi seorsim à singulis: sic enim nulla esset quæ non esset ultimò divisa. Quod est in quæstione, nam hoc ipsum

sum est quod à nobis contenditur nullam esse quæ possit ultimò dividi, & ideo nulla divisione perveniri posse ad atomos.

R O C C H I U S. Falleris, mi Pazzi, longissime abest hic discursus ab omni petitione principii. Procedet, si volueris, de partibus omnibus & singulis conjunctissimis, quin etiam inseparabilibus ab invicem: sed tum dico posse singulas, non sensu, sed intellectu, accipi seorsim ab aliis singulatim: ubi est jam tua Metaphysica, mi Pazzi? De illis autem sic acceptis verificatur, quòd nulla sit alia: item quòd nulla sit divisibilis in alias, ac tandem quòd nulla sit, quæ non sit atomus. An accepta tibi erit hæc demonstratio, Domine Philalethes? quem addis calculum?

VIII. Quomodo sic considerentur per intellectum.

P H I L A L E T H E S. Nec album addam, nec nigrum, donec si quid aliud habet, opposuerit Pazzius, cui molesta esset præoccupata ex me decisio.

P A Z Z I U S. Refugio, mi Rocchi, ad arcem nostram inexpugnabilem materiæ & formæ. Licet enim concipiam partes singulas cujusvis corporis, si seorsim à cæteris singulis accipiuntur, dividi per intellectum ultra non posse: nihilominus adhuc intelligo in singulis illis partibus qualitercunque acceptis seorsim compositionem ex materia & forma: nam singulæ sunt entia materialia & in aliqua entis materialis specie constituta: quod fine unione alicujus materiæ cum aliqua forma substantiali non potest fieri: & ita ruit tua illa indivisibilitas, quam demonstrasse credidisti, partium singularum.

R O C C H I U S. Noli, mi bone Pazzi, noli tua in arce illa nimis confidere. Nam *primò*, licet tibi concederem singulas illas partes integrales seorsim acceptas, de quibus sermo est, componi adhuc ex materia & forma, perinde verum esset illas in invicem non posse dividi: quid autem nisi atomi sunt partes illæ integrales, quæ non sunt ultra divisibiles in alias partes pariter integrales. *Se-*

IX. Indivisibilitati atomorum non obstaret compositio ex materia & forma.

cundo materia & forma, quæ partes illas singulas indivisibiles componerent pro illo vestro more Aristotelico, essent etiam indivisibiles, siquidem in subjecto indivisibili; nisi quòd si volueris, adhuc divisibiles essent ab invicem: quæ divisibilitas nihil probaret contra indivisibilitatem absolutam partium singularum & singulatim acceptarum, de quibus agitur. *Tertiò* partes illæ, quas ostensum est indivisibiles esse, an non sunt ex communi nostra hypothesi materiales: siquidem corpus materiale integrantes? Sunt igitur singulæ totidem portiones atque indivisibiles totius materiæ, unde habet quod sit corpus materiale: & propterea quando jam perventum fuit ad ostensionem hujusmodi partium materialium indivisibilium, quomodò nisi omnino parum philosophice recurrere potes ad aliam materiam istis partibus assignandam? In istis partibus materialibus, & in hunc modum, ut ostensum est, indivisibilibus habemus materiam vere primam: quid te crucias, mi Pazzi? noli quærere priorem.

X. materia prima nihil est præter primas particulas materiales.

PHILALETHES. Noli etiam, mi Rocchi, urgere magis difficultatem, quam puto satis agitatam; & de qua judicium meum sic profero. Ad inveniendam materiam primam omnium corporum laudo viam, quâ proceditur, requirendi quæ sit materia singulorum, sive aliquorum ex singulis: quandoquidem tota materia prima corporum omnium nihil aliud est quàm particulares materiæ omnes simul acceptæ, quæ illa componunt: istæ verò particulares materiæ seorsim non sunt nisi aliquæ portiones totius, juxta parvitatem aut magnitudinem singulorum corporum respective. Hinc quo plures aut pauciores portiones totius materiæ accipiuntur & uniuntur, eo majora vel minora evadunt corpora, quorum itaque jam non est alia materia, quàm illæ portiones, quæ sic accipiuntur & uniuntur. Sed tum istæ singulæ portiones molem aliquam habent, quæ divisibilis est in portiones minores, ut istæ

minores in minores alias, & ut vulgò creditur, sine fine: unde aiunt perveniri nunquam ad atomos posse; & ideo atomos nullas esse.

XI. Primæ particulæ materiales sunt atomi.

Tu verò, mi Rocchi, suasisti mihi omnes partes talium portionum materiæ, sive talium corporum atomos esse, quando videlicet accipiuntur, ut possunt ac debent accipi, omnes & singulæ seorsim: sic enim earum nulla fit ex aliis, & ideo in alias divisibilis non est; ergo, ut ais, atomus est: à cujus consequentiæ vi non potest mea mens declinare. Hoc pacto omnes ac singulæ partes elementares Terræ, Aquæ, Aëris, & Ignis, si seorsim eas cogitamus, atomi sunt; hoc pacto etiam omnes ac singulæ partes cœli aut corporum cœlestium, sive ab istis partibus elementaribus specie differant, sive non differant, sunt similiter atomi, si considerantur & concipiuntur seorsim: quod cùm de omnibus partibus corporum omnium, qualiscunque sint speciei aut generis, perinde valeat, mihi jam dubitare non licet, quin omnia composita materialia sint compages quædam atomorum, præter quas nulla materia prima possit aut debeat assignari.

XII. Materiale nihil creari præter atomos potest.

ROCCHIUS. Adhuc multò minùs tibi de hac veritate dubitabitur, optime Philalethes, quando etiam demonstravero nihil vere ac proprie, stricte ac rigorose creari à Deo præter atomos potuisse: nam quidquid in hunc modum creatur, ex nihilo sui producitur: ex nihilo autem sui produci non potest, nisi quod incompositum est: siquidem quidquid compositum est, patet ex suis componentibus fieri; non igitur fit ex nihilo sui, atque ita non creatur. Jam verò tolle atomos; & assigna, si potes, aliquid materiale quod compositum non sit, ex partibus suis videlicet ipsum componentibus. Quid ergo superest, nisi creari à Deo vere ac proprie in genere materiali solas atomos potuisse? quare aut Deus nihil ita creavit, quod nemo dixerit; aut nihil nisi atomos creavit: quod erat demonstrandum.

PHILALETHES. Hac demonstratione, si bene memini, utebaris olim, mi Rocchi, contra Gennarum.

Dial. 85. n. 02. PAZZIUS. Sed audite, Domini mei, quid de hac demonstratione visum sit Palanco: *Tales*, inquit alloquens suum Atomistam, *sunt vestræ demonstrationes, qualis ista, quæ nuga potiùs verborum, quàm demonstratio est.*

XIII. Demonstratio adducta non solvitur. ROCCHIUS. Voca illam ut volueris, mi bone Pazzi, sive *nugam* magis modestè, sive *nugas* magis latine, non interest; sed interest audire jam ac perpendere quid responderit Palancus, & an bene aut male.

Ibid. PAZZIUS. Multa sunt quæ respondet & bene. Audite illum, *Et inprimis*, inquit, *ex ea* (demonstratione) *si quid probatur, probatur efficaciter vestrum Cartesium atomos posuisse æternas & increatas, ac proinde cum Epicuro & aliis Ethnicis, qui Mundi materiam increatam posuerunt, rejiciendum esse. Etenim vester Cartesius cum Cartesianis omnibus atomos ponit non omnino indivisibiles*, &c. Sensus est, mi Rocchi, quòd Cartesius nullas materiæ partes agnoscit indivisibiles; sed ex adverso affirmat omnes ac singulas esse divisibiles sine fine: ac proinde admittit esse compositas: nullas igitur admitteret creatas, & ita incideret in Atheïsmum Epicuri.

XIV. Hæc demonstratio est etiam contra Cartesium. ROCCHIUS. Sed quod novum respondendi genus est istud, mi Pazzi? perinde est ac si Palancus ad me conversus ita responderet. Si tua demonstratio est legitima, errat Cartesius admittendo omnes materiæ partes compositas; quia hinc cogitur admittere illas increatas, & inde labitur in Atheïsmum Epicuri affirmantis materiam esse increatam. Igitur tua demonstratio non est legitima. Responsionem isti similem diu vixi, nec adhuc vidi. Si vera est demonstratio mea, inquit, errat Cartesius: quid inde? audiat demonstrationem meam, & corrigat opinionem suam. Nonne quod olim demonstrabam contra Gennarum, demonstrare pariter volui contra Carte-

sium? Sed credidit Palancus me Cartesianum esse, & ideo Cartesium hac demonstratione lædere noluisse: unde jam ait: si tua demonstratio esset vera, læderet Cartesium: sane lædit, & in hoc est vera: quia ille falsò putat omnes materiæ partes quantumlibet exiguas esse divisibiles in infinitum.

XV. Nec capropter minùs tangit Aristotelicos.

Est tamen in hac responsione mira quædam subtilitas, quam tu, mi bone Pazzi, non advertis. Vidit se Palancus esse in eadem salute aut in eadem damnatione cum Cartesio circa divisibilitatem partium materiæ in infinitum: nam Aristotelici pro illa pugnant perinde ac Cartesiani; & cùm ideo respondere perinde posset, quòd si mea demonstratio esset vera, errarent Aristotelici admittendo partes omnes materiæ divisibiles in infinitum, ob id quòd exinde cogerentur admittere illas increatas, & ita laberentur in Atheïsmum Aristoteli non minùs quàm Epicuro imputatum de materia increata: voluit Cartesianos ictui meæ demonstrationis opponere, ut soli offenderentur; sed nihilominus vana est hæc subtilitas, quia non impedit quominus offendantur etiam Aristotelici, licet à Cartesianorum tergo latentes. Tandem vides, mi Pazzi, non esse idoneam hanc responsionem, de qua jam satis; ad aliam, si placet.

XVI. Affertur alia responsio.

PAZZIUS. In argumento illo, quo utebaris contra Gennarum à creatione ducto, aiebas creationem & compositionem esse duas actiones omnino diversas, quatenus creatio est actio producendi aliquid ex nihilo: compositio autem est actio producendi aliquid ex partibus jam factis: inde inferebas nullum compositum præcise ut compositum posse creari; & ideo solas atomos creari potuisse, quia in genere materiali nihil præter atomos est incompositum. Itaque ad id quod aiebas creationem & compositionem esse duas actiones diversas, sic distinguit: *Compositio*, inquit, *ex parte facientis seu agentis, & ex mo-*

do agendi & faciendi opponitur creationi, concedo antecedens, compositio ex parte rei facta, nego antecedens & consequentiam. Addit, *quia in aequivoco laboras dum ais, nulla compositio creatio esse potest, inde probans nihil compositum creari posse: debuisti enim ad hoc probandum dicere, nulla compositio creata esse potest, ut inde inferres nihil compositum esse creatum,* &c.

XVII. Ostenditur locutionem usurpatam esse impropriam.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, non debui sic loqui, si loqui nolebam improprie: nam sane tam nulla compositio potest dici creata, quàm nulla creatio potest dici composita. Neque tam parum physice, Deo volente, neque tam parum metaphysice loquimur, ut dicamus vel compositiones creari, vel creationes componi: res sunt quae creantur aut componuntur: creationes autem & compositiones sunt actiones creandi & componendi; quarum utique actionum termini sunt res illae ipsae, quae sic creantur aut componuntur: & tunc quidem quando illae creationes & compositiones accipiuntur pro suis terminis, dicuntur accipi passive: sed quando sic accipiuntur, notari debet ad confusionem vitandam, illas sic accipi. Veniamus jam ad distinctionem à Palanco adductam. Mea propositio haec est: *Omnis compositio opponitur creationi.* Ille sic distinguit. *Compositio & ex parte facientis, & ex modo faciendi opponitur creationi*: concedit: *Compositio ex parte rei facta, opponitur creationi*, negat. Quia verò compositio ex parte rei factae nihil est nisi res facta, seu compositum ipsum, idem est ac si respondisset, compositionem opponi equidem creationi, sed compositum non opponi creationi: qui loquendi modus à nostra Metaphysica non usitatur: compositioni creationem opponimus, & rei compositae rem creatam. Loquamur jam inter nos, mi Pazzi, ut doctos Metaphysicos decet, & responde, si placet, ad haec paucula interrogata. Accipio hinc creationem, illinc compositionem in sensu formali praeciso ac reduplicativo pro ac-

tione creandi, & pro actione componendi & quæro an sic acceptæ invicem opponantur.

PAZZIUS. Opponuntur haud dubie, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Tum accipio hinc rem creatam, illinc rem compositam, scilicet accipio in sensu pariter formali, præciso ac reduplicativo: & quæro iterum an hujusmodi res invicem opponatur? XVIII. Qualiter creatio differat à compositione.

PAZZIUS. Quis neget illas cum tot præcisionibus acceptas invicem opponi?

ROCCHIUS. Sic accipiendæ mihi fuerunt, mi Pazzi, tum actiones creandi & componendi, tum res creatæ & compositæ, ad constructionem meæ demonstrationis, quam sub aliis verbis sic profero. Si actio nulla creandi esse potest actio componendi, nulla res creata potest esse composita: Sed actio nulla creandi esse potest actio componendi: igitur nulla res creata potest esse composita. Cujus syllogismi minorem propositionem jam admisisti: tota igitur difficultas in majori versatur: hæc autem difficultas sic tollitur: quatenus nulla res potest esse simul creata & composita, nisi fiat per actionem, quæ simul sit actio creandi & actio componendi: etenim si fieret per actionem creandi non componeretur, si fieret per actionem componendi, non crearetur: quia verò ex concessis actio nulla creandi est vel esse potest actio componendi, quid superest, nisi nullam rem creatam esse posse compositam? unde infero, igitur nihil compositum creari potest: quare si quid in genere materiali creatur, id incompositum esse necesse est; ac proinde nihil in eo genere creari præter atomos potest. Habesne, mi Pazzi, adhuc aliquid opponendum.

PAZZIUS. Audi adhuc, mi Rocchi, Palancum sic prosequentem. *Igitur fatemur nullam compositionem esse creationem, quia nec compositio formalis in essendo entis facti est creatio, nec compositio activa ex parte componentis* XIX. Opponitur alia forma responsionis.

est creatio: Sed nihilominus nego quod nihil compositum possit esse creatum: imo & assero ipsam compositionem in essendo posse esse creatam, licet non possit esse creatio.

ROCCHIUS. Compositio non potest esse creatio: compositio potest esse creata, oro, mi bone Pazzi, ut fiat lux.

PAZZIUS. Audi verba sequentia, & fiet lux. *Quis enim*, inquit, *neget Deum posse suo efficaci imperio immediate ex nihilo facere compositum aliquod & ipsius intrinsecam compositionem nihilo illius præsupposito? Numquid Deus eget partibus antè factis ad totum faciendum, sicut homines? Cur unica & simplici actione non possit totum cum suis partibus & unione ipsarum ex nihilo ipsius efficere immediate nihilo illius præsupposito?* Habes hîc lucem pro qua orabas, mi Rocchi.

XX. Partes possunt simul creari & uniri.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, oro iterum ut fiat lux, quia Palancus iterum loquitur de compositione creabili, quæ mihi tam chimærica est, quàm creatio componibilis. Tam compositiones non creantur, quàm creationes non componuntur. Sed in istis nihilominus verbis adverto rationem, ob quam Palancus à demonstratione mea resilit. Putavit meæ mentis esse quòd Deus non posset eodem instanti creare omnes partes alicujus corporis & illas unire, quod est illas ponere simul, sive componere: unde ait, *Numquid Deus eget partibus antè factis ad totum faciendum, sicut homines?* Nunquam meæ mentis id fuit: potest utique Deus uno instanti creare omnes ac singulas partes alicujus corporis, & unire illas perinde, ac non unire; sed nihilominus actio creandi non erit actio uniendi: erunt equidem duæ actiones simul exercitæ, sed una non erit alia: sic Deus cognoscit & amat simul; sed ea propter an Metaphysicus non distinguit actionem cognoscendi ab actione amandi.

Qua Metaphysica si usus fuisset Palancus, non addidisset,

set, *cur unica & simplici actione non possit totum cum suis partibus, & unione ipsarum ex nihilo ipsius efficere immediate, nihilo illius præsupposito?* quia enim potest Deus creare res aliquas, & non unire, signum est, aliud esse *creare*, & aliud esse *unire*, & ideo aliam esse actionem creandi & aliam uniendi:sicque patet cur Déus non possit una & simplici actione creare & unire partes totius, licet creare illas simul & unire possit in eodem instanti, scilicet reali: nam aliàs istud instans reale habet duo instantia objectiva, quorum in uno partes creantur, & in alio uniuntur: per quem rigorem metaphysicum magis confirmatur quod dictum est de differentia inter actiones creandi, & uniendi, seu componendi; & ex qua pendet totus vigor ac splendor nostræ demonstrationis. XXI. Aliud tamen est unire & aliud creare.

PAZZIUS. Noli, mi Rocchi, noli hanc præsumptam demonstrationem vocare *vestram* ac minus *tuam*. Attulit jam ante annos quingentos D. Thomas: nec insolutam reliquit: Audi Palancum. *Quin imo, ne de tua demonstratione glorieris, illam sibi*, (D. Thomas) *opponit his terminis: Quod creatur est ex nihilo: sed composita non sunt ex nihilo; sed ex suis componentibus: ergo compositis non convenit creari*. Pergit: *En tuam demonstrationem: cui respondet facillime, Quod compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur, nempe ex nihilo præsupposito, nec ante facto.* XXII. Opponitur hanc demonstrationem non esse novam. Dial. 85. n. 707.

ROCCHIUS. Imo hæc demonstratio, licet à Sancto Præceptore vestro jamdiu allata, vestra non est, quia vobis non est: nostra est, quia nobis est, mea est quia mihi est; & adhuc mea magis est, quia magis quàm cæteri Atomistarum, totus sum in illa munienda & adornanda, & illustranda, ut vides. Quare meæ partes hîc sunt expendere responsionem D. Thomæ, non dimidiatam, qualem affert Palancus, sed integram, quæ hæc est. *Ad secundum dicendum quòd creatio non dicit constitutionem rei composi-* XXIII. Ostenditur D. Th. favere ipsi demonstrationi.

ta ex principiis praexistentibus. Sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur. Sic autem responsionem istam expendo & comperio illam nostræ demonstrationi favere; nam quando ait S. Doctor *quòd creatio non dicit constitutionem rei compositæ ex principiis praexistentibus*, clare ait quòd si principia præexisterent, res quæ componeretur ex illis, non esset creata. Unde sub hoc respectu præexistentiæ saltem intelligibilis partium, res ex partibus illis composita non est creata: & ita nullum compositum est creatum sub illo respectu.

XXIV. Adhuc magis favet per verba sequentia.

Tum D. Thomas sic pergit, *Sed compositum sic dicitur creari, quod simul cum omnibus suis principiis in esse producitur.* Quod idem est ac si dixisset, sed est alius respectus, sub quo compositum dicitur creari: quando videlicet omnia principia compositi, sive omnes partes compositi simul producuntur. Quo pacto, si bene capio verba S. Doctoris, è duobus compositis, quorum unum fieret ex partibus antè productis, & alterum ex partibus simul cum ipso productis, illud non diceretur creari, sed istud diceretur creari: neutrum tamen revera crearetur; & ideo D. Thomas non affirmat istud secundum creari, sed tantùm ait quòd *dicitur creari*, nempe ad discrimen ab illo primo, quod non dicitur creari. Atque in hunc modum de re minùs, quàm de nomine apud vos ageretur: nobis autem tota difficultas est de re, nulla de nomine.

PAZZIUS. Tota etiam difficultas, mi Rocchi, est apud nos de re: nam D. Thomas hîc expresse suscipit probandum quòd *creari sit proprium compositorum & subsistentium.* Id autem probat, tum hac authoritate ineluctabili, *Creavit Deus Cœlum & Terram:* tum hac validissima ratione, quia creatio proprie terminatur ad esse & subsistere: compositis autem proprie cnovenit esse & subsistere, sed non illorum partibus.

1. part. q. 45. A. 4.

F. ROCCHIUS. Ad istam rationem quod spectat, vide, mi Pazzi, potuisse Deum ab initio producere partes materiæ aut separatas, aut conjunctas, ut voluisset: sed casu quo produxisset separatas, an non extitissent & subsitissent seorsim? sane perinde ac in composito, in quo licet conjunctæ sint, nihilominus ut una non est alia, ita existentia unius non est existentia alterius; ita subsistentia unius non est subsistentia alterius: existunt, subsistunt singulæ per existentias, per subsistentias suas: nihilominus hoc non impedit quominus intelligatur una quædam totalis, tum existentia, tum subsistentia, quæ composito tribuitur: atque hinc compositum denominatur tum existens, tum subsistens. Erraret tamen qui crederet compositum dare sive existentiam, sive subsistentiam partibus; cum è contra ut nihil est præter partes ipsum componentes, ita nihil habet nisi à partibus. Venio ad authoritatem quæ nullatenus nos premit, quia verbum illud *creandi* accipitur in sacris paginis passim pro eo quod est componere, seu producere ex partibus præexistentibus.

XXV. Partes singulæ habent seorsim suam existentiam.

Certe in eodem capite primo Geneseos sicut legitur, *In principio creavit Deus Cælum & Terram*, ita etiam legitur, *Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam: ad imaginem Dei creavit illum, masculum & fœminam creavit eos.* Neque potest hîc verbum illud *creandi* accipi pro eo quod est producere ex nihilo: quia similiter scriptum est, *Formavit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, non igitur de nihilo: & deinde, *Et ædificavit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam in mulierem*, non igitur de nihilo facta est. Rursus scriptum est in eodem primo capite Geneseos, *Creavitque Deus cete grandia, & omnem animam viventem, &c.* ac tum in secundo legitur, *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ & universis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam*, &c. Non igitur de nihilo facta sunt

XXVI. Qualiter verbum *creandi* accipiatur.

Gen. c. 1. v. 27.

Gen. c. 2. v. 7.

ibid. v. 22.

hæc volatilia cœli,& illa animalia terræ,& de quibus nihilominus legitur quòd fuerint creata. Quid hinc colligitur,nisi verbum illud *creandi*, quod modò strictè, modò late accipitur,nihil hîc contra nos probare?Potuit Deus producere cœlos ex partibus ante aliquod tempus productis; potuit illos producere ex partibus non ante ullum tempus productis: sed quocumque modo id fuerit,partes creavit, cœlos composuit; qui dum nihilominus creati dicuntur, si de creatione strictè accepta sermo est, hanc denominationem debent suis partibus, quarum productio est proprie dicta creatio, ut jam satis demonstratum fuit.

PHLALETHES. Adhuc tamen, mi Rocchi, assensum Pazzii nostri non obtines.

PAZZIUS. Adhuc certe non obtinet: nam adeò sejuncta est & aliena mea mens ab illis atomis, ut nisi videro & palpavero, non credam.

ROCCHIUS. Sed quid si vidisti nihil, si palpasti adhuc nihil præter atomos, quid aies?

PAZZIUS. Curiosum est quod proponis, mi Rocchi, sed superest ut probes.

PHILALETHES. At nolite, Domini mei, venire in

XXVII. examen hujus propositionis admodum curiosæ,antequam

Opponitur sensus, in quo compositum possit dici creatum

pro more meo aliquid decernam de novissima ista demonstratione, de qua tam animose contenditis, timeo ne de re minùs quàm de nomine contenderetis, quando alter vestrûm affirmat, alter negat compositum esse, aut debere dici *creatum*: nam si semel supponitur, ut supponi potest, omnes & singulas partes compositi, si seorsim accipiuntur, creatas esse, siquidem ex nihilo factas; quomodò conjunctim acceptæ, non erunt creatæ, siquidem pariter factæ ex nihilo? Sed compositum nihil est præter omnes illas partes conjunctim acceptas: quare in hoc nulla esse advertitur repugnantia, quòd sit & dicatur *creatum*. Tum verò compositum sic reduplicative acceptum

non creatur, quia sic acceptum coalescit ex partibus. Hinc sub uno quidem respectu est creatum, & sub alio non est creatum; sicque dici potest & non dici *creatum* secundùm varios respectus: & in hoc denominatio compositi *creati*, aut *non-creati* arbitraria videretur.

ROCCHIUS. Neque tamen arbitraria est, optime Philalethes, quia hic non agitur de composito, nisi secundùm quòd habet partes, seu fit ex partibus: & in hoc sensu nunquam est, nunquam potest dici *creatum*: ad id autem quod ais compositum esse nihil præter partes conjunctim acceptas, quæ sic creatæ sunt, si seorsim creatæ sunt, respondeo eas non posse sic conjunctim accipi, nisi supponantur creatæ; & ideo hæc acceptio simultanea non potest esse creatio; uti revera prout simul sumptæ non sunt creatæ, sed unitæ: quod in causa est cur composito convenire nunquam possit notio entis creati: quæ ideo convenire non potest in genere materiali, nisi entibus materialibus incompositis, sive atomis. XXVIII. Satisfit tali oppositioni.

PHILALETHES. Bene est, mi Rocchi: evanuit mea illa difficultas: neque ut verum fatear, antè confidebam posse à te tam clare ac solide probari existentiam atomorum, quas mihi jam patet esse prima principia materialia rerum materialium omnium. Redeamus jam ad id quod aiebas nihil à Pazzio nostro visum unquam, aut palpatum præter atomos fuisse. An id joco aiebas?

PAZZIUS. Sic dictum arbitror.

ROCCHIUS. Serium est, Domini mei, quod aio: nec forte quicquam habet ulla demonstratio verius ac evidentius: & ut te ipsum, mi Pazzi, testem ac præconem veritatis hujus & evidentiæ reddam, ne graveris respondere ad hæc quæsita duo præambula, quæ ad rem meam intersunt. Quando vides aut tangis parietem, an vides, an tangis profunditatem illius? XXIX. Nihil præter atomos videtur aut tangitur.

PAZZIUS. Mihi nunquam id in mentem venit: vi-

deo nihil, tango utique nihil præter superficiem illius.

ROCCHIUS. Sed quid adhuc te putas videre ac tangere quando vides & tangis superficiem illius?

PAZZIUS. Quid video, quid tango nisi partes extremas, sive externas, quæ sic aut sic ordinatæ componunt superficiem illam.

ROCCHIUS. Vere respondisti: & ego jam vere hinc infero te videre, te tangere nihil præter atomos, quando vides atque tangis parietem: & ratio id inferendi est, quia partes illæ externæ seu extremæ, quas vides & tangis, sunt indivisibiles in alias; sicut etiam superficies quam componunt, in nullam aliam superficiem potest dividi.

XXX. Respondetur argumento. PAZZIUS. Bene aiebam, mi Rocchi, te jocari: bene id suspicabatur Philalethes; nam adeò ne me obtusum conjecisti, ut illico crederem istam superficiem, de qua sermo est, eò quòd sit indivisibilis citra, esse pariter indivisibilem ultra, sive, quod idem est, intra profunditatem parietis? Similiter partes, quæ superficiem illam componunt, capio quidem esse indivisibiles citra, aliàs enim nec externæ, nec extremæ essent; sed non eapropter sunt indivisibiles ultra; & ideo atomi non sunt, quibus utique opus est, si vere atomi sunt, absolutam & omnimodam indivisibilitatem inesse.

XXXI. Partes non dividuntur in alias, sed ab aliis. ROCCHIUS. Arbitrabar te id etiam responsurum, mi Pazzi, & jam audi meam instantiam, propter quam certus sum, quòd tuam illam joci mei suspicionem deponens. Ecce fateris superficiem illam quam vides & tangis, esse indivisibilem citra, propter quòd & externa, & extrema sit, sed non minùs est indivisibilis ultra. Ratio manifesta est, quia si divisibilis esset ulrra, utique primò divisibilis esset in eam, quæ immediate illam sequitur, & sic deinceps secundò ac tertiò, &c. in alias quæ succedunt; quod est impossibile: quis enim non videt superficiem il-

lam internam, quæ sequitur istam externam immediate, differre ab ista: hinc facile intelligimus istam esse divisibilem ab illa, sed non in illam: & in hunc modum obtinetur superficies tam ultra quàm citra indivisibilis. Venio jam ad partes superficiem, de qua loquimur, componentes: istas itaque partes, mi Pazzi, admittis esse indivisibiles citra: Atqui sunt etiam indivisibiles ultra: differunt enim à cæteris omnibus quæ seu mediate, seu immediate sequuntur; unde sunt equidem divisibiles ab illis, sed non sunt divisibiles in illas. Ac tum quia eadem ratio valet pro partibus, quæ sibi mediate aut immediate lateraliter adhærent, sequitur partes illas omnes, quæ superficiem de qua sermo est, componunt, esse omnino indivisibiles, & ideo atomos esse. Igitur, Domini mei, quando videtis & tangitis parietem, nihil videtis, nihil tangitis præter atomos.

PHILALETHES. Est aliquid lucis, & aliquid consequentiæ in tuo discursu, mi Rocchi: sed in eo mihi displicet, quòd de partibus omnibus ac singulis & superficiem & profunditatem parietis componentibus pronuncias eas esse divisibiles ab invicem cum audacia, quæ de contrario nihil dubitat, licet hæc difficultas una sit earum, quæ mire torquent omnes Philosophos. Dic nobis, si placet, quibus perspiciliis utaris ad videndas illas atomos tuas tam omnes divisibiles ab invicem, tam omnes indivisibiles in se ipsis.

ROCCHIUS. Aliis perspiciliis non utor, Domini mei, nisi mentis quam Deus dedit, & philosophicus improbus labor excoluit: his munitus video etiam omnes cujusvis corporis atomos divisas ab invicem, non obstante omnium unione in una mole. Et ne rursus id joco tribuatis, efficiam verbis paucissimis ut vos etiam videatis. An inter nos jam constitutum non fuit omnes partes cujusvis corporis, cujuscumque sint numeri, vel etiam infiniti, si hæc hypotesis potest fieri, esse ab invicem distinctas, ita quòd

XXXII. Omnes partes sunt divisæ ab invicem, licet aliàs unitæ.

nulla sit alia ? Hinc *primò* intuli nullam esse quæ divisibilis sit in alias : hinc intuli *secundò* nullam esse, quæ non dividi possit ab aliis : neque hanc divisibilitatem nimis audacter potui affirmare, si video divisionem, scilicet singularum respective ad singulas, licet non respective ad molem indivisam, quam singulæ licet aliàs divisæ componunt. Ecce demonstrationem meam : Ex partibus quarum nulla est alia, nulla occupat locum alterius : igitur singulæ sunt in locis singulis, & ideo in locis diversis & in locis distantibus : juxta quam locorum distantiam distant etiam partes illæ ab invicem : quare in spatio v. g. quod occupat baculus tripalmaris, quot sunt partialia loca, tot sunt partes illa loca occupantes : atque hinc sequitur parem esse partium & locorum divisionem perinde ac distinctionem. Jamque advertitis modum, quo his quidem oculis video atomos, nihilque præter atomos conjunctim, & his ratiociniis divisim.

XXXIII. Qualiter partes sint indivisibiles in se ipsis.

Deinde redeo ad meum baculum tripalmarem, cujus assumo duo extrema ; unius partes voco *primas*, alterius voco ultimas : tùm sicut primæ sunt indivisibiles citra, ultimæ sunt indivisibiles ultra, ut patet ad oculum ; neque id non patebit similiter de multis aliis partibus componentibus longitudinem baculi, si baculus frangitur ad arbitrium : nam per istas fractiones apparebunt in singulis fragmentis partes extremæ, aliæ primæ, aliæ ultimæ, aliæ indivisibiles citra, & aliæ indivisibiles ultra. Quòd si postmodùm intellectu accipio, ut accipere possum, omnes & singulas totius baculi partes, illas clare concipio esse pariter tam citra quàm ultra indivisibiles: & ideo tam citra quàm ultra divisibiles ab invicem. Atque hæc est characteristica proprietas atomorum, quas contendo esse materiam primam, & solam rerum materialium omnium.

XXXIV. Seclusâ indivisibilitate

PHILALETHES. Debeo his ratiociniis, mi Rocchi, cogitationem hanc quæ meæ menti se offert, videlicet

licet

licet quòd frangi nihil posset, si partes rei fragilis non essent hujusmodi omnes ac singulæ tum indivisibiles in se, tum divisibiles ab invicem: namque aliter nullæ essent ultimò divisibiles, & sic nulla divisio, nulla fractio unquam fieret: apparet autem, quoties accidit aliqua fractio, partes intermedias illas, quæ fiunt extremæ, dividi ultimò potuisse ab invicem; & ideo indivisibiles fuisse, alias quidem citra, & alias ultra: at in hunc modum omnes partes intermediæ possunt fieri extremæ pro arbitrio vel casu fractionum possibilium. Quapropter in modico suades me fieri Atomistam. Et tu, mi Pazzi, an aliquando poteris suaderi?

PAZZIUS. Saltem nondum est in proximo, ut suadear: licet enim me mirum in modum urgeat Rocchius, urget me mirabiliùs tum una quædam demonstratio, tum una quædam authoritas: illa insolubilis est, ista irrefragabilis.

ROCCHIUS. Quæ tua sit insolubilis illa demonstratio, quæ tua sit ista irrefragabilis authoritas contra hæc, quæ dixi de atomismo pro stabilienda prima vera materia corporum omnium, dic quàm primùm, mi Pazzi, & incipe, si videtur, à ratione, quæ si demonstrativa est, omni authoritati præponderat.

PAZZIUS. Demonstratio nostra hæc est. Nihil materiale cogitari potest quod extensum non sit: & extensum nihil est sine partibus, à quibus suam habeat extensionem: & rursus nihil quod non sit divisibile in partes, coalescere potest ex partibus. Jam verò atomi vestræ, si quid sunt, materiales sunt, atque ita extensæ sunt & divisibiles. Et hæc demonstratio adhuc firmatur, si ad hoc attenditur, quòd nulla res extensa esse possit, quæ alicujus figuræ non sit: ubicunque autem figura est, ibi est particularis quædam dispositio linearum, angulorum, & superficierum. Hinc cogitari atomi nisi figuratæ non pos-

XXXV. Opponitur demonstratio sumpta ex figura rei materialis.

sunt, neque cogitari sic possunt, quin illico advertatur quòd divisibiles sunt in lineas, angulos & superficies, à quibus figuram, qua sunt prædítæ, obtinent. Quin etiam si quid sunt lineæ, anguli, superficies figuram illam componentes, an non materiales sunt; igitur nec illis deerit sua figura, scilicet constans ex alijs minoribus lineis, angulis & superficiebus; & sic in infinitum itur, quin perveniatur ad ullum minimum materiale, sive ad ullam atomum. Hæc est, mi Rocchi, demonstratio, quam habes solvendam.

PHILALETHES. Hæc est, mi Rocchi, demonstratio propter quam ab atomismo, in quem te suadente antè inclinabar, resilio: hîc adverto difficultatem insuperabilem.

XXXVI. Partes majores sunt ex minoribus, donec veniatur ad minimas.

ROCCHIUS. Hæc equidem fere omnibus Philosophis insuperabilis visa est, & ideo confiteri debuerunt nescire se quæ sint vera principia materialia: nam ad illa pervenire non potuerunt, nisi ad materiales atomos pervenirent. Audite me patienter, Domini mei, & enitar superare illam. Intelligite omne quod est materiale, non esse extensum nisi juxta proportionem materiæ, sive portionum materialium, ex quibus coalescit: siquidem quidquid ex materia componitur, non ex tota materia componitur, sed ex quibusdam portionibus totius materiæ. Hinc omnibus compositis materialibus competit extensio major aut minor, pro multitudine ac magnitudine portionum materiæ ipsa componentis. Sed tum non omnes illæ portiones illa primò componunt; nam si majores sunt, ex minoribus componuntur, ut istæ minores ex minoribus alijs, quæ rursus non erunt primò componentes, nisi sint minimæ: sicque obtinemus portiones materiæ primas & primò componentes, atque ideo minimas, quibus minimam extensionem tribuimus; est autem proprium extensioni minimæ non posse dividi in alias ex-

tensiones : idque ad modum quo unitas numerica dividi non potest in alias unitates, licet sit vera pars numeri ac verum illius principium, sicut atomus una est vera pars ac prima quædam pars continui.

Inde rursus sicut in numero non est reperire nisi unitates, quæ numerum primò componunt, ita in continuo non est reperire nisi atomos, à quibus primò componitur : istæ atomi conjunguntur; quælibet secum habet suam extensionem minimam: & ita ex istis minimis extensionibus fiunt minores, ut ex minoribus majores. Miror, mi Pazzi, quòd non capias unum quid materiale minimum, & inde unum quid extensum extensione omnium minima: tum ex hoc uno minimo materiali, & ideo minimæ extensionis, ires ad omnia materialia minima, quæ sunt prima materialia principia, & esse nisi atomi non possunt. *XXXVII. Atomi comparantur cum unitatibus numericis.*

PAZZIUS. Concipere forsan possem, mi Rocchi, tua illa minima materialia, seu habentia minimam extensionem, nisi obstaret, ut aiebam, quòd non possunt concipi alicujus extensionis, nisi concipiantur alicujus figuræ: hoc ipso autem non erunt minima, quia minores erunt lineæ, anguli, superficies talis figuræ.

ROCCHIUS. Sed neque tu, mi Pazzi, neque totus Aristotelismus probabitis esse posse vel etiam apprehendi posse figuratum id, quod non aliter extensum est quàm extensione omnium minima, quæ est extensio unius puncti physici creati. Ecce ad figuram saltem opus est una linea, & ad lineam saltem opus est duobus punctis ordinatis: hinc sicut erraret Mathematicus, qui in uno mathematico puncto figuram admitteret mathematicam, ita errare videretur Physicus Atomista, qui in uno puncto physico seu quod est, in atomo una physica, fateretur esse figuram physicam. Est equidem quodlibet punctum physicum omnis lineæ initium & omnis figuræ, sed in se nec lineatum, nec figuratum est. *XXXVIII. Res extensionis minimæ non est figurata.*

PAZZIUS. Implet me stupore tua hæc novitas. Quando, mi Rocchi, objeci tuis atomis figuram, reputavi eam non debuisse à me probari: noveram enim Atomistas etiam rigidos in hoc esse concordes, ut suis atomis varias figuras tribuant, quas etiam putant idoneas pro explicanda faciliori ac strictiori atomorum unione ad compositionem continui. An non Maignanus ita sensit? An non tu ipse ita sentiebas olim in tua Physica, & non ita pridem in contentione nostra circa Gennarum? Forsan in hoc peccabat Atomismus vester: & ideo cogitas hodie de ista reformatione illius.

XXXIX. Melius est adimere atomis figuram.

ROCCHIUS. Equidem sic mihi melius hodie videtur admittere atomos omnis figuræ prorsus expertes: sic enim valde magis incompositæ admittuntur: nec potest aliquid illis melius quàm summa incompositio convenire. Propterea nihil agnosco in atomis nisi principia extensionis, seu primas extensiones, ex quibus conjunctis componitur totalis quædam extensio, quæ in figuram aliquam dilatatur. Neque id displicere poterit Aristotelicis, qui notionem materiæ primæ perducunt ad puram usque potentiam nihil habentem formæ, nihil figuræ: ego similiter in primis principiis materialibus, præcise ut materialibus, nullam agnosco formam, nullam figuram. Quem in modum si vellent Aristotelici mutare suum illum abstractum loquendi modum, & loco illius puræ potentiæ, admittere prima entia creata, quibus puram illam potentiam tribuerent recipiendi omnem formam & figuram, facilè dexteras jungeremus, & Aristotelismus in Atomismum evaderet.

XL. Credibilius est esse atomos, si figuram non habent.

PHILALETHES. Nihil adde, mi Rocchi, de ista metamorphosi nimis incredibili, quam proponis. Sed jam patere ut ingenue dicam, si quid ab atomistica Philosophia me sejunxit, id fuisse quòd in atomis nunquam intelligere potui figuram sine aliqua illarum possibili divisio-

ne, quæ utique atomorum notioni repugnat. Sed hodie proponis systema, quod magis arridet; nam revera si atomi debent intelligi ad instar punctorum materialium, nulla unius atomi potest esse figura, quia nulla esse potest unius puncti. Et sic quidem loquuntur Mathematici de suis illis punctis abstractis, ex quibus componunt lineas, ut ex lineis superficies, & ex superficiebus profunditates corporum pariter abstractorum; sed suis illis punctis abstractis nullam tribuunt extensionem: tuis aliquam tribuis. Vide ne in hoc imprudenter agas, ac tum dic, si placet, quare Maignanus & qualiter putavit posse subsistere simplicitatem talium punctorum sive atomorum cum figuris, quibus illas esse præditas sustinuit, ita quòd atomis aliæ sint sphæricæ, aliæ cubicæ, aliæ pyramidales, aliæ prominulæ, aliæ recurvæ, &c. Aut enim ille peccavit admittendo in atomis illas figuras, aut tu peccas non admittendo.

PAZZIUS. Et ideo mirabar, optime Philalethes, novitatem istam in Rocchio, qui aut super omnes docentes se intellexit, aut non debuit ab illis per sententiam adeò novam discedere.

ROCCHIUS. Obtempero itaque tibi, optime Philalethes: & ecce ante cætera discrimen, quod est inter Mathematicos & Physicos Atomistas circa materiam, quam considerant & tractant. Mathematicis sufficit materia in abstracto accepta; quòd sit producta vel improducta; quòd sit mobilis aut immobilis; quòd sit determinata vel indeterminata in specie, &c. ad id non attendunt: sufficit illis materia quæcumque illa sit, modò sit in infinitum spatiosa; sufficit illis pro materia spatium, in quo suas figuras exarant: in quo fingunt atomum; illam aliter vocant punctum quod fluit: & ille puncti fluxus est linea: tum fingunt lineam quæ in transversum fluit, & hic lineæ fluxus est superficies: tandem fingunt superficiem quæ pari-

XLI. Quid sit materia apud Mathematicos.

ter fluit; & hic superficiei fluxus est profunditas, sive soliditas corporum: & exinde considerant infinitas figuras resultantes ex infinite variis talium punctorum, linearum ac superficierum concursibus ac incidentiis: sicque sua problemata & theoremata conficiunt ex sola hypothesi talis materiæ.

XLII. Quid sit materia apud Physicos.

At Physici materiam requirunt productam, mobilem, in determinata specie constitutam, finitam, & per cujus partes associatas atque conjunctas fiunt illa corpora, quæ videmus. Tum verò quia hæc corpora realia sunt & concreta; ideò non illis tribuitur extensio abstracta & imaginaria, ut corporibus mathematicis, sed concreta & realis: unde non est mirum quòd Mathematici suis punctis nullam tribuant extensionem realem, uti nostris tribuimus, sed minimam, ut toties dictum est, ex qua multiplicata fit totalis extensio corporum prædictorum. Ad id autem quod à me quærebas, optime Philalethes, cur Maignanus senserit tribuendas esse atomis figuras varias, puto id non aliunde accidisse quàm ex eo quòd veritas rerum tota non illico elucescat: diu in eadem opinione fui cum illo: sed hodie mihi videtur necesse non esse admittere figuram ullam in atomis: & hanc opinionem propono. De cætero autem non affirmo illum in admissione talium figurarum peccasse: satis est ad privatæ meæ opinionis propositionem, quòd peccare in re illa potuerit. Forsan ego sum qui pecco, dum sic evado Atomista rigidior: sed tu ipse quid tandem hac de re arbitraris? Quid arbitrabitur Pazzius?

PHILALETHES. Arbitror & experior sic valde minui difficultatem, quam patiebar in atomis admittendis.

XLIII. Opponitur authoritas S. Augustini.

PAZZIUS. Idem arbitror, idem experior; sed nunquam tamen eò perducar ut in atomis illis, sive figuram habentibus, sive non habentibus credam posse stabiliri veràm notionem materiæ primæ, de qua hîc agitur: obs-

tat enim, ut aiebam supra, una quædam authoritas irrefragabilis; & hæc est S. Augustini, *cujus praexcelso ingenio,* ut loquitur Palancus, *si comparetur Atomistarum perspicacia & Philosophia, quasi tenebra erunt in comparatione lucis, vel quasi noctua aquilinis oculis comparata.* Itaque non mihi liceret contradicere tanto Doctori, qui præsertim in libro duodecimo confessionum suarum totus esse videtur in stabilienda illa ipsa materiæ primæ notione, quam Aristotelici propugnant: ibi omnino loquitur ut unus è nobis: ibi sensit ut unus è nobis: quare nulla est ratio quæ impellere me possit ad aliter loquendum, ad aliter sentiendum. Tum quia gravissimi ponderis est authoritas ista, Palancus fuse illam prosequitur, afferendo, suisque commentariis illustrando plures textus ex variis illius libri duodecimi capitibus desumptos, de quibus nescio, mi Rocchi, quomodo vel audebis negare quod affirmant, vel interpretari poteris in favorem atomisticæ vestræ materiæ. Pal. 87. n. 718.

XLIV. Ostenditur Augustinum nobis magis favere quàm adversari.

ROCCHIUS. Quamvis, mi bone Pazzi, constitutum inter nos sit authoritate minùs quàm ratione pugnare pro difficultatibus istis ad statuendam veram notionem materiæ primæ spectantibus, attamen omnino placet occasio quam offers ostendendi S. Augustinum magis cum locutionibus & opinionibus nostris, quàm cum vestris ubilibet circa rem, de qua sermo est, concordare. Sed quia longum esset ac vanum interpretari seorsim tot ac tam prolixos textus, quos Palancus accumulat, audite, Domini mei, dexteritatem fortè non displicituram, qua volo uti ad parcendum illi & longitudini, & vanitati. Volo ut hîc & nunc ex me audiatis ingenuam confessionem fidei atomisticæ circa materiam primam: ac tum quando abundabitis otio vestro, vacabitis lectioni textuum illorum, & videbitis an ita sit nec-ne, quod aio Augustinum ibi suo in sermone, suo in sensu aut nullatenus, aut parum omnino discessisse ab atomismo.

PHILALETHES. Laudo, mi Rocchi, hanc methodum; vel maxime quia parcit tempori, cujus avaritia sola laudanda est, & aliunde spem facit audiendi clare, imo videndi aperte atomismum vestrum.

PAZZIUS. Erit etiam mihi auditu pergrata hæc confessio fidei atomisticæ: tantùm subdubito, mi Rocchi, quin sub speciosa excusatione temporis male terendi effugere volueris difficultatem textuum singulorum, quos post Palancum eram ex Augustino propositurus.

XLV. Quæ sit prima consideratio materiæ primæ.

ROCCHIUS. Efficietne quidquam tale subdubites, mi Pazzi, candor quem in enarratione mea videbis. Itaque, Domini mei, scitote Atomistas dupliciter considerare materiam primam, juxta quam duplicem considerationem valde differenter de illa tum loquuntur, tum sentiunt. Considerant illam *primò* absolute, scilicet in se ipsa, & quatenus est quoddam ens creatum & determinatum ad esse materiæ; habet enim ex vi suæ creationis quidquid ipsi opus est ad esse perfectum & completum materiæ: habet igitur ex vi suæ creationis omnes perfectiones essentiales & accidentales materiæ; ita quòd si post creatam materiam Deus creare nihil aliud voluisset, stetisset materia in suo illo statu absoluto materiæ, ex sola hypothesi quod Deus conservare voluisset illam in eodem illo absoluto statu, in quo produxisset: quem in modum nulla fuissent, donec Deus voluisset composita ex istis aut illis pluribus aut paucioribus, taliter vel aliter unitis ac contemperatis portionibus materiæ fieri & comparere. An verò Deus quando creavit materiam primam toto in spatio mundano sparsam, illico selegerit illius portiones quot & quales voluerit ad aliqua composita efficienda ex illis, nescitur quidquam præter id quod Sacra Scriptura refert de operibus sex dierum. Hinc verò satis liquet quòd Deus faciendo Cœlum & Terram, & Sydera, & Animalia, & Arbores, &c. non aliunde fecit hæc omnia nisi ex mate-

ria

ria prima creata, & saltem intelligibiliter præcreata, cujus portiones seu majores, seu minores, seu minimæ vel conjunctim vel divisim creatæ conveniebant pro illis vel illis compositis efficiendis.

PAZZIUS. Nos, mi Rocchi, non ita loquimur de materia prima; nec Augustinus ita loquitur in locis à Palanco citatis.

ROCCHIUS. Patientiam habe, mi Pazzi, donec veniam ad considerationem aliam materiæ hujus primæ. Itaque Atomistæ *secundo* considerant materiam primam relative, scilicet non aliter quàm in ordine ad composita omnia, quæ fieri possunt ex illa, id est, ex certis portionibus illius selectis, plus minusve multiplicatis; taliter vel aliter tandem ordinatis, combinatis, dispositis ad determinatos motus & effectus. Quem in modum materia prima nullam habens formarum omnium futurarum aut possibilium in compositis futuris aut possibilibus, ac tum per illas omnes formabilis, nihil est omnino nisi materia prorsus informis; nihil est nisi subjectum formarum omnium; nihil est nisi pura potentia ad omnes formas: necdum quanta est quantitate compositi, necdum qualis est qualitate compositi, necdum habet quidquam quo sit determinata ad genus compositi ex ipsa efficiendi, ac tandem nihil omnino est cujusvis compositi nondum ex ipsa effecti. Sic materia cœli, si referatur ad tale compositum cœleste, quod factum est ex ipsa, nihil erat nisi subjectum formæ illius cœlestis: nisi pura potentia ad illam formam: nondum erat quid illius cœli, nondum erat quanta quantitate cœli, nondum qualis qualitate cœli, tandem nihil erat cœli. Neque aliter unquam loquimur de materia præcise sive metaphysice considerata in ordine ad compositiones vel faciendas, vel factas ex ipsa. XLVI. Affertur secunda consideratio materiæ primæ.

An non, mi Pazzi, jam ut vos loquimur? An non loquimur sicut Augustinus in locis à Palanco citatis? Quid XLVII. Atomistæ loquuntur Augustiniane.

conf. l. 12. c. 3. ibi ait Augustinus? *Nonne tu Domine docuisti me, quòd priusquam istam materiam formares atque distingueres, non*

Ibid. c. 8. *erat aliquid, non color, non figura, non corpus, non spiritus: non tamen omnino nihil? Erat quadam informitas sine ulla specie.* Et alibi. *Illud autem totum prope nihil erat, quoniam adhuc omnino informe erat, jam tamen erat quod formari poterat. Tu enim Domine fecisti Mundum de materia informi, quam fecisti de nulla re pene nullam rem, unde faceres magna quæ miramur filii hominum.* Sic etiam loquimur, mi Pazzi; & hæc duo loca, quæ sunt instar omnium, satis sit retulisse.

XLVIII. Opponitur Augustinum non loqui de atomis.

PAZZIUS. Equidem hîc audio vos non absimiliter loquentes; cur igitur opiniones vestræ non concordant cum vocibus? Ne ullum quidem hîc est verbum de atomis: ne illas quidem nominat Augustinus: ad illas igitur inepte recurritis pro explicanda materia prima.

ROCCHIUS. Ad illas non recurrimus pro exponenda materia prima relative spectata; de qua sic spectata hîc loquitur Augustinus; sed ubi exponenda est materia prima qualis est in se ipsa, & ad quam sic spectatam Augustinus hîc non attendit, tunc recurritur ad atomos, quæ sunt materialia prima principia, à Deo creata & perfecta & completa in suo esse materiali; quod utique non est in se ipso pura potentia, licet postmodùm considerari possit sub respectu puræ potentiæ, sub ratione meri subjecti capacis formarum omnium, &c. Distinguite, si placet, rem materiæ à respectu materiæ: ac tum & in vocibus & in opinionibus concordes erimus.

XLIX. Aliud est res materiæ, & aliud respectus materiæ.

Exemplum accipe: vides saxa, lateres, tegulas, arenam, calcem, tigna, tigilla, clavos, &c. Hæc sunt materialia domus ædificandæ: hæc sunt tota domus: hæc sunt nihil domûs. Hæc equidem sunt tota domus, quia in domo ædificata reperies nihil præter hæc omnia; sed etiam hæc sunt nihil domûs, quia nondum ullam habent

formam, figuram, magnitudinem, pulchritudinem, aut appellationem domûs: sicque illa materialia omnia in ordine ad domum ædificandam nihil sunt, nisi quædam pura potentia recipiendi formam & figuram & magnitudinem, & pulchritudinem & alias qualitates ab Architecto accipiendas; sed tum si considerentur absolute ut sunt in se ipsis, singula seorsim sunt entia perfecta & completa in suo esse, habentia suam formam, suam figuram, suam magnitudinem, suam pulchritudinem, &c. Jam verò quod tam clare patet in artefactis nostris, non minùs patet, si attenditur, in omnibus operibus Naturæ, quæ sunt artefacta divina. Namque Mundus fabricatus non fuit sine materialibus saltem intelligibiliter præproductis, ex quibus fabricaretur: unde concipitur Deum produxisse ab initio seu corpora seu corpuscula sufficientia aut unius generis aut diversi, ex quibus per supremam suæ sapientiæ artem selectis, ordinatis, & combinatis produxerit, quidquid produxit.

L. In quo sensu materia prima sit pura potentia.

Illa igitur entia quæcunque sint, saltem intelligibiliter, ut dixi, præproducta, erant tota materia Mundi: & de ista tota materia dico, quod de singulis portionibus illius dicendum est, eam videlicet fuisse illico ex vi suæ creationis ens quoddam perfectum atque completum in esse suo, ac per formam, ut ita loquar, suæ materialitatis formatum; sed in ordine ad Mundum ex ipsa fabricandum nihil omnino habebat, nisi rationem puræ potentiæ & meræ capacitatis ad recipiendas omnes formas rerum, ex quibus futurum erat, dico saltem intelligibiliter futurum, ut hic Mundus spectabilis coalesceret. Jam verò tota illa prima materia, quæ à Deo creata fuit, non deperiit; sed subsistit, licet obnoxia sit varietati formarum innumerabilium advenientium, aut possibiliter adventurarum: & ideo in hoc errant Aristotelici quòd ubi agitur de materia prima vera & reali corporum, non as-

ſignant pro materia niſi reſpectus varios & varias præciſiones materiæ: nos autem aſſignamus pro illa particulas ſive atomos elementares ac primordiales, ex quibus & antiquæ illæ omnes compoſitiones divinæ cœlorum, ſyderum, hominum, animalium, arborum, &c. factæ ſunt, & hodiernæ humanæ fiunt rerum vim & induſtriam noſtram non ſuperantium.

LI. Ariſtotelici non loquuntur de materia, niſi ut abſtracta.

PHILALETHES. Da veniam, mi Rocchi, retinendi ardorem tuum, qui nos in altam noctem protraheret. Oro, Domini mei, ut ſi quid adhuc contendendum præconcepiſtis, id in diem ab hinc tertiam retineatis: dabitis mihi biduum otii ad perficiendum momenti ſatis magni negotium, quod ſuſcepi. Tantùm dico non mihi videri valde ponderandam in his locis à Palanco citatis authoritatem S. Auguſtini: non quòd excelſus Philoſophus non fuerit, ſed quòd hîc minùs agit Philoſophum, quàm Oratorem pium & humilem de rebus Philoſophicis iſtis pie & humiliter diſcurrentem. De cætero convicit me Rocchius, mi Pazzi, materiam primam quæcunque illa ſit, eſſe quid valde reale, & perfectum atque completum in ſuo eſſe creato; & hinc mihi minùs placet quòd Ariſtotelici non aliter loquantur de materia phyſica, quæ hîc inquiritur, quàm loquerentur de ente aliquo præciſo & abſtracto, dum aiunt materiam nihil eſſe niſi puram potentiam, niſi meram capacitatem ſubjectivam formarum omnium, &c.

LII. Materia phyſica conſiſtit vere in atomis.

Dicant ſaltem materiam primam corporum omnium eſſe aliquod ens realiter productum, & exiſtens per ſe atque ſubſiſtens, quod tum conſiderari poteſt ſub reſpectu puræ potentiæ, ſub reſpectu capacitatis ſubjectivæ formarum omnium, &c. Sic enim admitterent materiam phyſicam, de qua deinde ut vellent, metaphyſice loquerentur. Magis ergo placet quod aiunt Atomiſtæ, quando adducunt materiam primam, de qua dicunt quid

sit, uti quòd consistat in atomis elementaribus, vere creatis, vere realibus, vere in suo esse materiali perfectis atque completis; sed quæ nihilominus subjacent necessariis omnibus præcisionibus attinentibus ad metaphysicas varias considerationes materiæ, quando & quoties opus est de illa loqui, ut Metaphysici solent, attendendo non ad res, sed ad rerum respectus, seu conceptus præcisos.

LIII. Opponitur composita fore entia per accidens.

PAZZIUS. At obstat, Domine mi Philalethes, quin Atomistarum more loquamur & sentiamus de materia prima, ratio invictissima, tibique notissima, qua probatur composita naturalia, de quorum materia prima hîc disputatur, esse entia per se, quæ aliàs non forent, nisi entia per accidens, si materia & forma ex quibus componuntur, essent entia completa: hoc in causa est cur nobis maxime caveatur loqui aliter de materia & forma, quàm sicuti de duobus entibus incompletis.

ROCCHIUS. Et hoc in causa est, mi Pazzi, cur vestra Physica nihil nisi Metaphysicam sapiat; neque diffido me id probaturum tibi, quum opus fuerit.

PHILALETHES. Novi, Domini mei, cujus ponderis sit hæc difficultas & cujus solutio pendeat ex notione vera formæ substantialis; de qua, si videbitur, inter vos certabitis, ut aiebam, post biduum in his ipsis ædibus meis.

ROCCHIUS. Imo, si placet, in meis suburbanis certabitur de illa, & ibi tres unà prandebimus.

PHLALETHES. Fiat ut petis, mi Rocchi.

PAZZIUS. Fiat, mi Rocchi, & para prandium philosophicum, quo nullum potest esse nobis acceptius.



DIALOGUS QUARTUS.

QUAM MALE SENTIANT Aristotelici de forma substantiali.

PERSONÆ COLLOQUENTES:

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

1 Hic primò agetur de entibus per accidens.

PHILALETHES. Oh quam bene pransi sumus, mi Pazzi! Quas gratias agemus hospiti, qui tam læto ac tam lauto epulo nos excepit?

PAZZIUS. Gratias, quas amici solent sine ullo apparatu verborum, optime Philalethes: fere majores agerem, si nobiscum familiariùs egisset, nisi modum excessisset prandii philosophici, quod rogaveram ut pararet. Antè philosophari tecum, mi Rocchi, quàm convivari voluimus.

ROCCHIUS. Et ego sane volui dare tibi epulum philosophicum isto suavius, mi Pazzi; sed res non successit è voto. Misi summo mane qui emerent aliquot puras potentias & aliquot actus simplices, ex quibus volebam, si res fieri poterat, confici jusculum, quod palato tuo meliùs sapuisset. Sed negabant omnes habere se venalia hæc rerum genera, quæ si haberent, aiebant, vili venderent, siquidem à nemine requisita. Suspicor te male prandisse: quid enim dare potui quod tuo gustui faveret? Offerre non erat nisi atomos, quas non amas, & entia per accidens, quæ odisti.

PHILALETHES. Sic agitur apud urbanos & doctos

hospites, mi Rocchi, postquam paverunt corpus, animum recreant. Dedisti epulum instructum & recentissimis Truttis, & pinguissimis Mullis, & prægrandibus Soleis, & condimentis & dulciariis multis, quibus anima fuit vinum rubellum delicatissimi morsûs, cui sub finem Apianum accessit, & ais posuisse te nihil nisi atomos & entia per accidens in conspectu nostro. Alias utique necesse est esse atomos quas Pazzius non amat, & alia esse entia per accidens quæ odit: nam utrisque istis vescentem illum vidi, nec minori quàm me cum appetentia, durante prandio.

PAZZIUS. In causa paris tecum appetentiæ fuit, optime Philalethes, quòd atomos non esse, & entia per se reputavi esse quæcumque Rocchius jusserat esui nostro potuique apponi; sed ab his jocis, Domini mei, veniamus quàm primùm, ut solemus, ad seria.

ROCCHIUS. Nisi tuæ seriæ indoli morem gerere oporteret, mi Pazzi, non tam festinanter à mensa ad musæum properaretur. Hîc Domini mei, securi erimus à luctantibus ventis, qui mox exorti sunt: hîc residuum diei dabimus concertationi futuræ, qualem Philalethes noster iniri jusserit.

PHILALETHES. Author sum ut inde initium sumat, ubi nuperrima finem habuit. Fuit verò, si bene memini, difficultas hæc ultimò pertractata, scilicet quòd tu quidem, mi Rocchi, contendebas materiam primam omnem in se ipsa spectatam revera esse ens creatum, perfectum atque completum in genere suo, licet respective ad compositum ex ipsa faciendum habeat rationem entis incompleti propter rationem intelligibilem potentiæ, quam habet ad formam illius: Pazzius verò aiebat se non posse admittere tuas illas locutiones & opiniones de materia, veluti de ente completo; quia si materia & forma essent seorsim entia completa, non fierent ex illis unitis nisi entia per acci-

II. Distinguendum est inter entia per se, & entia per accidens.



DIALOGUS QUARTUS.

QUAM MALE SENTIANT Aristotelici de forma substantiali.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

1 Hic primò agetur de entibus per accidens.

PHILALETHES. Oh quam bene pransi sumus, mi Pazzi! Quas gratias agemus hospiti, qui tam læto ac tam lauto epulo nos excepit?

PAZZIUS. Gratias, quas amici solent sine ullo apparatu verborum, optime Philalethes: fere majores agerem, si nobiscum familiariùs egisset, nisi modum excessisset prandii philosophici, quod rogaveram ut pararet. Antè philosophari tecum, mi Rocchi, quàm convivari voluimus.

ROCCHIUS. Et ego sane volui dare tibi epulum philosophicum isto suavius, mi Pazzi; sed res non successit è voto. Misi summo mane qui emerent aliquot puras potentias & aliquot actus simplices, ex quibus volebam, si res fieri poterat, confici jusculum, quod palato tuo meliùs sapuisset. Sed negabant omnes habere se venalia hæc rerum genera, quæ si haberent, aiebant, vili venderent, siquidem à nemine requisita. Suspicor te male prandisse: quid enim dare potui quod tuo gustui faveret? Offerre non erat nisi atomos, quas non amas, & entia per accidens, quæ odisti.

PHILALETHES. Sic agitur apud urbanos & doctos

hospites, mi Rocchi, postquam paverunt corpus, animum recreant. Dedisti epulum instructum & recentissimis Tructis, & pinguissimis Mullis, & prægrandibus Soleis, & condimentis & dulciariis multis, quibus anima fuit vinum rubellum delicatissimi morsûs, cui sub finem Apianum accessit, & ais posuisse te nihil nisi atomos & entia per accidens in conspectu nostro. Alias utique necesse est esse atomos quas Pazzius non amat, & alia esse entia per accidens quæ odit: nam utrisque istis vescentem illum vidi, nec minori quàm me cum appetentia, durante prandio.

PAZZIUS. In causa paris tecum appetentiæ fuit, optime Philalethes, quòd atomos non esse, & entia per se reputavi esse quæcumque Rocchius jusserat esui nostro potuique apponi; sed ab his jocis, Domini mei, veniamus quàm primùm, ut solemus, ad seria.

ROCCHIUS. Nisi tuæ seriæ indoli morem gerere oporteret, mi Pazzi, non tam festinanter à mensa ad musæum properaretur. Hîc Domini mei, securi erimus à luctantibus ventis, qui mox exorti sunt: hîc residuum diei dabimus concertationi futuræ, qualem Philalethes noster iniri jusserit.

PHILALETHES. Author sum ut inde initium sumat, ubi nuperrima finem habuit. Fuit verò, si bene memini, difficultas hæc ultimò pertractata, scilicet quòd tu quidem, mi Rocchi, contendebas materiam primam omnem in se ipsa spectatam revera esse ens creatum, perfectum atque completum in genere suo, licet respective ad compositum ex ipsa faciendum habeat rationem entis incompleti propter rationem intelligibilem potentiæ, quam habet ad formam illius: Pazzius verò aiebat se non posse admittere tuas illas locutiones & opiniones de materia, veluti de ente completo; quia si materia & forma essent seorsim entia completa, non fierent ex illis unitis nisi entia per acci-

II. Distinguendum est inter entia per se, & entia per accidens.

dens; nullatenus verò entia per se, qualia esse composita naturalia totus Aristotelismus obtestatur. Evacuate itaque *primò* hanc superstitem de materia prima difficultatem; ac tum *secundò* movebitis aliam cum illa conjunctissimam, quæ est de forma substantiali. An vobis, Domini mei, ordo iste probabitur? Probatum iri confido; & eapropter oro te, mi Pazzi, ne quæstio ulla fiat de nomine, ut edicas clare quid sit ens per se, quid sit ens per accidens apud vestros Philosophos: quid mali sequeretur ex vestris illis entibus *per se* ablegatis, & ex alienis entibus *per accidens* in Philosophiam introductis. Verùm ut id valde breviter agas, tantùm desidero; nam intelligentibus pauca.

III. Quid sint talia entia apud Aristotelicos.

PAZZIUS. Res quæritur fere non necessaria; nam quis nescit ens per se apud Aristotelicos illud vocari, quod resultat ex duobus entibus incompletis, ac subordinatis, quorum unum se habet instar potentiæ, & aliud instar actûs potentiam actuantis: unde fit ut penetrative sint ad invicem, & unitatem specificam efficiant, quam vocamus unitatem compositi naturalis: talium verò entium illud quod est potentiale ac subjectivum vocatur *materia*; & illud quod est actuosum sive perfectivum vocatur *forma substantialis*. Quotiescunque autem accidit duo quædam aut plura entia completa, & ideo non subordinata, invicem conjungi sola partium conjunctione, licet hæc conjunctio fiat per partes minimas easque confundat, tunc compositum quod ex illis coalescit, est per accidens, nihil habens commune cum composito naturali, quod est per se. Hinc apud nos aliud omnino est compositio naturalis, & aliud mixtio elementaris; potest tamen mixtio elementaris in compositionem naturalem transire, quando scilicet aliquid unius elementi per alterius prædominium corrumpitur & transit ad formam substantialem illius. Rem, si opus est, explicabo clariùs per exempla.

ROCCHIUS.

ROCCHIUS. Parce isti labori, mi Pazzi; pauca hæc quæ dixisti, sufficiunt, ut inferam non posse fidem humanam pervenire ad credendum esse in rerum natura, composita id genus naturalia, qualia vos admittitis. Sed quia nondum inter nos agitur de forma substantiali vestra, quæ est incredibilissimum ens, satis erit si jam ostendero inutilem fore ad perfectam naturalem cōpositionem materiam, quæ non esset ens in se completissimum ac perfectissimū in genere materiali: etenim composito deesset illud perfectionis materialis, quod deesset materiæ: deesset illi complementum illud materiale, quod deesset materiæ: & ideo ut compositio naturalis perfecta & completa sit, necesse est materiam perfectam & completam esse: vel præsertim quia quod assertis de duobus entibus incompletis, nempe de materia & forma sese complentibus in compositione, fictitium est, ob id quòd nihil de perfectione unius possit transire in perfectionem alterius: & ideo rursus ex duobus entibus imperfectis nunquam exurgeret compositio ulla naturalis perfecta. Itaque materia prima tam perfecta fuit quando creata fuit à Deo, quàm perfectum deinde fuit, quidquid ex illa coaluit; an postquam Deus materiam illam creavit, dici de illa non potuit, *& vidit Deus quod esset bona*? Si bona fuit, igitur perfecta & completa fuit in suo esse. IV. Materia debet esse completa in suo genere.

PAZZIUS. Sed si bona fuit, & perfecta & completa in suo esse, potuisset seorsim ab omni forma subsistere: quod esse impossibile Thomistis placet: & saltem constat illam ne uno quidem temporis momento seorsim ab omni forma substitisse, si creditur S. Aug. quem Palancus refert ita loquentem in libro primo de Genesi ad literam c. 15. *non quia informis materia formatis rebus tempore prior est, cum sit utrumque simul concreatum & id unde factum est, & quod factum est.* Ac deinde, *ita creator Deus non priorem tempore fecit informem materiam; & eam postea* V. Opponitur quòd si esset completa, posset existere seorsim. Dial. 89. n. 725.

Ne-

quasi secunda consideratione formavit: formatam quippe creavit materiam: Quod S. Doctor fuse prosequitur & elucidat exemplo vocis, quæ materia verborum est, neque tamen sine verbis est. Hinc si materia & forma concreatæ fuerunt, saltem indubitatum erit materiam nunquam substitisse seorsim ab omni forma.

VI. Potest ex hac materia fieri alius Mundus.

ROCCHIUS. Tu verò cur non attendis, mi Pazzi, nihil interesse ad rem meam quòd materia substiterit, aut non substiterit seorsim ab omni forma; sufficit illi ad rationem entis completi quòd subsistere ita potuerit. De cætero autem, ut nosti, Scripturam de opere sex dierum, quam S. Augustinus hic intelligit ad spiritum, intelligunt alii multi Sancti Patres ad literam de vera distributione sex dierum: juxta quam acceptionem si multæ portiones materiæ primæ statim acceperunt formam suam, uti portiones ex quibus illico creavit Deus cœlum ac terram, multæ aliæ non statim acceperunt suam, sed successive, ut illæ ex quibus formata sunt luminaria, elementa, animalia, ligna, &c. Atque ut scias, mi Pazzi, qualiter vere intelligere possis materiam primam, ex qua factus est hic Mundus, cogita Deum ex hac ipsa materia formare posse Mundum alium plane dissimilem.

VII. Qualiter Mundus ille alius fieret.

Cogita Deum posse ab invicem partes omnes, & ad minimas usque, cœli ac terræ disjungere, & omnium pariter elementorum atque mixtorum; tum permiscere omnes, interturbare, confundere, figere alias, alias agitare, & sic tandem omnes redigere in quoddam chaos informe: sicuti tum ex illis posset nova omnino genera syderum, elementorum, atque mixtorum producere; quem in modum novus ille Mundus nihil haberet cum isto similitudinis. Adhuc cogita novos Philosophos, qui te audiente de materia prima novi Mundi discurrerent, & dicerent illam nihil aliud fuisse ab initio nisi puram potentiam, nihil nisi ens potentiale, subjectivum, incomple-

tum, insubsistens, neque quid, neque quantum, neque quale, ac prope nihil. Rideres eos & diceres vidisse te materiam bene perfectam atque completam, ex qua Mundus ille novæ creationis compactus fuisset; assereres illum fuisse factum ex aëre quem spirasses, ex igne quem accendisses, ex aqua de qua bibisses, ex terra super quam ambulasses, ex omnibus tandem his corporibus quæ aut oculis spectasses, aut manibus tractasses, &c.

VIII. Materia est indifferens ad varias formas.

Atqui illa ipsissima materia, quæ juxta meam hypothesim fieret materia novi Mundi, fuit materia istius. Quare igitur Aristotelici quando physice loquuntur de materia prima hujus Mundi, non dicunt sicut Atomistæ materiam primam hujus Mundi esse omnes partes materiales, ut cælestes & elementares, ex quibus diversi mode formatis Deus Mundum istum produxit, ut ex iisdem aliter atque aliter formatis, novum illum produceret? & in quibus utique partibus prout sententia physica reperiri potest nihil illius entis pure potentialis, subjectivi, incompleti, insubsistentis, neque quanti, neque qualis, &c.

PAZZIUS. Nihil apud nos, mi Rocchi, de speculationibus illis tam à Philosophia nostra distantibus aliquando audivi.

IX. Qualiter materia fieri potest informis.

ROCCHIUS. Audi jam alias, quæ Philosophiæ vestræ favebunt. Hæc ipsa corpora quæ vides, mi Pazzi, quæ tangis, quæ spiras, quæ te nutriunt, quæ te ornant, &c. si reducerentur in illud chaos, de quo loquebar, evaderent quid informe: atque hoc modo materia novi Mundi antequam formaretur, fuisset informis; quamquam hæc informitas non obstaret veræ ac reali præexistentiæ ac præsubsistentiæ illius in suo esse materiali. Sed tum liceret novis illis futuris aliquando Philosophis loqui metaphysice de materia illa, & dicere quòd fuisset pura potentia, quod fuisset quid potentiale, incompletum, insubsistens, non quantum, non quale ac pene nihil, scili-

cet relative ad formas, quas deinde obtinuisset.

X. Alia est materia physica, & alia metaphsiyca. Atque ita, mi Pazzi, clare vides modum diversum, quo discurri debet de materia prima, quando scilicet de illa discurritur aut physice, prout est in re ipsa, aut metaphysice prout est in conceptu. Hîc autem agitur de materia prima ut est in se ipsa, & non prout est in conceptu: materiam physicam quærimus, & vos metaphysicam profertis: unde dicitis illam esse nihil nisi ens incompletum, & inde aliud ens incompletum fingitis, quod est forma, ut ex illis duobus entibus incompletis efficiatur ens completum, quod vocatis *compositum naturale*, & *ens per se*; sed nihilominus sub speciosis illis verbis *compositi naturalis* & *entis per se*, nihil profertis nisi compositum metaphysicum, quando non de metaphysico, sed de physico sermo est.

XI. An materia, si redigeretur in chaos, esset informis. PHILALETHES. Valde in his tuis disquisitionibus physicis & metaphysicis materiæ primæ delector, in quibus miram simul novitatem atque ingenuitatem adverto. Unum est adhuc, quod scire velim de tua illa hypothesi, juxta quam iste Mundus fieret materia novi Mundi post dissociationem ac perturbationem omnium partium, ex quibus corpora hæc omnia componuntur: partes illæ ita dissociatæ ac perturbatæ, & in quoddam chaos redactæ haberent ne singulæ aliquam formam, aut essent ne prorsus informes? Ex tua siquidem responsione intelligetur quid fuissent illæ ipsæ partes materiales in se ipsis, supposito quòd ex illis ita dissociatis, ita perturbatis & confusis, adeòque præexistentibus sive antecedenter creatis, produxisset Deus Mundum istum. Neque parum, ut opinor, proderit id particulariter scire, ad extricandam disputationem, quæ modò agitabitur inter vos de forma substantiali compositorum naturalium.

PAZZIUS. Eram id, mi Rocchi, pariter rogaturus; quia non video quid satis recti ac consulti responde-

re possis, sive partes illas minimas nullius, sive alicujus formæ aut fuisse aut futuras fuisse, aut deinceps esse posse participes affirmaveris.

ROCCHIUS. Jam nostis, Domini mei, me in ea vobiscum esse opinione communi, qua reputatur materiam omnem primam, ex quâ Deus Mundum istum visibilem composuit, non fuisse à Deo priùs creatam prioritate ulla temporis: sed statim ac creata fuit, fuisse seu divisam, seu compactam, mixtam, temperatam, ut opus erat ad formandas moles ac naturas rerum, quarum creationem Scriptura enarrat. Sed nihilominus potuit Deus materiam illam creare longe ante Mundi efformationem: potuit illius omnes partes separatim creare, qua ratione singulæ fuissent totidem atomi separatæ: potuit non separare omnes, sed ex quibusdam moleculas componere, quæ ob parvitatem suam reputari pro atomis possent, licet atomi non essent: potuit denique omnes illius materiæ primæ partes plus minusve dividere, plus minusve agglomerare, & ita omnes relinquere in confuso: ad quem statum redigere posset pariter, si vellet, illam ipsam materiam. Quâ suppositione factâ admitto equidem in singulis partibus formam metaphysicam sive mere objectivam, per quam sunt id quod sunt; admitto in illis entitatem, substantiam, existentiam, subsistentiam, unitatem, veritatem, bonitatem, mobilitatem, quæ omnes & similes formæ nihil realitatis addunt realitati partium singularum: & idem dico de multis hujusmodi partibus, quas Deus ab initio conjunxisset, quia si non afferunt singulæ nisi formas mere objectivas, non potest omnium forma esse nisi mere objectiva.

XII. Esset in partibus divisis forma metaphysica.

Quod si postmodùm agitur de forma externa, quæ consistit in ratione aliqua & proportione partium, satis intelligitur nullam id genus formam esse in singulis partibus seorsim; sed aliquam esse in multis conjunctim. At hujusmodi forma non illa est, de cujus generatione mihi

XIII. Quæ non haberent formam externam.

tecum, mi Pazzi, jam certabitur: agetur enim de illo genere fictissimi entis, quod vocatis *formam substantialem*, & quam asseritis ex materia gigni, quæ semel genita illam actuet, informet, sitque comprincipium illius ad formationem compositi substantialis.

PAZZIUS. Non deberes, mi Rocchi, *fictissimum* vocare illud ens, quod vel te invito tuis in atomis reperitur, demonstrante id Palanco, ex occasione illius igneæ atomi, de qua erat olim inter nos disputatio, quando pugnabam pro Gennaro; & gaudeo quòd hæc ipsa disputatio redeat; quia nisi plane cœcus fueris, videbis claram & evidentem compositionem ex materia & forma substantiali in illa tua ignea atomo, quam proponebas in exemplum.

ROCCHIUS. Grande, mi Pazzi, polliceris in atomo una spectaculum.

XIV. Opponitur materiam & formam esse in atomo.

PAZZIUS. Aperi tantùm oculos & vide in atomo illa ignea materiam communem, quæ transmutabilis est de esse ignis ad esse aquæ, aut alterius elementi vel mixti: compositionem de qua sermo est, in transmutatione illa videbis. Itaque Atomista colloquens cum Palanco sic illum rogabat, *in qua atomo ignea vellem mihi distinctè assignares quæ materia illa sit, quam vocas communem.* Ecce responsum nostri Authoris. *Facilè id tibi ostendam, siquidem illa, quam fingis, atomus ignea evidenter corruptibilis esset & destruibilis frigore nimio circumsepta. Si enim corpus igneum non quidem minimum ut atomus, sed sensibilis magnitudinis, undique frigore vel aqua circumseptum extinguitur.... cur minima ignis particula destruenda non foret? At dum sic destrueretur, certe non annihilaretur; cum in agentibus naturalibus vis annihilandi nulla sit; sed transmutaretur in aliud specie distinctum corpus, vel elementum, quod esset substantialiter corrumpi.* Addit, *Quo supposito jam facilè tibi respondeo quòd in illa ignis atomo, seu minima ignis particula, materia communis esset illa*

Dial. 86. n. 712. & 713.

pars subjectiva, quæ de esse ignis transmutaretur ad esse alterius elementi, & cætera quæ omitto.

ROCCHIUS. Potes, mi Pazzi, sine scrupulo illa omittere, si non sunt majoris claritatis ac certitudinis ad probationem formæ substantialis per ostensionem materiæ communis in atomo ignea, de qua sermo est. Nam quomodò hîc ostendit Palancus materiam illam communem transmutabilem de esse sub una forma substantiali, ad esse sub alia pariter substantiali, nisi supponendo quod est probandum: scilicet supponendo quòd atomus ignea, quæ v. g. sub aquis mergeretur, corrumperetur substantialiter, id est, amitteret formam ignis, & acquireret formam aquæ: atque ita supponit in atomo illa ignea formam ignis: at nunquid hoc ipsum est, quod in quæstione est? XV. Palancus in hoc discursu petit principium.

Errat, mi Pazzi, quisquis ille est, qui putat posse atomum igneam evadere atomum aqueam: non sic naturæ rerum mutantur; intricari, permisceri, obrui, confundi possunt & ad sensus nostros deperire; sed nunquam pereunt: jamdiu Mundus universus aut igne conflagrasset, aut absorptus fuisset aquis, aut in terram compactus, aut in aërem sparsus, si possent elementa ita substantialiter in invicem transmutari. Sed noli credere, donec ita probavero: sufficiet autem ad id probandum disputatio hæc inter nos hodie renovata de atomo illa ignea: nam si ex minima materiali particula ignea non potest educi per generationem forma substantialis illi correspondens, non poterit ulla talis forma per generationem educi ex majori materiali mole ignea: & hinc procedendo ad cæteras omnes portiones materiales, patebit nullam esse, quæ generari ex præsupposita ulla materia possit, formam substantialem. Dic, si placet, optime Philalethes, quid hac de re tibi videatur antequam animosiùs colluctemur atque contendamus de illa ego & Pazzius. XVI. Naturæ rerum non mutantur.

PHILALETHES. Clarum est, Domini mei, non

XVII. Ex notitia unius atomi pendet notitia rerum omnium naturalium.

esse aliter discurrendum de majoribus molibus materiæ in ordine ad majores formas substantiales, quàm de minoribus in ordine ad minores, & de minimis in ordine ad minimas. Unde si ex minima particula materiali non potest educi forma ulla minima substantialis, meritò inferretur nullam esse materialem molem, ex qua forma ulla substantialis, per generationem scilicet, ut disputatur, educi possit. Ergo agite ut cepistis: nam decisio formæ substantialis educibilis per generationem aut non educibilis ex minima illa materiali particula ignea, sive atomo ignea, transferri haud dubie poterit ad hujusmodi formas omnes substantiales educibiles aut non educibiles ex suis respective molibus materialibus: & in hunc modum considerate, si videbitur, mecum qualiter ex notitia unius atomi pendeat quidquid à tot annis, tot inter Philosophos disputatur de principiis & materialibus & formalibus corporum omnium constitutivis.

ROCCHIUS. Ita reputaveram apud me; & eapropter ut olim contra Gennarum, ita hodie contra Palancum assumo mihi hæc duo demonstranda; unum est, non posse ullam formam substantialem educi per generationem sive gigni, ex atomo ista materiali, quam voco *igneam*: alterum est, formam illam, si forsan ita educeretur, non fore computandam inter vera principia naturalia illius atomi.

PAZZIUS. Quære igitur, mi Rocchi, rationes alias ab his, quibus utebaris olim contra Gennarum: nam istas vidit Palancus & risit: tantùm abest ut pro demonstrativis habuerit.

XVIII. Quid sit atomus in ratione entis absoluti.

ROCCHIUS. Mihi satis est, mi Pazzi, si eas ridere non debuit; si pro demonstrativis habere debuit. Jam tecum ago, & circa primum ita discurro. Particula illa minima materialis considerari aliter non potest, quàm in ratione entis absoluti, aut in ratione entis respectivi. Sub

prima

prima ratione aliud nihil est, nisi ens creatum tale, id est, materiale, & eapropter ab ente spirituali distinctum: quam utique distinctionem, perinde ac suam plane integram constitutionem in suo genere, aut etiam in sua specie entis materialis habet antecedenter ad formam substantialem, de qua sermo est, seu educibilem, seu eductam. Nisi quòd in illo ente materiali potest metaphysice attendi forma objectiva materialitatis, per quam in esse entis materialis constituitur, sicut ens spirituale juxta similem considerationem metaphysicam constituitur in esse entis spiritualis per formam objectivam spiritualitatis. At de forma illa materialitatis non agitur, tum quia mere objectiva est; tum quia illa non educitur de ente materiali, sed potiùs consideratur veluti præcedere illud, ad hoc ut illud in esse perfecto entis materialis constituat.

PAZZIUS. Potuisti prætermittere hanc considerationem entis absoluti: quia non materia spectata absolute, sed spectata relative ea est, è qua dicimus formas substantiales educi.

ROCCHIUS. Et nihilominus ad eductionem vere physicam talium formarum requireretur eam fieri è materia absolute spectata: nam quia materia per respectus nostros redditur materia mere objectiva, quæ nisi pariter mere objectivâ poterit esse illa eductio? Hîc autem desideratur eductio physica è materia physica, & requiritur modus physicus eductionis illius. Igitur mihi videris fateri, mi Pazzi, nihil ullius formæ substantialis educi posse ex illo minimo ente materiali, de quo agitur, accepto in sensu absoluto & physico, quia videlicet in ente quod nihil omnino nisi materia est, nihil formæ est, imo nihil relationis ad formam habet, seclusâ consideratione nostrâ respectivâ, ad quam venio, te jubente. Itaque particula illa minima materialis sub altera ista ratione entis respectivi, scilicet entis perfectibilis, actuabilis, infor- XIX. Ex ente relativo non potest educi forma physica.

mabilis quid est, mi Pazzi, dic tu ipse, ne si ego id definiero, aberrem à mente, juxta quam desiderares id definiri.

PAZZIUS. Id definire, mi Rocchi, audacter poteras, quia nosti materiam consideratam respective ad formas ex ipsa educibiles, nihil esse juxta nos, nisi puram potentiam receptricem illarum; neque enim potest aliter quàm subjective ad illarum ex seipsa eductionem concurrere: & hic quidem concursus, licet mere subjectivus, sufficit ad verificandum quidquid Aristotelici docent de formis substantialibus ex materia eductis, aut educibilibus.

XX. Quid sit discriminis inter educi è subjecto, & recipi in subjecto.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, concursus ille mere subjectivus, atque ita mere receptivus, non sufficit ad unius vel tenuissimæ formæ eductionem è materia, licet plane immensa supponeretur. Nam *primò* id quod est *educi è subjecto* & id quod est *recipi in subjecto* sunt duo quædam prorsus diversa: *educi* quid est nisi extrahi? *Recipi* quid est nisi intromitti? extrahi autem & intromitti nunquid duo sunt prorsus contraria? quare mihi semper ineptissimus visus est modus ille loquendi Aristotelicus, juxta quem aiunt formam substantialem educi è materia per receptionem in illa, nec educi nisi quando recipitur: an non ineptissime loqueretur qui diceret vinum educi è lagena quando immittitur? lagena per eductionem vini evacuatur; per immissionem impletur: hinc intellige quantùm eductio & receptio formæ inter se differant. *Secundò* si materia ad eductionem formæ hoc tantùm confert quòd illam recipit, nihil omnino de suo esse confert ad generationem illius: unde igitur, mi Pazzi, forma recipit suum esse?

PAZZIUS. Aut è materia, aut è potentia materiæ, ut volueris: modò non de nihilo illud accipiat, contenti sumus: neque tam scrupulose nugas istas inquirimus.

XXI. Aristotelicinon es-

ROCCHIUS. Nugæ tamen istæ scrupulosissime inquirendæ sunt, ne in nugas & in chimæras abeat quidquid

de vestris formis substantialibus affirmatis. Ecce, mi Pazzi, forma vestra substantialis est ens vere ac physice productum, ut dicitis: atque ita vel de nihilo, vel de aliquo fit, quoties ab agentibus naturalibus fit. Tum admittitis illam non de nihilo fieri:& ideo vestrûm est assignare illud aliquid, de quo fit. Quæro à te quid sit illud aliquid, & respondes esse aut materiam, aut potentiam materiæ, ut volucro? neutrum placet, sed & neutrum à vobis sustineri potest. Namque id de quo fit forma, quando jam semel facta est, reperiretur in ea, tanquam constitutivum illius; sed in forma jam facta nihil est materiæ, nihil est de potentia materiæ, ut conceditis: igitur nec de esse actuali, nec de esse potentiali materiæ facta fuit. De quo igitur facta est? hoc iterum quæro: nec habes responsum.

signant ex quo fiat forma substantialis.

PHILALETHES. Nec miror, mi Rocchi, quòd Pazzius noster obmutescat. Millies audivi hoc argumentum, & audivi neminem qui responderet: aio neminem qui responderet idonee: eò siquidem tendit quidquid respondetur, ut dicant formam substantialem educi de aliqua potentia vel potentialitate subjectiva materiæ; quod idem omnino est ac si dicant formam substantialem recipi tantùm in materia sic transformata per vim agentium naturalium: unde sequitur agentia naturalia vel nullam id genus formam producere, vel producere de nihilo: quia revera nihil quod pertineat ad entitatem sive actualem, sive utcunque potentialem materiæ ingreditur aut ingredi potest in constitutivum entitativum talis formæ substantialis. Non igitur de materia fit; ac proinde de nihilo fit: hoc autem repugnat, quia vis creandi nulli naturali agenti convenit.

XXII. Nihil materix constituit formam.

ROCCHIUS. Et eapropter videte, Domini mei, quantum intersit mihi vim facere in hoc argumento, ex quo pendet totius atomisticæ Philosophiæ veritas: & in quo

XXIII. Non esse disse in en inter for-

mam genitam & creatam. to ius Aristotelicæ Philosophiæ falsitas comprobatur. Etenim hoc ipso ictu, quo formæ omnes substantiales rescinduntur, patet & omnes accidentales rescindi: sicque ruit totus Aristotelismus, quo ruente opus erit recurrere ad Atomismum, sive ad atomos, quales admittimus talium formarum sive substantialium, sive accidentalium, si quæ forent, vim omnem & activitatem habentes. Neque mihi arduum erit, si voluerim, multiplicare vim hujus argumenti rogando te, mi Pazzi, discrimen quod admittitis inter formam substantialem creatam & formam substantialem genitam. Ecce quando Deus ab initio ignem produxit, concreavit, ut dicitis, formam substantialem ignis: & nos quando ignem accendimus, formam illam generamus: dic jam si placet, quid habeat ista de materia magis quàm illa; quid illa minùs habeat quàm ista? An non materia utramque pariter recipit: an non per utramque pariter transmutatur? Utraque igitur vel erit pariter creata, vel erit pariter genita: selige quod malueris.

PAZZIUS. Illa fuit creata, ista est genita, mi Rocchi: & hoc habe discrimen. Illa fuit producta hoc ipso instanti primo, quo materia, & sine ullis dispositionibus in materiam præintroductis: ista verò supponit materiam longe antè productam, neque nisi post introductas in materiam dispositiones producitur: quare illa est creata, ista est genita.

XXIV. Refellitur discrimen adductum. ROCCHIUS. Non respondes, mi Pazzi: illa si de nihilo materiæ facta est, creata est: si de aliquo, genita est: ista similiter genita est, si de aliquo; creata est, si de nihilo: quòd autem sit coæva materiæ vel non sit; & quod eam præcesserint, aut non præcesserint dispositiones in materiam introductæ, id non pertinet ad rem, de qua jam sermo est. Si Deus olim formam ignis creavit, ideo creavit quia de materia non produxit, sed de nihilo materiæ: quare si à nobis de pari nihilo materiæ produce-

retur, pariter crearetur. Aut si Deus illam de materia produxit, non creavit, sed genuit: quare similiter si nos istam generamus, de materia producimus: sed si de materia producimus, aliquid præerat in materia, quod postea reperitur in forma: aut si nihil materiæ jam in forma est, signum est nihil formæ in materia præextitisse, & ideo formam de nihilo materiæ factam fuisse. Quære igitur, mi Pazzi, alias latebras; sed frustra quæreres: universas novi: ubique te persequerer: fui olim unus è vestris: nec pro hisce rebus ad atomistica castra transfugi, nisi quia vestra vidi male munita. Redeo jam ad atomum igneam, de qua cepit sermo fieri, & contendo adhuc animosiùs quàm antè nullam de materia illius minima educi posse formam substantialem ignis: aut si quæ forsan educeretur, illam non fore in hoc casu cum materia comprincipium talis atomi.

PHILALETHES. Et sicut video, mi Rocchi, cadis in illud alterum, quod suscepisti probandum, adductâ in exemplum atomo illâ igneâ, scilicet formam substantialem, si de materia fieret, non posse pro principio rerum materialium accipi. Quæ difficultas parvi momenti est: nam dummodò sit forma substantialis, parum interest quòd nominetur aut non nominetur principium: si verò nulla est, cur disputabitur de tali nomine tribuendo illi, aut denegando? Nihilominus age adhuc de ista difficultate, si annuerit Pazzius. XXV. Forma, quæ fieret, non esset principium.

PAZZIUS. Annuo plane, neque necesse est ut Rocchius hîc quicquam loquatur. Habemus, optime Philalethes, argumentum quo utebatur olim in systemate suo eucharistico contra Gennarum & à Palanco refertur verbis ipsissimis. *Fit igitur forma particulæ ignis ex materia talis particulæ; sed si fit, est effectus; si verò est effectus, cur principium dicitur? non enim ad principia pertinet effici, sed efficere.* Addebat Rocchius hanc difficultatem talem Dial. 26. n. 213.

esse, *cui solvenda totum Lyceum adhuc impar fuit.* Quæ verba etiam Palancus ibidem refert, & propter quæ, utpote nimis audacia, sic respondet. *Stupeo arrogantiam in argumento prorsus futili, ne amplius dicam* : ac deinde invictissime illud in Atomistas retorquet ostendendo suspicionem, quam propter illud sibi cum Epicuro conciliant atheïsmi.

PHILALETHES. Perge, Pazzi, & dic quæ sit ista retorsio.

ROCCHIUS. Ego verò rogo te, optime Philalethes, ut ad istam retorsionem valde attendas: ex illa enim, ut confido, intelliges quid futilitatis, quid arrogantiæ sit aut non sit in argumento illo, quod proponebam olim contra Gennarum, & hîc etam iterum propositurus contra Palancum, nisi Pazzius me prævenisset.

XXVI. Retorquetur argumentum & objicitur Epicurismus.

PAZZIUS. Retorsio hæc est: audite Palancum. *Etenim in primis, si talis est hac vestra difficultas, ad injuriam ducere non potestis, si quis suspicetur vos cum Epicuro ponere atomos æternas & increatas pro primis rerum effectivis principiis: nam ut tecum loquar, atomus si fit, est effectus, si verò est effectus, cur principium dicitur? non enim ad principia pertinet effici, sed efficere. Atqui atomus per te non solùm dicitur, sed revera est principium, cum alia principia rerum materialium non agnoscatis, nisi atomos; ergo atomus vestro sensu non fit, nec est effectus, nec ad ipsam pertinet effici, sed efficere: non ergo atomi sunt facta, & consequenter nec creata, sed efficientes omnia. Quid ergo restat, nisi atheismus.*

XXVII. Clariùs probatur formam, si fieret, non fore principium.

ROCCHIUS. Da, si placet, mi Pazzi, librum in quo legis hanc retorsionem: vix enim puto illam his verbis ab homine tam docto fieri potuisse: volo his oculis illam legere. Sane ita est; sed jam attendite, Domini mei; volui probare quòd forma non esset cum materia comprincipium rei materialis, si fieret ex materia, quia sic

esset effectus materiæ. An non ita est ? Id primum quod in re materiali attenditur, materia est : sed tum ex materia fit forma, ut dicitis, quæ propterea non potest nisi ut quid secundum attendi : igitur forma non est primum rei materialis principium : sed cum addito secundum, si fas est ita loqui : atque ita non est principium absolutum, de quo agitur. Quis sciens lateres fieri ex terra & aqua & igne diceret eos esse prima principia materialia domûs, & non potiùs diceret terram, aquam & ignem esse prima illius principia materialia ? Sed si tum aqua ex terra fieret, aut ex igne, quis aquam reputaret pro principio materiali, sive pro principio absoluto ? At sic est de forma, quæ si ex materia, ut ex principio fit, quomodò comprincipium absolutum esse potest cum illa, ex qua vere efficitur ?

XXVIII. Non obstat notioni principii materialis, esse à Deo.

Quid igitur retorquet Palancus ? retorquet quòd nostræ atomi, aut non fierent à Deo, quod sapit atheïsmum Epicuri ; aut non essent prima principia materialia ; quia fierent, scilicet à Deo. An id à Philosopho tantùm non oscitante potuit retorqueri ? Quæruntur hîc prima principia materialia : tum convenitur prima illa esse, quæ ex aliis non fiunt : convenitur etiam formam fieri ex materia ; hinc concludo formam non esse in rebus materialibus principium absolutum. Quid Palancus ? concludit atomos non esse principia similiter rerum materialium, quia fiunt à Deo : id concludere potuisset, si atomi nostræ ex aliis prioribus atomis fierent : quia sic non nostræ ; sed illæ ex quibus nostræ fierent, essent principia hujusmodi materialia. At quòd à Deo fiant, id non interest ad notionem principii materialis ? Agitur de principiis materialibus primis ; & Palancus dicit illa fuisse creata à Deo : an non propterea non sunt prima principia materialia ?

XXIX. Quod ostenditur variis exemplis.

Adam à Deo est : an non propterea non est hominum primus ; Sed Caïn ab Adamo est, & hoc sufficit ut Caïn non sit principium humani generis. Si forma tam non

fieret ex materia, quàm materia non fit ex forma, in hoc casu admitterem materiam & formam pro comprincipiis, seu principiis coævis & æquè primis: sed quandiu audiam ab Aristotelicis formam à materia præcedi & de illa fieri, tamdiu denegabo illi notionem principii absoluti, & illam dabo soli materiæ, non obstante quòd materia sit à Deo: quia hîc de causa prima materiali agitur & non de causa prima efficiente. Quid jam tibi, Domine Philalethes, videtur de retorsione à Palanco facta?

PHILALETHES. Video, Domine Rocchi, Palancum à primis causis materialibus, de quibus agitur, transiisse ad causam primam efficientem, de qua non agitur.

ROCCHIUS. Et ideo vides illum nullatenus meî fregisse vim argumenti.

PAZZIUS. Sed saltem illam fregit, mi Rocchi, quando addidit *solùm esse contra rationem principii, quòd in eo genere in quo est principium, ex altero fiat: secùs verò quòd in altero genere fiat ex alio.* Unde rectissime concludit formam substantialem esse principium in genere causæ formalis, licet fiat ex materia, aut etiam à causa efficiente.

XXX. Vis argumenti per responsionẽ firmatur.

ROCCHIUS. Oh quàm distamus, mi bone Pazzi! Tu ais argumenti mei vim his verbis frangi; & ego aio illam his verbis multiplicari. Nam dum notionem principii respectu formæ ita limitat, ut dicat illam esse tantummodò principium in genere causæ formalis, quid dicit nisi formam illam non esse principium primum & absolutum in compositis materialibus? Quæruntur prima principia rerum materialium: qualia sunt quæ profertis? affertis materiam pro primo, & formam pro secundo: suntne secunda principia, quæ hîc quæruntur & non potius prima? Nos pro primis principiis assignamus atomos omnes; quia nulla earum fit de alia: sic formæ omnes vestræ assignari pro primis principiis materialibus possent, si non

fierent

fierent ex suis respective materiis.

Ubi est ergo jam, Domini mei, arrogantia, ubi est futilitas argumenti à me propositi? ubi est ratio exclamandi, sicut exclamat Palancus, *Est ne hæc difficultas, cui solvendæ totum lyceum adhuc impar fuit?* Putavit ne lectorem, qui saperet, accepturum pro idoneis solutionibus contumelias illas ac derisorias exclamationes? Antè difficultatem illam risit quàm solvit: solvenda priùs erat ac tum ridenda: sed nullis fuit excipienda conviciis. Scriptores aliquando audacter loquuntur, ad id permoti claritate ac evidentia rationum quas proferunt; sed non eapropter cum arrogantia. Ecce ipse Palancus postquam satis fuse tractavit demonstrationem meam pro atomis à creatione ductam & quam vocat *affectatam*, nonne ait? *Sed directè contra tuas atomos late militavi* (citat plura suæ Physicæ loca) *argumentis, quibus nullus hactenus vestrûm respondere ausus est:* Si quid simile dixissem, crederer à Palanco id arroganter dixisse: ego verò id laudo & audaciæ nobili tribuo: & supra, si bene meministis, quando de materia prima egimus, tantùm in hoc incubui, ut videretis me saltem unum esse, qui respondere auderem. XXXI. Nulla fuit in argumento arrogantia.

PHILALETHES. Non hac prima vice notavimus, Rocchi noster, tuam in scribendo modestiam; & rogamus ut deinceps nullatenus attendas ad illas immeditatas vehementias Adversarii tui, qui de cætero te novit & amat. Quæritur hîc veritas & aliud nihil: quare redeamus ad institutum. Et quia tu, mi Rocchi, jam satis multa dixisti contra existentiam formæ substantialis, tuum jam est, mi Pazzi, afferre quidquid pro illius existentia stabilienda optimi ac demonstrativi habueris: ac tum in opinionem quæ hinc aut inde verior & evidentior visa fuerit, inclinabitur. XXXII. Imponitur probatio formæ substantialis.

PAZZIUS. Incipio ab una & altera interrogatione,

Dial. 86. n. 711. qua Palancus his verbis adoritur suum Atomistam. ***Et in primis à te rogo, an cum Epicuro & Cartesio ponas omnes atomos esse homogeneas, seu ejusdem rationis & speciei?*** Atomista sic respondet. ***Minime gentium: nam eas pono specie distinctas secundùm specificam distinctionem elementorum.*** Thomista sic instat. ***At quomodò specie differre possunt, nisi constent ex materia ex se communi, & forma speciali, à qua propriam speciem sortiantur?*** Ex quibus pauculis verbis construitur hæc ineluctabilis demonstratio contra vos, scilicet rigidos Atomistas qui ad discrimen ab Epicuro & Cartesio admittitis non homogeneas, ut illi, sed heterogeneas atomos vestras; id est, specie distinctas.

XXXIII. Qualiter Aristotelici demonstrent formam substantialem. Itaque demonstratio hæc est. Res omnes, quæ pertinent ad diversam speciem, habent illam diversitatem specificam à materia & forma. Igitur vestræ atomi constant ex materia & forma. Cujus enthymematis propositio prior & in qua est tota difficultas, hinc certa & evidens est, quòd materia in rebus omnibus ex sua notione communis est: quare refugere opus est ad formam specialem, propter quam specifice distinguantur. Neque demonstratio hæc sola est. Pergam, mi Rocchi, ad alias, si hæc te non convincit.

ROCCHIUS. Imo, quia hæc me non convincit, nondum perge ad alias. Antè opus est, ut ego, si potero te convincam, quòd dum Physici requirunt species physicas rerum physicarum, non debent constitutionem talium specierum referre ad sola nomina mere relativa, nihilque sonantia nisi conceptus mere metaphysicos; quibus equidem res omnes subsunt, sed ex quibus nullæ componuntur. Hujusmodi autem sunt nomina illa vestra ***materia*** & ***forma***, quæ unice respondent notionibus illis vestris abstractis hinc subjecti perfectibilis, hinc actûs perficientis: unde non aliter definitis materiam, quàm adducendo notionem puræ potentiæ, sive subjecti pure

passivi; nec aliter formam, quàm per notionem actûs simpliciter sive pure recepti, & simpliciter sive pure perficientis. Et nihilominus creditis causam physicam attigisse diversitatis specificæ rerum materialium, de quibus sermo est, dicendo illas constare ex materia communi & forma speciali.

Ego verò modum illum loquendi adverto & multis contradictionibus laborare, & aliunde omnino inutilem esse, atque omnino insufficientem ad exponendam in sensu reali seu physico diversitatem specificam rerum. Sed parcite, Viri eruditi, siforsan non potero tot cogitata quæ occurrunt arctare, quo equidem vellem, compendio: favete, oro, linguis, dum enitar tamen non esse nimius. Atque in primis quidquid aiunt Aristotelici de materia communi rerum naturalium materialium, si non omnino accipitur in sensu præciso & abstracto, apertissime falsum est. Etenim si ne vel unius atomi materia eadem est ac materia alterius, quomodo generatim res omnes ac singulæ materiales non habent materiam plane diversam? Ubi est igitur illa materia communis Aristotelica? id tamen non impedit quominus materia rerum omnium materialium communis sit, imo una sit, in sensu illo videlicet præciso & abstracto, in quo non aliter consideratur quàm sub respectu puræ potentiæ, & subjecti pure passive se habentis ad formas receptibiles aut recipiendas; sed tum materia sic præcise & abstracte sumpta nullibi genuina est extra mentem, quæ sic illam abstrahit & præscindit: unde fit ut nec sit, nec esse possit pars physica ullius rei materialis; atque ita nec concurrat, nec concurrere possit ad physicam specificam constitutionem illius. XXXIV. Nullibi est materia communis Aristotelica.

Sed neque minùs falsum est quod aiunt de illa forma speciali constituente speciem rerum naturalium materialium, dum putant materiam, quam vocant *communem*, posse ab illa recipere distinctionem specificam. Etenim XXXV. Nullibi est forma, per quam aiunt materiam specificari.

non magis potest distingui specifice materia per formam, quàm forma per materiam; si quidem ut forma nihil de suo esse formali habere potest à materia, ita nihil de suo esse materiali habere materia potest à forma: habent materia & forma seorsim naturam suam, ideoque speciem suam, si verum est illas esse duo entia realia, ut Aristotelicis placet. Supponamus igitur materiam & formam esse duo entia realia, ideoque realiter distincta: supponamus illa intime unita, supponamus illa (quamquam id entibus materialibus non conveniat) penetrata: quid inde? Hoc constat, res omnes sic ab invicem differre, considerato statu ipsarum physico, ut nihil unius sit aliquid alterius: hinc nulla res potest per alteram, vel etiam similem, esse id quod est in se ipsa: uti non potest ignis esse ignis per aërem, & aër esse aër non potest per ignem, &c.

XXXVI. Nullum ens specificari potest per aliud.

Unde concludo quòd si materia & forma sunt entia tam realia, tam realiter distincta quàm ignis & aër, nihil discriminis sui specifici ab invicem mutuantur. De cætero formæ illæ licet sint speciales, ut aiunt, an easpropter non conveniunt omnes in uno conceptu formæ, sicut omnes materiæ, licet sint per se ac in se speciales, ut contendimus, conveniunt in uno conceptu, præciso scilicet & abstracto, materiæ: atque ita perinde omnes formæ, omnes materiæ & erunt communes & erunt speciales: communes quidem, quatenus omnibus idem conceptus communis est: speciales verò, quatenus nihil reale haberent omnes ac singulæ, quod ad alias pertineret.

P A Z Z I U S. Condonabis tamen, ut confido, mi Rocchi, brevem hanc interlocutionem homini non ferenti tenebras illas, quibus Aristotelismi nostri splendorem offundis. Nos clare dicimus varietatem rerum specificam à materia non esse, quia in omnibus est eadem; sed esse à forma, quæ in omnibus non est eadem: quid clarius?

Tu verò de materia uti de forma dicis esse tum similiter eandem, tum similiter diversam; quod est confundere duo illa tum distincta principia.

ROCCHIUS. Ne conquereris, mi Pazzi; mei ex adverso propositi est afferre lucem aliquam tenebris vestris, hinc exortis, quòd propter hæc duo nomina, ***materiæ*** & ***formæ*** absque alia superaddita ratione vultis materiam & formam esse duo entia realia, & ab invicem realiter diversa; & de cætero non attenditis quòd cùm non sint nisi nomina relativa, possunt uni & eidem rei per respectum duplicem convenire. Id ut probem, volo tibi ostendere qualiter materia & forma sint pariter in ente, quod vocatis ***materiam*** : & pariter in ente, quod vocatis ***formam***. Etenim illud ens, quod vocatis ***materiam***, non est ens in communi; item non est ens spirituale: igitur est ens materiale: atque ita fit materiale per aliquid, per quod & ab ente in communi & ab ente spirituali distinguitur. Rursus illud ens quod vocatis ***materiam***, non est individualiter unum in rebus omnibus, sed individualiter multiplex pro multitudine rerum materialium, & partium quas habent: unde fit ut illa singula entia distinguantur ab invicem per aliquid: illud verò est forma quædam individuans. Sed insuper sicut necesse non est entia spiritualia titulo spiritualitatis esse speciei unius, ita neque id in entibus materialibus necesse est titulo materialitati; quapropter illa prædicta entia materialia individualiter distincta, possunt, vel saltem aliqua ex illis, esse specifice distincta, idque per formam specificantem, quam aliæ multæ ab ipsa dependentes comitabuntur.

XXXVII. Nomina *materiæ* & *formæ* sunt relativa.

Hinc vide, mi Pazzi, quot formæ in materia sunt, antequam de illa prodeat, sive fiat, illud ens alterum, quod vocatis ***formam***. Atqui tam multiplex est materia in isto ente altero quod vocatis ***formam***, & quod ponitis pro comprincipio rerum naturalium materalium. Etenim om-

XXXVIII. Qualiter sunt multæ materialitates & formalitates.

nes formæ saltem in hoc quòd sunt formæ conveniunt omnes: id autem in quo conveniunt, materia est susceptiva discriminis, quod aliunde recipiunt. Tum omnes quidem individualiter sunt distinctæ; sed non omnes sunt speciei diversæ: ac proinde in illis est aliquid quod recipit minus discriminis, & in aliis aliquid quod recipit magis discriminis: & in hoc materia non est eadem, sed diversa. Nisi quòd insuper id quod recipitur ad distinguendum id quod recipit, etiam recipit alias formas accidentales ad ipsum consequentes: & ita receptum evadit recipiens, sicque subit notionem materiæ recipientis: hoc est, evadit materia; juxta quod dicitis, mi Pazzi, materiam & formam distingui penes notionem recipientis & recepti, perfectibilis & perfectivi, potentialis & actuantis, &c.

PAZZIUS. Nunquam audivi tot præcisiones, mi Rocchi, neque ut suspicor tam superfluas ad rem, de qua est præsens sermo.

XXXIX. Qualiter discutri debeat de speciebus rerũ spiritualium

ROCCHIUS. Adhuc tria verba, mi bone Pazzi, & rem conclusi. Venio ad Angelos, quos alii quidem vestrûm omnes, alii non omnes affirmant esse speciei diversæ: ad hujus autem specificæ diversitatis expositionem an pariter refugietis ad materiam communem & formam specialem? sicne confundere species rerum materialium cum rerum spiritualium speciebus audebitis?

PAZZIUS. Nostrûm neminem audivi, qui crassum in hunc modum diceret speciem angelicam componi ex materia & forma.

ROCCHIUS. Quid ergo dicitis?

PAZZIUS. Dicimus de specie angelica id, quod generatim affirmant Logici de omni specie, videlicet eam componi ex genere & differentia; scilicet ex genere communi & differentia particulari. Atque hîc sistimus nihil ultra quærentes.

XL. Recur-

ROCCHIUS. Ego verò contendo, mi Pazzi, Phi-

losophum non debere hic sistere, sed ultra disquirere quid sit genus illud commune, quid sit illa differentia particularis; quid sint, aio, non in sensu solùm abstracto, in quo satis patet verificari quod dicitis, sed etiam in sensu concreto sive physico, seu reali, in quo æque patet compositionem specificam nullam ex illis fieri, & de quo tantùm hîc agitur. Sed tum quid agis, quando jam ais speciem angelicam componi ex genere communi & differentia particulari? Quid nisi mutas verba, sed quæ in eundem sensum coincidunt? Nonne illud genus angelicum est quid commune, potentiale, subjectivum, perfectibile per varias actualitates, sive perfectiones formales, & ideo materiale in sensu, quo materia vestra non est nisi pura quædam potentia, & subjectum mere passivum atque indifferens ad omnes formas? Rursus nonne illa differentia particularis angelica est aliquid actuans, perficiens, informans, ac proinde est aliquid formale, sive aliqua forma? runt implicite Aristotelici ad materiam & formam.

XLI. Et hoc est omnino incongruum.

Quo pacto si attenditur ad notiones materiæ vestræ, & formæ vestræ, perinde affirmandum erit Angelos in speciebus suis constitui per materiam communem & formam specialem; sed neque negare soletis omne, quod in Angelis potentiale, perfectibile, passivum ac subjectivum est, id pro materia esse, sicut ex adverso quidquid in illis est actuans ac perficiens, id esse pro forma. Quæ autem hæc est perversitas Philosophiæ admittentis in rebus spiritualibus perinde ac in materialibus materiam & formam? An eadem omnium est compositio? an eadem est, mi Pazzi, materia Cœlorum & Angelorum?

PAZZIUS. Quomodo eadem est, si plane in Angelis nulla est, nisi secundùm notionem illam abstractam & mere objectivam entis potentialis & perfectibilis? qualiter & forma in illis est juxta notionem aliam pariter abstractam & objectivam entis actuantis & perficientis. Sed quò andem tendunt hæc tua interrogata? Ego sane non video.

XLII. Qualiter processum fuerit ad rejectionem materiæ & formæ.

PHILALETHES. Et ego valde miror, amice Pazzi, quòd id non videas. Agitur inter vos de forma substantiali, quam demonstrare voluisti ad hominem ex diversitate specifica, quam Rocchius in atomis suis admittit; aiebas nempe illas non fore specici diversæ, nisi constarent ex materia communi & forma substantiali. Hic verò postquam fuse ostendit falsum in sensu physico esse quidquid Aristotelici affirmant de materia illa communi, neque minùs pro falso reputari debere quod contendunt materiam illam communem specificari per formam specialem quæ illi advenit: postquam hinc intulit materiam illam & formam vestram non esse nisi duo nomina relativa, quæ proinde uni & eidem rei sub diverso respectu acceptæ adaptari possunt, tentavit id probare ab exemplo specificæ diversitatis, quæ in Angelis est, nec esse tamen potest à materia illa communi, & forma speciali, unde, ut dicitis, entia materialia suas species sortiuntur. Et tu jam concessisti non equidem esse in Angelis materias & formas istius modi crasse acceptas, licet in illis sit tum aliquid potentiale, quod pro materiali potest accipi, tum aliquid perfectivum, quod accipi potest pro formali: quare affirmasti materiam & formam non esse in illis, nisi secundùm notionem abstractam & objectivam entis hinc potentialis & perfectibilis, illinc actuantis & perficientis. An adhuc non capis, mi Pazzi, quid tandem Rocchius à te responderi voluerit?

PAZZIUS. Nóndum capio, Domine Philalethes.

XLIII. Species atomorum non egent materia & forma, ut in Angelis.

PHILALETHES. Responderi tandem à te voluit hoc ipsum quod respondisti: videlicet illud generis & differentiæ, sive illud materiæ & formæ, quòd qualitercunque intelligitur constituere speciem angelicam, non esse duo entia realia, seu realiter distincta; sed tantummodò duos varios respectus metaphysicos, qui constituunt speciem metaphysicam, sive quod idem est, speciem accep-

tam

tam in solo sensu metaphysico, abstracto & objectivo, de quo non agitur. Hinc autem aut fallor, aut inferre voluit quòd sicut Angeli sunt sua in specie physica independenter à materia & forma distinctis, ita independenter ab iisdem atomi suam speciem habent: ita quòd ut illis ad suam speciem sufficit esse id quod sunt, sic idem sufficit atomis, ac proinde utrisque conveniunt suæ physicæ species respective sine ulla compositione reali, & eapropter sine subsidio illius formæ substantialis, quam stabilire decreveras per hoc ipsum, quod Rocchius aiebat de specifica diversitate atomorum suarum.

XLIV. Species unius rei non potest pendere ab alia re.

ROCCHIUS. In meam omnino mentem introisti, optime Philalethes: nihil aliud à Pazzio nostro responderi, nihil aliud ex responsis illius inferre volui: quare tantùm superest, viri eruditi, ut ad profundiorem meæ mentis apertionem dicam nihil minùs philosophicum cogitari posse, quàm quod vulgò apud Aristotelicos creditur speciem unius rei pendere ab adventu & consortio alterius, ita quòd una res possit intra suam speciem poni, & intra eandem perfici ab alia. Nam quid est species physica cujuslibet rei, nisi natura illius, ac proinde nisi totum illud, quod res illa est ex titulo suæ productionis? Quare gratis omnino fingitur rem illam esse id quod est propter aliam, quæ illi advenit, aut illi utcunque jungitur: ut una res evadere non potest alia, ita per aliam intrinsece mutari non potest: quia verò nihil magis est intrinsecum rei, quàm species seu natura rei, eapropter non sunt cogitabilia duo entia realia, à quorum uno alterius natura pendeat. Hinc, ut aiebam, philosophicum nullatenus est quod vulgò jactatur de forma illa substantiali materiam intrinsece perficiente, & illi dante speciem suam, id est, naturam.

XLV. Materia & forma, si quæ essent, essent

Equidem si materia & forma essent duo entia realia, essent duæ species rerum, ex quibus conjunctis una quæ-

duæ species rerum.

dam totalis species resultaret ; sed non idcirco illæ species sese mutarent invicem : & sic quidem accidit in omnibus mixtis,sive compositis , in quibus singula componentia manent quod erant , licet novum mixtum, sive compositum efficiant. At quando quæritur species alicujus rei simplicis, sive spiritualis ut est Angelus , sive materialis ut est atomus, jam non est recurrere ad partes componentes, à quibus suam speciem habeat. Et in hunc modum atomus ad hoc ut sit id quod est in hac vel illa specie physica materiali,minime opus habet forma ulla substantiali Aristotelica , etsi tale genus entis per hypothesim non admittendam esset in usu naturæ ad constituendas species physicas rerum compositarum , sive permixtarum.

XLVI. Quidquid non est res ipsa extraneum est ad illam.

PHILALETHES. Rescindo cum tua bona venia filum sermonis, quem superflue de re ista protraheres , mi Rocchi : satis quippe jam intelligo rei cujuslibet naturam plane totam esse intraneam , nec aliud esse præter rem ipsam ; quare nihil extraneum potest esse aut evadere natura cujusvis rei assignabilis. Et hinc accipiendo speciem pro natura, clarum est species atomorum esse independentes ab omnibus adventitiis intelligibilibus formis substantialibus, etiamsi essent id genus formæ in compositis naturalibus admittendæ propter alias rationes adhuc intactas, & à te jam, Domine Pazzi, si quæ in promptu fuerint , audiendas. Imo, ut memini, eras jam paulò antè in proximo ut alias proferres, nisi ejus, quam proposueras veluti primam, privatum examen Rocchius proposuisset, quale audivimus.

PAZZIUS. Eram certe in proximo ut alias & quidem multas proferrem uno narrationis tenore ; sed eas fere omnes prævenit Rocchius suâ illâ prolixissimâ responsione ad primam : quapropter eas tacebo ; sed istam firmabo authoritate, quæ una totum Atomismum prostrat.

ROCCHIUS. Quæ igitur hæc est tam gravis authoritas, mi Pazzi ?

PAZZIUS. Hæc est, mi Rocchi, authoritas Concilii Viennensis sub Clemente V. relata à Palanco in dialogo 42. contra Cartesium, sed quæ Maignanum & ejus sequaces æque premit ac perimit. Itaque ibi definitur *Unigenitum Dei filium partes nostræ naturæ simul unitas, humanum videlicet corpus passibile & animam intellectualem seu rationalem corpus vere & per se & essentialiter informantem assumpsisse ex tempore.* Quibus verbis patet animam rationalem esse vere ac per se, & essentialiter formam corporis: sed quia reputari potuisset hæc verba non continere nisi opinionem philosophicam, cui contradicere liceret, Concilium declarat his verbis sequentibus informationem illam, de qua loquitur, non esse rem opinionis, sed fidei. XLVII. Opponitur authoritas Concilij Viennensis.

Porro, inquit, *doctrinam omnem, seu positionem temere asserentem, quòd substantia animæ rationalis aut intellectiva vere & per se humani corporis non sit forma, velut erroneam ac veritati catholicæ fidei inimicam sacro approbante Concilio reprobamus definientes, ut si quisquam deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quòd anima rationalis seu intellectiva non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus.* Audi præterea, mi Pazzi, hanc decisionem confirmatam deinceps fuisse in Concilio Lateranensi sub Leone X. ubi statuitur animam rationalem non solum vere, per se & essentialiter esse formam corporis humani, sed esse immortalem & multiplicabilem pro multitudine singulorum individuorum. XLVIII. Additur hanc veritatem pertinere ad fidem.

ROCCHIUS. Nemo est, mi Pazzi, qui ab his tam gravibus authoritatibus possit declinare; sed quid, si placet, infers ex illis ad rem præsentem?

PAZZIUS. Infero quod inferendum est, scilicet esse in omnibus compositis naturalibus formas substantiales id ipsum præstantes in suis respective compositis, quod anima rationalis præstat in corpore humano, quantum ad id XLIX. Opponitur idẽ esse dicẽdum de omnibus formis

quod est informare illa, ut apta sunt informari.

ROCCHIUS. Noveram id à te inferendum esse, mi Pazzi; sed non noveram rationem id inferendi: hanc rogabam.

PAZZIUS. Hanc accipe. Tunc temporis erant Philosophi asserentes animam rationalem non esse penetrative in toto corpore; sed assidere tantùm & perstare in una quadam parte illius, unde totam corporis machinam regeret atque ad arbitrium moveret, sicut Magister navis vertit, convertit, dirigit, avertitque illam, ut vult, è puppi, ubi clavum tenet. Hæc opinio tribuebatur Platoni, non aliter animam humanam in humano corpore admittenti, quam ut motorem in mobili: quare, Palanco sic loquente, *Omnes censent Platonem negasse animam esse vere & per se formam corporis, quia ponebat eam esse in corpore, tanquam motorem in mobili.* Quia igitur displicebat Concilio talis opinio de anima nec penetrante, nec informante totum corpus, unde sequebatur animam non esse vere & per se formam corporis; idcirco declaravit hæreticos deinceps fore censendos id genus Philosophos, qui negarent animam rationalem esse vere, per se, & essentialiter formam corporis: & hæc equidem declaratio ferit aperte Atomistas, quorum plerique censent animam rationalem non esse toto corpore diffusam, sed tantùm residere in glandula quadam pineali, ubi sensationes & cogitationes suas omnes exercet: nunquid enim hinc sequitur animam non esse vere, proprie & essentialiter formam corporis?

Dial. 43. n. 50.

L.
Non valet transitus ab anima rationali ad alias formas.

ROCCHIUS. An id sequatur nec ne, nondum disquiritur; sed neque id interest ad supradictæ illationis rationem à te rogatam: videris, salvâ pace, mi Pazzi, nolle respondere directe. Redeamus itaque ad caput. Ecce juxta præmissam decisionem Conciliarem, Anima rationalis est vere, per se, & essentialiter forma corporis: tu

hinc sic infers. Igitur in omni composito naturali est aliqua forma substantialis vere, per se & essentialiter informans illud. Ego verò nego hanc consequentiam & quæro à te rationem, qua moveris ad id inferendum.

PAZZIUS. Ratio qua moveor ad id inferendum; est quia videtur omnino similiter discurrendum esse de cæteris omnibus compositis naturalibus, uti de composito humano, in ordine ad formam per quam actuantur, cum hoc tamen salvo discrimine, quod forma compositi humani spiritualis est, formæ autem cæterorum compositorum materiales sunt.

ROCCHIUS. Sed nunquid advertis, mi Pazzi, quòd dum ais discurrendum esse de omnibus compositis naturalibus, uti de composito humano *in ordine ad formam per quam actuantur*, supponis hanc formam, de qua est quæstio. Equidem si forma quædam est in illis, hæc utique erit & vere, & per se, & essentialiter forma illorum; sed nunquid probanda est, antequam de illa id statuatur? Quare difficultas redit: & jam tertiò rogo à te rationem inferendi vestras formas materiales in suis respective compositis ex illa forma spirituali, quam Concilium definivit esse vere, per se, & essentialiter formam corporis humani. Ubi est ratio illa jam tertiò rogata, mi Pazzi? LI. Adversarii petunt principium in hoc discursu.

PAZZIUS. Ratio hæc tam aperta est, ut inter nos non quæratur: imo è nostris plerique putant, quòd quando Concilium Viennense definivit animam rationalem esse vere, per se & essentialiter formam corporis humani, id de illa definivit ita censendum ab exemplo formarum materialium, quæ ideo sunt vere, per se & essentialiter formæ suorum respective corporum, quia illa tota pervadunt & tota intime actuant, sive penetrant. Unde ad abrogandam opinionem Philosophorum, qui asserebant animam rationalem non esse toto corpore diffusam, aut in eo non esse nisi ut est motor in mobili, definiit illam

esse vere, per se, & essentialiter formam corporis humani; eo fine ut intelligeretur eam totum corpus inhabitare, & illud per penetrationem intimam actuare; ob id videlicet quòd nisi hoc modo plane penetrativo inhabitaret illud & actuaret, non esset vere, per se & essentialiter illius forma.

LII. Nihil censeri potest definitum pro formis substantialibus.

ROCCHIUS. Bene est, mi bone Pazzi, jamque intelligo æquum esse ut ratio quæ inter vos non quæritur, aut à me non quæratur, aut non communicetur quærenti: quamquam hinc valde suspicor aut nullam esse, aut adeò levem esse, ut erubescas afferre. Quid igitur, optime Philalethes, agendum in ista controversia est? Quid propugnabo, quid impugnabo si placet?

PHILALETHES. Quid conquereris, mi Rocchi? Obtinuisti jam à Pazzio nostro pro ratione quam quæris optionem inferendi tu ipse vel sic, Anima rationalis est vere, per se & essentialiter forma corporis humani: ergo dantur in omnibus compositis naturalibus formæ materiales, quæ sunt vere, per se & essentialiter formæ suorum corporum respective. Vel sic, Dantur in omnibus compositis naturalibus formæ materiales, quæ sunt vere, per se & essentialiter formæ suorum respective corporum: ergo anima rationalis est vere, per se & essentialiter forma corporis humani. Tuum est aut hoc aut illud inferre, quod est perinde Pazzio ad rem suam, aut ostendere neutrum posse inferri: sicque nihil ex definitione præmissa Concilii Viennensis probari quod favere possit formis substantialibus materialibus Aristotelicis, de quibus agitur. Ad hoc, si bene videtur, tota difficultas præsens redigitur.

LIII. Concilium non patrocinatur formis substantialibus.

ROCCHIUS. Ad hoc certe redigitur: & proinde mihi assumitur ostendendum definitionem illam conciliarem de anima rationali vere, per se & essentialiter forma corporis nostri adversari longe magis, quàm patrocinari formis substantialibus materialibus Aristotelicis; ita-

quòd sic potiùs inferri debeat. Anima rationalis est vere per se & essentialiter forma corporis nostri : ergo nullæ sunt in suis respective compositis naturalibus formæ materiales, quæ sint vere, per se, & essentialiter formæ illorum. Cujus consequentiæ rationem, etsi non rogatus, statim reddo ; quatenus hinc præsertim anima rationalis est vere, per se & essentialiter forma nostri corporis, quòd illud totum pervadat & actuet penetrative : & hoc quidem illi convenit ob id quòd spiritualis sit : hinc autem sequitur nullas formas materiales, si quæ sint, posse vere, per se & essentialiter esse formas suorum corporum, ob id unum quòd sint materiales & ideo ad eorum penetrationem tam activam, quàm passivam ineptæ.

Sed tum ratio universalior & urgentior, ob quam nec formæ substantiales materiales Aristotelicæ potuerunt esse in causa præmissæ definitionis de anima rationali ; nec potest hæc definitio in causa esse admittendi formas hujusmodi substantiales, hæc est: quia si Patres Sacri Concilii Viennensis definitionem de anima rationali non stabiliissent, nisi in præconcepta opinione philosophica de cæteris formis substantialibus materialibus, definitio illa non superaret certitudinem istius philosophicæ opinionis ; neque enim potest propositio quæ infertur, esse certior illa unde infertur : sicque non esset de fide id, quod conciliariter fuit definitum de anima rationali ; quod nemo dixerit. Si verò propter id quod definitum de anima rationali fuit in tali Concilio, admittendæ sunt formæ cæteræ substantiales materiales, hæc admissio attingeret certitudinem illius definitionis conciliaris : etenim propositio quæ sequitur ex alia, si vere sequitur ex illa, æque certa est ac illa ; sicque de fide pariter esset dari hujusmodi formas substantiales : quod etiam nemo dixerit. LIV. Nihil hac de re fuit in Concilio definitum.

PAZZIUS. Cur, si placet, mi Rocchi, nemo id dixerit ?

LV. Inter animã & formas cæteras non est proportio.

ROCCHIUS. Nemo id dixerit, mi Pazzi, quia temere diceretur. Ecce de anima rationali scitur quòd sit ens creatum à Deo, spirituale, activum, & exinde actuosum & aptum ad informationem penetrativam humani corporis: de formis autem substantialibus materialibus nescitur an sint, & adhuc minùs à quo, & ex quo sint; hoc tantùm scitur quòd si quæ sunt, materiales sunt, & ideo actuosæ non sunt, ac proinde ineptæ sunt ad omnem informationem penetrativam: quomodò igitur esse de fide potest circa istas id, quod circa illam fides affirmat in ordine ad notionem veræ, propriæ & essentialis informationis.

LVI. Non est connexio inter Philosopiam & fidem.

PHILALETHES. Non est, Domini mei, cur hac in re diutiùs hæreatis: non est ad fidem pro his jurgiis philosophicis recurrendum. Equidem fieri potest, ut quando Sancti Præsules in Concilium adunati statuunt aliquod dogma fidei, attendant ad opiniones philosophicas, quibus sunt imbuti; sed nihilominus non propter illas quidquam definiunt; quia non propter illas Spiritus sanctus illis suggerit quid debeant definire. Similiter desiderant quidem ut Philosophi de suis rebus discurrant quantum fieri potest cohærenter ad statuta fidei dogmata: qualiter & ipsi cohærenter ad ipsa philosophantur; sed non propterea confundunt opiniones suas philosophicas cum decisionibus fidei: uti neque volunt cum istis confundi opiniones philosophicas aliorum. Itaque de fide est animam rationalem esse vere per se & essentialiter formam corporis nostri; sed quòd hæc decisio facta sit propter opiniones, quæ tunc vigebant apud Aristotelicos de forma substantiali; aut quòd propter illam standum sit in opinionibus, quæ de ista forma substantiali adhuc vigent apud illos, hoc non est de fide: hoc disputationi relictum est.

ROCCHIUS. Ita sit, ut ait Dominus Philalethes, mi Pazzi, & hodiernam litem conclusimus.

PAZZIUS.

PAZZIUS. Quomodò illam conclusimus, mi Rocchi, si necdum scitur in quo sensu accipias decisionem conciliarem, de qua sermo est: si enim in legitimo, seu in Aristotelico sensu illam acciperes, placeret tibi quidquid de forma substantiali generatim ac particulatim docetur in scholis nostris. LVII. Superest ut feratur sensus Concilii.

PHILALETHES. Sed, ut vides, mi Pazzi, jam multò antè debuistis finem imponere hodiernæ concertationi, quæ ad fere unam ultra solitas horam protracta est. Quare in crastinum differatur loqui de sensu quem rogas; de cætero, si per diei amœnitatem id liceat, ibimus in cultissimos atque amplissimos hortos hominis Mathematici, capitis me? Salutemus igitur, mi Pazzi, hospitem nostrum Rocchium & abeamus.

ROCCHIUS. Valete, Domini mei, & hospes & hospitium vestra sunt.





DIALOGUS QUINTUS.

QUAM BENE SENTIANT Atomistæ de forma substantiali.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PAZZIUS, ROCCHIUS, PHILALETHES.

I. Hic agitabitur sensus præmissi Concilii Viennensis.

PAZZIUS. Fefellit me spes mea, Domine Rocchi, reputabam id me diligentiæ meæ debiturum, ut te in his hortis præcederem: & me, ut video, præcessisti. Hac prima vice in illos veni; sed quale, si placet, genus hortorum est istud, ubi hortum minùs quàm villam & vineas & agros video: rura in urbe video: nihil simile conjicere potui de horto intra urbis mœnia comprehenso.

Pl. l. 19. c. 4. ROCCHIUS. Veteres, mi Pazzi, Plinio testante, pares in ipsa urbe delicias, agros villasque, hortorum nomine possidebant. Sed è Veteribus illis primus qui hoc instituit, homo est quem odisti: & propter quem, si novisses, fortè renuisses huc convenire.

PAZZIUS. Veterum neminem odi, sed nec quemquam hominum hac ætate viventium; tum quomodò odi hominem, quem non novi? Ænigma loqueris, mi Rocchi. Ille, quisquis est, qui primus rura in urbes transtulit, rectius equidem egisset, si ruri coluisset agros, & in urbe domos ædificasset; vanitatis aut voluptatis notam effugisset: illum non laudo, sed illum non odi; & ludis cùm ais quòd huc propter illum non convenissem. Solve tuum illud ænigma: Oedipus non sum.

ROCCHIUS. Non ſolvam, ſed ſolvet Plinius ita loquens. *Primus hoc inſtituit Athenis Epicurus otii magiſter. Uſque ad eum moris non fuerat in oppidis habitari rura.* Ille, inquam, Epicurus atomorum patronus, quem ſi non odiſti, ſaltem non amas. *ibidem.*

II. Opponitur Atomiſtas loqui, ſed non ſentire ut cæteros.

PAZZIUS. Capio te, mi Rocchi; ſed num ego bene conjeci hoc inſtitutum habitandi rura in oppidis, opus fuiſſe indolis in vanitatem, aut in voluptatem propenſæ? Neque hac de re proludentur plura: magis noſtrâ intereſt quod habeo narrare tibi, Dominum Philalethem forſan huc non conventurum, uti decreverat: quod mihi per literas hoc ſummo mane ſignificavit: eniſurum tamen pro virili ut conveniret, mox ſubjungebat. Interim ergo dum illum expectabimus dic, ſi placet, quid in ambulacris iſtis, ſub quercubus iſtis animo volveris magis opportunum pro ſenſu Catholico, in quo ut à nobis, ſic à vobis oportet accipi dogma illud Catholicum Concilii Viennenſis definientis animam rationalem eſſe vere, per ſe & eſſentialiter formam corporis humani. Tum ſi dignaberis, hinc venies ad ſenſum, in quo Atomiſtæ accipiunt quidquid generatim loquuntur de omni forma ſubſtantiali: nam, quod ſæpe notavi, ſermo equidem veſter in multis nobiſcum communis eſt; ſed ſenſus in quo illum accipitis, communis non eſt: quem de cætero reſciri opus eſt, ut dijudicetur quinam illi ſint, an Ariſtotelici, an Atomiſtæ qui de rebus hiſce diſputatis meliùs ſentiant.

III. Nihil in Conciliis definitur ad ſenſum hujus aut illius Philoſophi.

ROCCHIUS. Bene eſt, mi Pazzi: quare ſi annuis, ad hujus ambulacri caput ſedeamus, unde Philalethem, ſi fortè à ſuis curis liber eſſe poterit, venientem advertemus. Jam ingenue dicam nihil me ad rem præſentem animo volviſſe, quod non me rapuerit in admirationem audaciæ; qua vos Ariſtotelici præſumitis nihil niſi ad ſenſum veſtrum, id eſt, ad ſenſum Ariſtotelis, definitum in Concilis fuiſſe; unde ſequeretur non minùs ad fidem

pertinere sensum illum vestrum philosophicum dogmatis definiti, quàm dogma ipsum. Quis parem ferre audaciam patienter potest?

Dial. 43. n. 353. PAZZIUS. Ferenda tamen est, si ratio illam suadet, ut revera suadet. Audi Palancum affirmantem quòd *tempore præfatorum Conciliorum*, (loquitur de Viennensi & Lateranensi supra dictis) *in tota Ecclesia & in cunctis ejus Universitatibus nomen formæ accipiebatur in sensu Aristotelis, seu Peripateticorum, nempe pro actu primo materiæ, ex quo cum illa sit unum primò & per se & non secundùm accidens.* Addit, *Nec alia acceptio formæ substantialis audita est in Academiis Catholicis, imo nec in Ethnicis ... usque dum Cartesiani orti fuere.*

IV. Opponitur contradicentes hac in re Aristoteli contradicere fidei.

Hinc autem tum certissime, tum evidentissime concludit in hunc modum, *Ergo qui asserant animam intellectivam non esse formam corporis humani in sensu Aristotelis, seu Peripateticorum, qui solus vigebat in Ecclesia tempore præfatorum Conciliorum, aperte contradicunt eorum definitionibus, quibus pro fidei dogmate tenendum asserunt animam rationalem esse vere, proprie & per se & essentialiter formam humani corporis, eo nempe sensu, quo tum in Ecclesia accipiebatur forma.* Qui totus discursus eò tendit, ut statuatur nihil in Conciliis præfatis definitum fuisse, nisi in sensu, in quo Patres Conciliares id definiebant: id autem definiebant in sensu Philosophi quem sequebantur, id est, in sensu Aristotelis, & qui propter illos erat sensus Ecclesiæ. Quis autem neget Atomistas cogi ad accipiendas in sensu Ecclesiæ definitiones Ecclesiæ; ac proinde in sensu Aristotelico, qui cum Ecclesiæ sensu comperitur unus atque idem?

V. Definitiones Conciliorum sunt ad sensum Spiritus sancti.

ROCCHIUS. Scriptum est, mi Pazzi. *Cavete autem ab hominibus; Tradent enim vos ..... cùm autem tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim*

vos estis qui loquimini, sed spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis. Atque id quidem scriptum est pro casu tuendæ fidei, quantò magis pro casu illius stabiliendæ? sic ne putas sacros Præsules, qui Concilio intersunt, quærere apud Aristotelem quid loquantur, vel etiam Aristotelem esse, qui loquitur in illis? Erras: non sunt ipsi qui loquuntur: datur illis quid loquantur; in illis loquitur Spiritus Patris nostri; spiritus æternæ veritatis, spiritus immensi luminis. Quare licet Præsules; qui præfatis Conciliis aderant, Aristotelici fuissent, quos è contra verisimilius est Platonicos fuisse, ut olim agens pro Gennaro convictus es: quid inde? An aliquid definire potuerunt aliter quàm in sensu Spiritûs, qui in illis non loquentibus loquebatur? Sed tum an iste sensus, quem esse verum & infallibilem nemo dubitat, sit Aristotelicus, aut Platonicus, sive Atomisticus, id nobis relinquitur disquirendum. Nisi etiam quòd sensus Aristotelis non idem apud omnes Aristotelicos est, sed valde varius atque multiplex; unde quamvis res quæ definitur, habenda esset pro definita in sensu Aristotelis, adhuc de illo contenderetur.

VI. Sensus Philosophicus spectat ad decisionem philosophicam.

Sed quod imprimis notandum est, ecce non pertinuit ad præfata Concilia definire animam rationalem esse verè, per se & essentialiter formam humani corporis, accipiendo formam in sensu Aristotelico; quia hic sensus ad philosophicam disquisitionem omnino attinet: tu verò audes cum Palanco id definire; tu jubes ut credam nomen formæ hîc accipi, sicut accipis; & rursus credam te accipere in sensu, quo illi Præsules acceperunt, & illos Præsules accepisse illud in sensu, quo accepit olim Aristoteles: nimia sunt, nimisque incredibilia, quæ proponis credenda. Rem definitam credo; sensum in quo ais esse definitam non credo: ais Aristotelicum esse; dic & proba infallibilem esse: aliàs enim esse non potest materia divinæ fidei; sed neque humanæ fidei, apud Sapientes,

quibus ubi de rebus mere philosophicis agitur, non sufficit ad credendum authoritas, quæ non est ratione munita. Habemus hîc Dominum Philalethem, mi Pazzi; eamus obviam.

P A Z Z I U S. Sed recordare, si placet, non respondisse te ad id quod aiebam sensum, in quo Patres Concilij aliquid definiunt, evadere sensum Ecclesiæ per eos repræsentatæ: quare tum ab illo sensu tam resilire nemo potest, quàm à dogmate definito.

VII. Sensus dogmatis non est revelatus ut dogma ipsum.

R O C C H I U S. Si tamen bene attendisti, bene respondi verba Concilii verba esse Spiritus sancti, qui utique dum Patrum mentes illustrat seu potius dictat quidquid definiunt ad fidem spectans, nec Aristotelem sequitur, nec Platonem, licet, qnod humanum est, Patres Aristotelem aut Platonem sequantur, sicque accipiant quod divinitus inspiratur, in sensu magis favente Aristoteli, aut Platoni. Tandem donec probaveris sensum philosophicum dogmatis perinde revelatum esse ac dogma ipsum, probabis nunquam ab authoritate Concilii, authoritatem Philosophi, quem sectaris. Atque ut verbo dicam licet Patres Concilii essent magis propensi in aliquem sensum philosophicum dogmatis definiti, non eapropter is sensus evaderet sensus Ecclesiæ, quæ nulli unquam Philosopho se addixit; sed neque se addicere potuit præter casum infallibilitatis in hac vel illa Philosophia revelatæ. Addam exinde plura, si opus fuerit.

P H I L A L E T H E S. Valete Domini mei, & parcite. Parum abfuit quin importunus hospes eripuerit mihi geminam voluptatem, & hîc deambulandi hac lætissima die vobiscum, & colloquendi de rebus vestris, de quibus aut fallor, aut loqui cepistis post non longa proludia.

VIII. Omnis sensus philosophicus est fallibilis.

R O C C H I U S. Nihil nobis prolusum fuit, nisi quòd Pazzius à me audivit istud hortorum genus, quod mirabatur, ruris in urbe, institutum ab Epicuro Athenis fuisse.

Quo audito confestim rogavit me quid cogitassem de sensu philosophico, in quo Patres præfatorum Conciliorum definierunt animam rationalem esse vere, per se & essentialiter formam corporis humani. Respondi sensum illum sive Aristotelicus, sive Platonicus fuerit, revelatum non esse, sed neque in ullo sensu humano fallibili definitum id fuisse; pertinente fide ad sensum infallibilem ideoque divinum. Dixi non esse homines, qui loquuntur in Conciliis, sed Spiritum sanctum esse qui loquitur, ac proinde loquitur suo in sensu & valde independente ab omnibus principiis philosophicis humanis aut his, aut illis. Quare hinc eram illaturus, nisi tuus adventus id distulisset, nihil in gratiam formæ substantialis Aristotelicæ posse certò colligi ex sensu, in quo Patres præfatorum Conciliorum acceperunt, aut non acceperunt nomen formæ, quando definierunt animam rationalem esse vere, per se & essentialiter formam corporis nostri.

IX. Quæritur quid sit forma substantialis apud Atomistas.

PHILALETHES. In hanc tuam opinionem facilè inclino, mi Rocchi: quare author sum, ut dimissâ istâ de præfatis Conciliis lite, clare atque ingenue dicas quid per formam substantialem intelligas, debeatque attentâ solâ ratione intelligi. Heri Pazzius nobis protulit formæ substantialis atomisticæ notionem aliam, quam impugnâbas: profer hodie nobis formæ substantialis atomisticæ notionem aliam, quam impugnet sicque apertius fiet, utra è duabus admitti debeat.

PAZZIUS. Ita inter nos constitutum jam fuit, Domine Philalethes; sic tamen ut mihi liberum relinquatur impugnare ab authoritate præfatorum Conciliorum, si quid de forma substantiali dictum audiam, quod non cohæreat cum notione veræ, propriæ, & essentialis informationis, quam tribuunt verbis expressissimis animæ rationali. Nam licet non sit ea mens Conciliorum, ut definiant res philosophicas velut res fidei; nulla tamen in

decisionibus rerum ad fidem pertinentium verba philosophica usurpant, quæ Philosophiam veram non sapiant: & ideo verior censeri debet Philosophia illa, cujus placita illustriùs quadrant cum locutionibus philosophicis, quas Concilia seligunt ad ea, quæ sunt fidei, expresse ac simpliciter significanda, ne prætermissa optio sermonis ad id magis idonei fiat occasio theologice, vel etiam philosophice peccandi.

X. Nihil ex Concilio colligi potest pro formis materialibus

ROCCHIUS. Ita sit, Domine Pazzi. Absit velle me hîc aliter loqui, quàm cohærentissime, utut potero, ad id quod Concilia de anima rationali loquuntur; hac in voluntate tibi consentio: sed vide in quo differimus. Tu in verbis illis, quibus affirmatur animam rationalem esse verè, per se & essentialiter formam corporis humani, vides formam substantialem materialem Aristotelicam: ego verò in illis nihil video, quod illam non omnino reprobet: quare jam patienter audite, Domini mei, quæ sit apud Atomistas notio veræ formæ substantialis materialis omninò diversæ ab illa, pro qua in scholis Aristotelicis tam pertinaciter certatur.

PHILALETHES. Sed sustine paulisper, mi Rocchi, donec suggessero duo esse, quæ ad notionem illam illustrandam statui debeant. Unum est, quod nullibi sit genus illud entis materialis, quod Aristotelici *formam substantialem* vocant. Alterum est, quòd omnis activitas, quæ est in compositis materialibus, esse perinde possit in illis independenter ab illo ipso entis materialis genere, quod, ut dixi, vocant *formam substantialem*. Itane videtur?

XI. Aliquid est materiale aut ab intrinseco, aut ab extrinseco.

ROCCHIUS. Ita plane, quamquam omitti potuit illud primum, ob rationes plurimas, quibus ostensum fuit à me in dialogo præcedente qualiter sit genus illud entis improducibile: unde nullibi esse, quod produci non potest, satis manifestum esset. Igitur agam quod suggeris, Domine Philalethes: atque ut convincatur nullibi esse tale-

tale genus entis, de quo jam agitur, tantùm rogo ut advertatur nihil esse materiale posse nisi dupliciter: nempe aut ab intrinseco, aut ab extrinseco, sive quod idem est, aut absolute, aut relative. Illud ab intrinseco & absolute materiale est, quod ex toto aut ex parte est aliquid talis entis creati, quod vocamus ***ens materiale***, sive ***materiam:*** atque in hoc sensu totum corpus humanum materiale est, quia singulæ illius partes, sunt utique partes illius entis ab initio creati, quod est universa materia elementaris: homo verò ex parte materialis est, videlicet propter partem corporalem, cujus singulæ portiones sunt totidem portiones materiæ elementaris à Deo creatæ. Illud autem est materiale tantùm ab extrinseco & relative, quod equidem in se materiale non est, ob id quòd nihil sit, nihilque habeat materiæ in se; sed nihilominus habet aliquam connexionem cum ente ab intrinseco & absolute materiali, aut aliquam dependentiam ab illo, aut quamcunque aliam relationem ad illud.

XII. Similiter aliquid est spirituale uno aut altero modo.

Quem in modum similiter spirituale nihil esse nisi dupliciter potest; scilicet aut ab intrinseco & absolute; aut ab extrinseco tantùm & relative: à cujus discriminis expositione, ob id quòd sit obvia nimis facilisque, abstineo. Sed tum nihil potest intelligi materiale ab extrinseco & relative, quod non sit aliquid in se ipso, scilicet ab intrinseco & absolute: sicque venio ad illud entis materialis genus, quod vocant *formam substantialem*, & de qua facilè intellegerem quòd esse posset materialis ab extrinseco & relative, quia, ut aiunt, educitur è materia aut è potentia materiæ, & insuper tam in operari quàm in esse ab illa pendet, ad illam coarctatur, cum illa necessariò jungitur.

XIII. Quæritur quid sit in se forma substantialis.

Superest ut intelligam per te, mi Pazzi, quid sit forma illa substantialis in se ipsa per constitutionem suam intrinsecam & absolutam: est enim, ut ais, ens productum (quæcunque interim sit ejus productio) ens in suo

genere perfectum, ens multis proprietatibus abundans: de illo ente quæro quid sit in se, quid sit intrinsece, quid sit absolute. Nihil est, nihil habet in se materiæ, ideoque materiale non est ab intrinseco & absolute: nihil est, nihil habet spiritûs, & ideo nec ab intrinseco, nec absolute spirituale est: dic mi Pazzi, quid est?

PAZZIUS. Dico ens illud esse materiale in se: ac tum addo cum Palanco errare vos omnes Atomistas, quum
Dial. 46. n. 376. creditis materiale in se nihil esse posse, nisi vel materia sit, vel aliquid materiæ in se contineat: *Vestra*, inquit, hæc *intelligentia voluntaria est & quæ vobis omnino præcludit aditum ad veritatem intelligendam*, hanc scilicet veritatem philosophicam de forma substantiali, quæ nihil materiæ est, & nihilominus materialis est. Ac tum attende ad interrogationes sequentes, quibus Atomistam suum vehementer urget. *Et quidem à te rogo*, inquit *utrum quidquid regale dicitur debeat esse Rex ipse, vel aliquid ipsius Regis continere entitative?* ac deinde, *Rogo iterum, an quidquid divinum dicitur, debeat entitative esse Deus, vel aliquid Dei entitative continere? item an quidquid humanum dicitur debeat esse homo, aut aliquid ipsius entitative continere? & sic de pluribus aliis denominationibus.* Neque jam dubito quin cum Atomista interrogato respondeas minime id opus esse, cùm plurima sint quæ regia, quæ divina, quæ humana denominantur, nec tamen sunt entitative aliquid Regis, Dei, aut hominis. Cogita formam substantialem denominari sic materialem posse, quin sit entitative quicquam materiæ.

XIV. *Convellitur responsio per notionē denominationis intrinsecæ & extrinsecæ.* ROCCHIUS. Quid ergo, mi Pazzi? sicne putas Palancum effugisse difficultatem? sicne putas illam effugere? sicne perinde ac ille nescis, aut nescire te simulas denominationem aliam intrinsecam, & aliam extrinsecam esse? Hanc distinctionem revocare Palanco ex Logica in memoriam debuit suus ille Atomista interrogatus, & addere

id omne quod denominatur regium, divinum, humanum, scilicet per denominationem intrinsecam, esse aliquid Regis, Dei, & hominis: secus verò id, quod taliter denominatur per denominationem extrinsecam. Hoc pacto caput regis *regium* dicitur, & est aliquid Regis, sive Rex ex parte: diadema verò Regis *regium* dicitur, & neque Rex est, neque pars Regis, Similiter misericordia Dei, *divina* dicitur, & est aliquid Dei: gratia verò quæ à Deo datur, *divina* dicitur, sed nihil est Dei. Rursus intellectus hominis *humanus* dicitur & est aliquid hominis: pileus hominis *humanus* dicitur & nihil est hominis. Jam itaque tuum erit declarare, mi Pazzi, quænam sit denominatio illa, per quam forma illa vestra denominatur *materialis*: estne denominatio intrinseca? estne denominatio extrinseca? loquere.

PAZZIUS. Loquar, & objurgabo vos cum Palanco his verbis, *Cur hanc denominationem* materialis *tam strictè semper accipitis, ut nihil materiale esse vel dici velitis, nisi sit entitativè materia, vel aliquid materiæ entitative contineat!* Dial. 46. n. 378.

XV. Hinc sequitur formam non esse materialem ab intrinseco.

ROCCHIUS. Sed neque sive tu, sive ille hac objurgatione difficultatem effugitis: imo caditis in abyssum. Sic quippe fatemini formam illam vestram substantialem neque materiam esse, neque aliquid materiæ continere: atque hoc idem est ac fateri denominationem illam, qua *materialis* denominatur, non esse intrinsecam, id est, ab intrinseco formæ petitam: superest igitur ut sit extrinseca, id est, petita ab extrinseco formæ: hoc autem extrinsecum est materia, cum qua videlicet forma illa unitur, ut dicitis, è qua educitur, & à qua pendet in operari pariter ac in esse.

PAZZIUS. Sic dicimus, & hinc formam illam denominamus *materialem*: an id ad denominationem istam non sufficit?

ROCCHIUS. Id plane sufficit ad denominationem extrinsecam. Sed tandem, mi Pazzi, oro te, loquere: concedisne, negasne denominationem illam esse mere ac omnino extrinsecam?

PAZZIUS. Extrinseca sit; sed quid inde?

XVI. Denominatio extrinseca nihil affert ad rem in se ipsa.

PHILALETHES. Noli, mi Pazzi, noli dicere *quid inde*? Inde pendet totius Atomismi exaltatio, aut totius Aristotelismi ruina. Quare jam finite, Domini mei, ut pro more meo dicam quid mihi verisimilius videatur circa denominationem, de qua certatis, & ex qua, nisi fallor, pendet, ut aiebam, exaltatio Atomismi, vel Aristotelismi ruina. Certum est per nullam denominationem extrinsecam perveniri posse ad intelligendam intrinsecam rei constitutionem; quia id unde denominatio illa petitur, est aliquid extraneum rei, & ab illa distinctum, licet cum illa conjunctum sit sive realiter, sive modaliter, sive utcunque aliter. Hinc ad intelligendam constitutionem intrinsecam diadematis regii, nullatenus sufficit quòd sciatur Regem illud diadema tulisse aut ferre, & hinc *regium* denominari: totum hoc diademati extraneum est; quisquis ille est qui scire vellet quid & quale sit diadema illud in se ipso, ulterius quæreret, sitne vel ex auro, vel ex argento compactum, his vel illis gemmis intextum, his vel illis cælaturis ornatum, &c. Sic etiam est ad rem præsentem.

XVII. Agitur de constitutivo intrinseco formæ.

Audiunt Atomistæ Aristotelicos, qui suam illam formam substantialem *materialem* denominant: neque illam ita denominant nisi à materia, quæ est quoddam genus entis tum prius illa, tum omnino distinctum ab illa, quamvis cum illa penetratum supponeretur; unde inferunt denominationem illam esse omnino extrinsecam; sicque talem formam ab intrinseco materialem non esse. Hinc aiunt, quid igitur est ab intrinseco forma illa? materialis ab intrinseco non est; Spiritualis ab intrinseco non est:

quid igitur est? Fateor, si me Rocchius sic urgeret, mi Pazzi, nescirem quà evaderem: suggere mihi, si habes, aliquam evasionem.

PAZZIUS. Evadi posset forsan dicendo formam esse aliquod genus entis medium inter genus entis materialis, & genus entis spiritualis: & hæc evasio stabiliri posset in eo quòd saltem aliquæ formæ substantiales materiales sunt, quæ gradum sensationis attingunt, ut sunt illæ, quas *animas sensitivas* vocamus.

PHILALETHES. Non puto, mi Pazzi, hanc evasionem esse Rocchio placituram.

ROCCHIUS. Imo verò placet, quia evasio est à minoribus tenebris ad majores, in quibus tumulari necesse sit formam illam substantialem Aristotelicam. Etenim si forma illa ex minima sui parte spiritualis esset, vel utcunque ad spiritualitatem accederet, hinc multò difficiliùs, ne dicam multò impossibiliùs explicaretur eductio illius è sinu materiæ: nisi quòd hoc esset fingere materiam ab intrinseco spiritualem, & spiritum ab intrinseco materialem in uno ente, qua fictione nulla tenebrosior visa est. Sed neque puto, mi Pazzi, velle te hanc evasionem tueri, & eapropter quum dixisti sic evadi posse, addidisti *forsan*, quæ est particula dubitandi.

XVIII. Forma non potest media re inter spiritum & materiam.

PHILALETHES. Hanc particulam notavi: neque vult, ut co jicio, Pazzius noster evasionem illam tueri; sed nondum tamen tuis conatibus adhuc aboluisti genus illud entis materialis, quod Aristotelismus vocat *formam substantialem*; superest enim ut probes, quod antè monui, explicari posse independenter ab illo entis genere activitatem omnem, mire variam atque multiplicem, quæ in compositis omnibus materialibus etiamque animatis reperitur. Aliàs enim si materia non est capax talis activitatis, recurrendum pro ista explicanda erit ad aliud genus entis, & hoc genus entis erit forma illa, de qua jam agitur.

XIX. Aiunt non esse posse sine forma vim sentiēdi

PAZZIUS. Duram Rocchio nostro imponis, optime Philalethes, provinciam: nam etsi fortè probare posset materiam atomisticam elementarem esse capacem recipiendæ à Deo in se omnis activitatis illius, quæ tota reducitur ad motus locales, tardos, veloces, diuturnos, breves, intermissos, restauratos, sursum, deorsum, quaquaversum excitatos, ac tum quibuscunque viis, & quibuscunque modis exercitos, quomodo convincere aliquando posset non esse opus forma substantiali ad usum activitatis illius sensitivæ, quæ in animalibus est? an auderet atomis suis elementaribus tribuere vim sentiendi? Hæc est arx, unde Aristotelismus nunquam ejici poterit; & è qua prodit ad tribuendas suis respective formis substantialibus omnes activitates naturales vegetabilium, mineralium, metallorum, mixtorumque tandem omnium & elementorum, ex quibus fiunt mixta universa. Agedum, mi Rocchi, hora est exaltandi atomos tuas.

XX. Saltem atomi sunt capaces omniū motuum localium.

ROCCHIUS. Parce jocis, mi Pazzi, donec compescam illos, si potero: & jam quidem non omnino alienus videris post tot rationes, quas ad id efficaces ex me audiisti, ab eo quòd atomi nostræ elementares, perinde ac vestræ formæ substantiales, si quæ essent, capaces sint tam active quàm passive motuum omnium qualiumcunque localium; & exinde virium omnium sufficientium ad eos motus seu communicandos, seu subeundos: si enim forma ignis, ut loquimini, potest accipere à Deo vim motûs sursum, cur recipere illam non potuit particula ignis, sive, ut loquimur, atomus ignea? cùmque idem pronunciari debeat de omnibus atomis elementaribus, hinc patet nullos esse in quibuslibet mixtis, aut à quibuslibet mixtis prodeuntes effectus assignabiles pro quocunque motu locali, qui referri non possint ad vires motrices seu passivas, seu activas inexistentes atomis elementaribus. Ex hoc autem uno principio semel admisso

evidens redditur superfluitas formarum omnium substantialium in iis mixtis, seu compositis saltem omnibus, in quibus nihil est præter vires motrices locales, seu activas, seu passivas, à quibus effectus illorum universi pendent.

PAZZIUS. Sed tum quando pervenitur ad composita sensitiva, seu animalia, an ad vim sentiendi explicandam sufficiunt motus illi locales, vires illæ locomotrices atomorum vestrarum? Hîc ut obmutescant Atomistæ necesse est: hîc Aristotelistæ triumphant: hîc audiuntur assignare in animalibus illis pro principio sentiendi formam substantialem sensitivam, sive animam sensitivam. XXI. Opponitur atomos non esse capaces sensationis.

ROCCHIUS. Bene ais, mi Pazzi, Atomistas hîc obmutescere; sed adhuc magis obmutescerent Aristotelistæ, si saperent. Quid nisi ridendos jactatis triumphos, quando pro exponendo in brutis principio sentiendi, hoc est, percipiendi, & discernendi res sensibiles, cum amore, cum odio, cum voluptate, cum dolore, cum spe, cum metu, &c. cogimini vos perinde ac nos recurrere ad rem materialem, de qua parum interest, quòd eam denominetis *formam*, aut *animam*, aut quid simile: nihil enim ad cognitionem intersunt nomina, quæ pro arbitrio usurpantur, neque de cætero non sunt nobis communia.

PHILALETHES. Ita est, Domini mei, reluctatur humana mens, resilitque à tribuenda rei materiali notitia: quare hîc obmutescite ambo, si creditis: hîc scopulum attigistis, ad quem frangitur omnis, quamquam immanis, omnium Philosophorum superbia. Hîc non apparet medium, quod Philosophi beate teneant, aut tenere possint, sed utrinque in opiniones periculosas inciditur. Si quis cum Cartesio brutis omnem notitiam adimit asserendo ea esse mera automata, quid agit? nisi quòd corporeis organis & corpusculis per organa illa fluentibus, tribuit operationes humanis similes, ac sæpe humanis perfectiores, quas ideo sine aliqua notitia exerceri posse credibile mi- XXII. Temere adimitur brutis omnis cognitio.

nus est, quàm exerceri cum notitia, quæ nostram superat. Legistis haud dubie opusculum illud Hieronimi Rorarii Exlegati Pontificii, sicque inscriptum, *Quòd animalia bruta ratione utantur meliùs homine* : ibi, ut meministis, referuntur tam mira, tam stupenda facta brutorum, tam redolentia sapientiam, ut per ea facilè suadeatur non fuisse nimis audacem inscriptionem illam.

XXIII. Periculosum est admittere cognitionem in brutis

Si quis ex adverso contra Cartesium affirmat rem materialem, (sic voco qualemcunque formam substantialem materialem, sic voco qualemcunque materialem congeriem atomorum) capacem esse notitiæ, quid agit? nisi quòd spiritum cum materia confundit, & fores aperit suspicioni, posse Deo volente lapides perinde ac homines philosophari, vel saltem posse videre, audire, odorari, &c. ut bruta vident, audiunt, odorantur, &c. videlicet redigendo materiam illam lapidum in membra & organa, & contemperando illam & attenuando illam in corpuscula, quæ talibus membris atque organis afferant vim idoneam motricem, sive vitalem ac sensitivam. Equidem intelligimus nullum esse contemperationis, mixtionis, combinationis, configurationis, ac motionis localis genus, cujus incapax sit materia, quæ propterea est contemperabilis, miscibilis, combinabilis, configurabilis & mobilis in omnem modum; sed tum non capitur qualiter sit cognitionis capax, etiam si talis qualiscunque modificatio per divinam industriam pararetur: etenim materia illa qualitercunque modificata non superaret gradum materiæ; sicque subsisteret infra gradum spiritûs, cui soli convenire generatim cognitio potest: est autem omnis sensatio cognitio quædam.

XXIV. Difficile vitantur duo illa vitiosa extrema.

Neque jam opus est ut inferam, quod per vos clare infertis tam nullas formas materiales, quàm nullas atomos, aut factas ex atomis compositiones, capaces ullius sensationis esse. Ubi ergo jam erit, Domini mei, medium il-

lud.

lud quod quæritur, & sine quo vitari non potest, sive primum illud vitiosum extremum denegandi brutis omnem sensationem, sive istud secundum, neque minus vitiosum, admittendi sensationem in materia, quæ est illius incapacissima. Quare jam ut vobis, ita Philosophis universis suadeo, ut hac de re obmutescant, pro qua illustranda nihil, salva pace, nisi tenebras afferunt. Sed tu, mi Rocchi, qui, si bene memini, parabas jam ante annos decem tractatum *de corpore & spiritu* inscribendum, an illum absoluisti; an habes in illo aliquid quod reputari possit pro luce parumper idonea & sufficiente ad enodationem hujusce difficultatis? hanc nobis, si quæ tibi affulsit, communica.

ROCCHIUS. Jussisti, Domine Philalethes, semel ac bis, ut hac de re obmutescerem: jamque jubes ut loquar: malo priori jussioni obtemperare. Quod autem rogas, an absolverim tractatum, quem ante annos decem ceperam meditari circa corpus & spiritum, absolutus quidem est; sed hoc opus hujusmodi est, cujus editioni præire debeant hæc duo, quæ Horatius præcipit, *in Meci descendat judicis aures:.... nonumque prematur in annum*. Annus ille nonus nondum advenit, & eris tu mihi Mecius ille. Interim mihi satis est si probaveris, quod antè aiebam, nempe quòd si Aristotelici saperent, adhuc magis obmutescerent hac in re, quàm Atomistæ. XXV. In re ista deberent Aristotelici magis obmutescere. *Hor. de arte Poëtica.*

PAZZIUS. Id equidem aiebas, mi Rocchi; sed unde id probas?

ROCCHIUS. Id probo, mi Pazzi, ex eo quòd si vis sentiendi à Deo inseri posset rei alicui materiali, hæc insertio magis conveniret rei minùs materiali; hoc est, rei magis simplici, ac proinde magis ad spiritualitatem accedenti. Unde apparet atomos nostras elementares, siquidem quàm minime materiales, nec enim sunt nisi puncta individua materiæ in se ipsa simplicissimæ, aptiores so-

re, quàm formas Aristotelicas ad admittendam vim sentiendi.

XXVI. Opponitur simplicitas formæ in brutis perfectis.

PAZZIUS. Id equidem ita foret; nisi Aristotelici tuæ illi difficultati obviam ivissent affirmando formas sensitivas, sive animas brutorum, ac præsertim perfectorum simplices atque indivisibiles esse; & ecce quomodo fiunt aptæ saltem non minùs quàm vestræ atomi ad habendam vim sentiendi: ut de cætero taceam omnia hominum præjudicia esse adversùs atomos in gratiam formarum substantialium, quas vocamus *animas sensitivas*, circa prædictam illam vim sentiendi.

XXVII. Ostenditur quàm falsa sit talis simplicitas.

ROCCHIUS. Sed quid, mi bone Pazzi; sufficit ne Aristotelicos aliquid affirmare, ad hoc ut illico indubitatum sit? & hîc quidem oh quàm parum cohærenter loquuntur! Quid non alibi clamant ut faveant divisibilitati materiæ in infinitum, ita quòd contendant divisionibus infinitis patere partem quantumlibet minimam proportionalem continui, atque hinc rideant indivisibilitatem atomorum nostrarum? hîc autem agnoscunt pro indivisibilibus grandes materiæ massas, quales utique sunt formæ substantiales sensitivæ, sivæ animæ sensitivæ boum, camelorum, elephantorum, &c. coëxtensæ toti animalium illorum moli. Tum si quæritur cur formis illis ita coëxtensis hanc indivisibilitatem affingant, respondent illas hinc fieri aptiores atque proniores ad sentiendum: quâ viâ res materiales, quasi pro arbitrio aut posse in infinitum dividi, aut nullatenus posse dividi affirmant: & hinc arbitrium illud magis elucescit, quòd animas animalium imperfectorum non negant esse divisionibus multis obnoxias. An istæ ad admittendam vim sentiendi non egent ut illæ, siquidem minùs sensitivæ nont sunt, æquali simplicitate atque indivisibilitate? An si major forma, ut elephanti, potest indivisibilis esse, minor quædam, ut est illa vermiculi, esse talis non poterit?

PAZZIUS. Atqui nos nec ad majorem, nec ad minorem molem formæ sensitivæ attendimus, quando alias quidem indivisibiles esse, alias autem esse divisibiles affirmamus: non te latet, mi Rocchi, experientia, quâ movemur ad assertionem hujus discriminis. Videmus animalia, quorum partes à toto rescissæ aliquandiu vivunt: & alia quorum partes, si pariter rescinduntur, illico non vivunt. Ista vocamus *perfecta*, & animam quæ in eis est, dicimus indivisibilem esse, quia si divisibilis esset, divideretur & maneret aliquandiu in partibus divisis, quæ idcirco tamdiu viverent. Tum illa vocamus *imperfecta*, & animam quæ in illis est, affirmamus esse divisibilem, propter vitam quæ aliquandiu est in partibus divisis, nec esse nisi ab anima potest. An hæc ratio non est urgens pro præfato discrimine inter animas sensitivas brutorum, aliorum quidem divisibiles, aliorum verò indivisibiles? XXVIII. Quæ sint animalia perfecta, quæ imperfecta.

PHILALETHES. Tene eos tuum, mi Rocchi; & attendite, Domini mei, recidisse vos in horribiles tenebras, quando recidistis in hoc quòd sive formis, sive atomis vitam sensitivam tribuitis, constituendo in illis animam sensitivam, de qua caliginosissimum est quidquid pro illius divisibilitate, aut indivisibilitate sive affirmatur, sive negatur. Pro principio generatim verissimo haberi potest rem materialem, quæ coëxtenditur alteri rei plures partes habenti, plures etiam partes habere, atque ita divisibilem esse: hinc anima sensitiva, si res est materialis, & coëxtensa cuivis moli corporeæ, qualis est moles animalis cujusvis, obnoxia est divisioni totius molis illius. Tum verò quòd moles illa divisa vivat, aut non vivat, explicari aliunde id debet; uti forsan ex organis, quorum aut par multitudo, aut par dependentia, aut par connexio non est pariter necessaria in omnibus animalibus ad exercitium vitæ. XXIX. Omnis forma materialis est divisibilis.

Præterea vis sentiendi nihil habet commune cum re- XXX. Vis sen-

tiendi nihil habet commune cum materia.

materiali, sive divisibilis, sive indivisibilis affirmetur: quare donec per felix studium hominis supra mortales cæteros eruditi, aut per beneficium Dei sua revelatione nostram inscitiam sublevantis innotescat quid sit sensatio in brutis, quid in eis sit hujusmodi sensationis & vis & causa, mallem Philosophos tacere de re apud ipsos tam ignorata; de qua ubi loquuntur, transeunt, ut suspicor, fines suos. Ergo nolite agere ultra, si mihi favetis, nisi de formis, quarum activitas tota sit infra vim sentiendi. De istis, Domine Rocchi, tuum sit enarrare ingenue in conspectu nostro, quid sentiant Atomistæ: nam præter formæ nomen valde æquivoce usurpatum scio hac in re nihil esse vobis & Aristotelicis commune.

XXXI. Quid sit forma substantialis apud Atomistas.

ROCCHIUS. Sed neque aliud esse nobis commune potest cum hominibus, qui præter hæc duo genera entis, videlicet spiritûs & materiæ, tertium quoddam genus entis, contra omnem philosophicam veritatem agnoscunt & *formam* vocant. Nostra itaque mens de forma substantiali mixtorum, sive compositorum omnium materialium hæc est. Nomen *forma* nomen abstractum est, quo nihil significatur præter rationem, modum, conformationem rei, sive rerum quæ taliter vel aliter coëunt, commiscentur, contemperantur, conferentibus singulis id quod habent propriæ rationis, modificationis, conformationis, propriæ contemperationis, & activitatis aut inertiæ ad unam totalem & adæquatam totius compositi conformationem, seu formam. Qua via intelligitis, Domini mei, singulas particulas minimas elementares, ac proinde singulas moleculas & moles, quæ coalescunt ex illis & in compositionem veniunt cujusvis mixti, seu compositi materialis, suam habere formam particularem, suam particularem vim agendi & patiendi, suam particularem vim sese permiscendi, atque intromittendi vicissim: hinc autem non potest non resultare una quædam totalis & adæ-

quata forma totius mixti, seu compositi materialis.

XXXII. Quid sit materia apud Atomistas.

Atque in hunc modum sicut omnes ac singulæ particulæ materiales simul sumptæ & consideratæ præcise sub respectu molis quam habent & quam sibi communicant, sunt tota materia cujuslibet compositi materialis: ita omnes illæ ipsæ ac singulæ particulæ consideratæ aliter sub respectu activitatis, aut inertiæ, aut cujusvis alterius modificationis quam habent & quam sibi communicant, sunt tota forma completa & adæquata præfati ejusdem compositi. Et revera sicut non potest non resultare una quædam totalis moles corporea ex pluribus corpusculis adunatis ac quocunque pacto inter se cohærentibus, ita non potest non componi una quædam totalis activitas corporea ex illis iisdem corpusculis habentibus, sibique communicantibus particularem illam activitatem, quam perinde ac molem habent ex titulo suæ creationis; quæ utique activitas maior aut minor, est illis sua particularis natura, sive forma. Neque propterea opus est aliam in compositis materialibus desiderare materiam, quàm quæ coalescit ex singulis particulis elementaribus, habentibus singulis molem suam; aut aliam in iisdem formam, quàm quæ exurgit ex formis particularibus, id est, ex modificationibus & activitatibus talium particularum elementarium.

PAZZIUS. Ego verò hîc non adverto, mi Rocchi, formam, quam Aristotelici desiderant à materia præjacente distinctam: totum id quod narras de atomis elementaribus adunatis & permixtis, totum id, inquam, materia est.

ROCCHIUS. Id totum materia est, si attenditur illarum moles: sed simul id totum forma est, si attenditur illarum activitas per commixtionem contemperata: si attenditur hæc contemperatio ex singularum conjunctis temperamentis consurgens: & quæ vera totius compositi

materialis conformatio est, sive quod idem est, forma.

XXXIII. Proponitur nova demonstratio formæ substantialis. PAZZIUS. Verba sunt: nec quiesco, mi Rocchi, donec in composito materiali videro formam, sive perfectionem formalem à materia præjacente distinctam, & qualem Palancus noster Atomistæ vestro demonstravit, Leone in exemplum adducto: ad istam demonstrationem si attendisses, quum legisti, fuisses ut ille convictus.

ROCCHIUS. Legi, attendi, nec convictus fui, neque fui ab illo leone territus: sed fac, si poteris, ut convincar: fac ut expavescam ad conspectum leonis illius.

Dial. 50. n. 431. PAZZIUS, Hanc hypothesim præmittit Palancus, *Circumscribe, rogo, integrum leonem vivum undique, quasi mathematice superficie aliqua continente, in qua totus Leo contineatur & circumscribatur, ut posset in vase aliquo undique clauso.* Hac hypothesi præmissâ sic interrogat suum Atomistam, *Nunc à te rogo*, inquit, *an Leo ille vivus posset mori remanente totâ illius materiâ intra illam superficiem circumscribentem?* Atomistam annuentem iterum rogat, *An si saltem divinitus illa compago atomorum resoluta instauraretur, iterum viveret leo?* Neque id negatur ab Atomista, qui tertiò rogatur, *An leo vivus sit aliquid substantialiter perfectius, seu maioris realiter perfectionis, quàm leo putrefactus, aut in cadaver putridum resolutus?* Et hoc tertium ab Atomista conceditur: unde sic demonstrative infert Palancus, *Ergo dum leo moritur, vere & realiter amittit aliquam perfectionem substantialem, quam vere & realiter habebat, dum viveret:* & sic subsumit. *Atqui nihil totius materia in præfato casu amittit; nam supponimus nec minimam quidem atomum abscedere ..... Ergo illa perfectio substantialis, qua realiter deficit, totâ scilicet materiâ permanente, realiter distinguitur à tota materia, &c.* Vides, mi Rocchi, vel invitus in his verbis formam substantialem leonis vivi, quæ toti materiæ leonis est superaddita, & in illo est per-

fectio quædam substantialis, qualis utique in ipso non est, quando est mortuus; & quam recuperaret, si divinitùs reviviscceret. Illam formam tandem hic vidit Atomista ille, quem Palancus interrogabat; nihilque respondit: finge te pariter interrogatum, quid responderes?

ROCCHIUS. Plasmavit sibi Palancus Atomistam nimis persuasibilem, mi Pazzi, quia nimis nescientem vel ipsa tyrocinia doctrinæ Atomisticæ. Audi ex me quid debuerit respondere: neque scio an tu ipse formam illam quam in verbis præmissis tam clare vides, posthac vel subobscure visurus sis. Respondere debuit non esse opus tanto verborum apparatu ad supponendam necem leonis. Ecce moritur leo, & in eo mortuo est eadem materia, quæ fuit in vivo: eadem sunt membra, eadem organa, eadem sanguinis copia, & humorum omnium eadem mensura, quia derepente mortuus est, & hæc omnia evanescere derepente non potuerunt. Bene est; sed nihilominus si materia illa est eadem in mole, at jam non est eadem in virtute: non est eadem in membris, in organis, in humoribus: vel enim fracta fuerunt membra, vel læsa organa, vel vitiata humorum temperamenta: sanguis substitit, aut è vasis effluxit, aut quid simile accidit, propter quod leo interiit. Hæc membrorum textura, hæc series organorum, hæc temperies humorum, hæc circulatio, hæc temperantia sanguinis: hæc & similia quæ vivum constituebant leonem, ei mortuo jam desunt; sed hæc non erant forma illa substantialis Aristotelica, quam, ut vult Palancus, leo per necem suam amisit: hæc non erant tertium illud genus entis, quod neque materia est, neque spiritus. Totum per quod vixit leo, materia erat; sed taliter membris contexta, taliter organis distincta, taliter humoribus temperata, taliter cohærens, taliter fluens, &c.

XXXIV. Qualiter consistat vita in certa quadam habitudine corporis.

Atque ut videas, mi Pazzi, superfluitatem tuæ illius formæ substantialis leoninæ, an mortuus est leo quandiu

XXXV. Et mors cōsistit in amis-

fione præmissæ habitudinis. valuit suâ illâ pristinâ dispositione, plenitudine, agitatione organicâ? minime. An non viveret adhuc, si non amisisset pristinam illam totius corporis habitudinem bonam, quâ valebat? etiam. Sic te interpretor brevitatis causâ, ut inferam leonem illum, quando interiit, amisisse nihil præter illam totius corporis habitudinem bonam, quæ erat vita illius. Quare hoc unum jam scire oportet, an forma illa substantialis, quæ secundùm Aristotelicos constituebat leonem vivum, esset aliquid tali totius materiæ corporalis habitudini superadditum. Quid ais?

XXXVI. Objicitur talem habitudinem esse aliquid super additum materiæ. PAZZIUS. Aio non esse morem apud Aristotelicos explicandi formam substantialem, quâ animal vivit, per illam id genus bonam habitudinem totius corporis, quia hæc accidens quoddam est, aut potius una quædam congeries multorum accidentium. Sed quamvis ita esset, adhuc integra esset demonstratio nostri Scriptoris, qui contendit leonem vivum esse substantialiter perfectiorem leone mortuo: hinc enim Atomistæ satis urgentur ad admittendam perfectionem substantialem superadditam materiæ præjacenti. Tum sive talis perfectio sit forma, de qua loquimur, sive sit habitudo illa, de qua loquuntur, utrinque pariter verificabitur dari entia materialia, quæ mediant inter materiam & spiritum, sicque venient paulatim in notitiam formarum Aristotelis: namque haud dubie non negatis bonam illam habitudinem totius corporis viventis esse perfectionem superadditam illi corpori, sive materiæ, ex qua totum corpus coalescit: siquidem aliàs corpus illud nunquam interiret, quia secum haberet identificatam bonam illam habitudinem, in qua, ut dicitis, vita consistit. Sed nunquid etiam affirmabitis vitam hominis nihil aliud esse quàm habitudinem similem, ut inde similiter inferatis animam rationalem esse perinde superfluam ad vitam hominis?

XXXVII. Difficultas PHILALETHES. Erit deinde sermo de vita hominis, si

si videbitur. Sed hîc finite, Domini mei, ut dicam videre me difficultatem omnem de forma substantiali jam eò redactam, ut sciatur pro corporibus generatim omnibus sive non organicis, sive organicis, an tota modificatio totius materiæ, ex qua constant, & per quam unam Atomistæ explicant formam substantialem illorum, sit perfectio substantialis superaddita materiæ præjacenti: si enim ita est, hæc perfectio neque materia, neque spiritus est: atque hinc patet iter ad admissionem formæ substantialis. Videte punctum, unde rursus Aristotelismi aut Atomismi tota moles vel sursum, vel deorsum itura est. est de perfectione substantiali superaddita.

XXXVIII. Habitudo corporis nihil substantiale superaddit corpori.

ROCCHIUS. Sursum ibit Atomismi moles, Domine Philalethes, si non aliunde id pendet, quàm ex ostensione identitatis realis inter materiam modificatam & inter qualemcunque aut qualitercunque perfectam modificationem ejusdem materiæ. Accipiatur itaque ad id ostendendum modificatio materiæ in corpore omnium perfectissimo, sive non organico, sive organico: quid erit reperire in illo corpore nisi tot & tales partes materiæ? quòd sint tot, id ad numerum refertur: quòd sint tales, id refertur vel ad naturam singularem ipsarum, & quam extra corpus illud pariter haberent, & de qua proinde non est sermo; vel ad habitum & respectum quem omnes habent in illo corpore, uti quod sint taliter locatæ, taliter connexæ, taliter permixtæ, taliter temperatæ vicissim, taliter motæ aut mobiles, taliter immotæ ac quiescentes, &c. In quibus omnibus modificationibus nihil omnino est nisi respectivum: & ideo nulla est nisi respectiva perfectio, quam usus permittit vocare substantialem propter subjectum quod est substantia; sed quam ratio vetat accipere pro substantia realiter distincta ab ea, quæ est substantia subjecti modificati, hoc est, materiæ modificatæ.

XXXIX. Tantùm addit per-

Atque ut hæc veritas magis pateat, accipiantur seorsim singulæ corporis præfati ac perfectissimi partes, & quæro

fectionem respectivam quid substantiæ novæ noviterque productæ accidat singulis eo titulo quòd habeant talem nexum, talem situm, talem motum, aut talem quietem, &c. Nihil sane. Hinc variate nexum, situm, motum, quietem, &c. Quid inde? erunt in se ipsis quod erant; unus illis deerit respectus, in quo erant ad invicem: & deerit illis illa perfectio respectiva, quæ nec ipsa maior erat, nisi respective ad perfectiores operationes, pro quibus per pristinam modificationem erant idoneæ.

XL. Nihil substantiale per collectionem aut dispersionem acquiritur. Tandem adhuc, si placet, omnes & singulas, quæ corpus illud perfectissimum componunt, cogitate non semper illud composuisse; cogitate itaque illas in statu dispersionis: quid exinde accidit? collectæ fuerunt; sicque connexæ, sic ordinatæ, sic temperatæ, sic agitatæ, &c. Excreverunt in tale corpus, quod ubi deperibit, quid accidet, nisi quòd revertentur in diversum aut similem dispersionis statum? sed ut nihil rei acquisierunt quum collectæ sunt, ita nihil rei amittent, quum dispergentur. Sed jam tempus est, mi Pazzi, ut tecum redeam ad leonem illum, quem Palancus sub mathematica superficie conclusit, ut occideret: ecce illi occiso deest tantùm perfectio substantialis respectiva, quæ non erat res producta, & ita non erat forma substantialis producta, qualem Scriptor vester per necem leonis voluit demonstrare. An non prædixi, quòd forsan evanesceret ex oculis tuis forma illa substantialis Aristotelica, quæ tam clare illos feriebat?

PAZZIUS. Atqui nondum evanuit: adhuc enim video in leone vivo aliquid reale, quod in mortuo non erit; & propter quod realiter atque substantialiter perfectior est leo vivus, quàm mortuus: illud autem reale atque substantiale quid est, si non est forma substantialis Aristotelica illa, quam Palancus hoc argumento habuit pro demonstrata?

XLI. Sufficit ad vitam certa ROCCHIUS. Illud reale, mi Pazzi, est modificatio illa realis atque substantialis, de qua aiebam, & quâ unâ

pereunte necesse est tuum illum leonem mori: de cætero enim finge formam illam tui leonis substantialem Aristotelicam, quam Palancus habuit pro demonstrata, finge, aio, incorruptam, finge, si vis, incorruptibilem: an propterea non morietur leo, si fit in eo notabilis vel membrorum fractio, vel organorum læsio, vel inflammatio, aut retentio sanguinis, vel quid simile? Habes igitur in illa pristina modificatione materiæ, seu in illa pristina bona habitudine totius corporis perfectionem realem ac substantialem, quâ leo vivus prævalet mortuo; sed illa modificatio substantialis non est substantia superaddita substantiæ modificatæ; & ideo non est forma illa substantialis Aristotelica, & materiæ præjacenti superaddita, qualem falsò putasti demonstratam à Palanco fuisse. quædam modificatio.

XLII. Sufficit ad mortem alia nova modificatio.

Tum illi modificationi succedit alia, quæ est cadaverica, & ideo minus perfecta, siquidem jam non vitalis, ut antè: & hæc successive pejor fit ac tandem in putredinem abit. Sed vide, mi Pazzi, rursus quàm superflua sit tua illa forma substantialis; si colligeretur denuo tota illa materia quæ constituebat leonem; si omnes ac singulæ partes illius redderentur suo priori statui, redintegraretur corpus leonis, essetque pariter sanum ac vegetum, ideoque vivens ut antè. Ac tandem, quod est valde notatu dignum, si tanta est formæ illius substantialis Aristotelicæ surperfluitas in corporibus organicis ac viventibus, quantò major erit in cæteris inorganicis & non viventibus?

XLIII. Partes ipsæ sunt materia & forma sub diverso respectu.

PHILALETHES. Jam antequam id moneres, notaveram apud me atque intuleram nihil obstare, quin generatim pro quocunque statu cujusvis rei materialis assignabilis explicando sufficiat illa totalis materiæ modificatio, quæ consistit in omnium ac singularum talis materiæ particularum habitudine ad invicem, id est, in respectiva proportione, cohæsione, activitate, &c. Hoc ipso enim quòd certa quædam materia, id est, certa quædam mate-

riæ quantitas, supponitur taliter aut taliter modificata, omnino implicat quòd non sit tale aut tale corpus, quod ex illa constat: atque hinc itur à corporibus minùs perfectis ad perfectiora, pro quibus aliud nihil requiritur, quàm perfectior modificatio ejusdem materiæ, ac præsertim materiæ perfectioris. Et vide jam, mi Rocchi, an satis assequar tuam mentem. Omnes elementares particulas, ex quibus corpus aliquod consurgit, consideratas præcise secundùm multitudinem & molem, vocas *materiam*: ac deinde talium particularium modificationem consistentem in earum proportione, cohæsione, activitate, &c. vocas *formam*: præter quam, ut verum fatear, mihi jam non licet aliam desiderare.

XLIV. Opponitur animam rationalem esse formam hominis.

PAZZIUS. Tibi tamen licebit saltem, optime Philalethes, aliam desiderare in homine: nam nunquid anima rationalis in homine forma est hominis, ut à prædictis Conciliis definitum fuit? Nunquid est vita hominis? sicne auderet Rocchius affirmare nihil aliud formam, nihil aliud vitam hominis esse, quàm certam aliquam modificationem particularum elementarium, ex quibus constet moles organica humani corporis? An aliquid est à ratione? an aliquid est à fide tam alienum?

XLV. Forma hominis est in habitudine animæ ad corpus.

ROCCHIUS. Nihil alienum à ratione, nihil alienum à fide hactenus ex me audiisti, mi Pazzi, nihil in futurum audies, si Deus me juverit, ut confido. Ecce homo constat ex anima rationali & corpore organico, tanquam ex duabus partibus ipsum componentibus: atque in hoc sensu ambæ istæ partes induunt rationem materiæ, juxta notionem receptissimam, quâ materia est omne id, ex quo inexistente aliquid fit. Tum ultra quòd omnes ac singulæ partes corporis humani se habent certo quodam modo ad invicem, quo videlicet ordinantur, cohærent & contemperantur, ut par est, pro integrandis membris, organis, humoribus, &c. est etiam aliqua par-

ticularis habitudo connexionis inter animam & corpus; aliqua particularis dependentia corporis ab anima: & aliqua particularis dominatio animæ supra corpus: itaque tota illa modificatio habitudinis animæ ad corpus, & corporis ad animam est forma totalis & adæquata hominis.

PAZZIUS. Novum est hoc loquendi genus, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Tibi nescienti nostra mysteria novum est: sed de cætero antiquum est; atque ut illud pleniùs discas, audi me patienter.

PHILALETHES. Audiemus te: at nescio an patienter, si non uteris compendio: an non advertis solem occumbere, ac proinde imminere horam abeundi.

ROCCHIUS. Vetabat ardor loquendi, ne id adverterem. Abeamus, & complebo sermones meos, antequam attigerimus metas ambulacri hujus. Dicam igitur, Domini mei, nobis aliam esse materiam adæquatam, aliam inadæquatam: & similiter formam aliam adæquatam & aliam inadæquatam. Materia adæquata, sive totalis est id totum, ex quo inexistente aliquid fit: & ita omnes partes compositi sunt tota materia compositi: materia verò inadæquata, sive partialis est id quod in composito est magis passivum, atque ita magis subjectivum & potentiale. Similiter forma adæquata, sive totalis est id per quod omnes partes compositi se habent certo quodam modo ad invicem, & sic tota omnium partium ad invicem modificatio est tota forma compositi: forma verò inadæquata & partialis est id, quod in composito est magis activum, & ita magis actuans atque perficiens, Unde patet qualiter denominationes *materiæ* & *formæ* pendeant ex diversis respectibus: quandoquidem unum & idem sub diversis respectibus acceptum vocari potest modò *materia*, modò *forma* compositi. XLVI. Quid sit materia hominis adæquata, quid inadæquata.

Et hinc rursus patet quare non recurri debeat ad illud tertium genus entis ficti, quod *formam substantialem* vo- XLVII. Quid sit forma hominis adæquata.

quid inadæquata.

cant, pro explicanda vera forma cujuslibet compositi materialis: ecce quidquid illud componit, sub hoc generali respectu materia illius est: & rursus quidquid componit & perficitur, materia est; quidquid componit & perficit, forma est, præter formam illam, de qua dixi, adæquatam in omnium partium ad invicem habitudine consistentem. Atque hinc tandem patet quomodo anima rationalis in homine sit per se, & vere, & proprie & essentialiter forma hominis; siquidem est & pars essentialis illius, & pars perfectiva illius, omninoque veriùs, atque intimiùs quàm aliquando finxerint Aristotelici simile quid suis illis formis substantialibus convenire; ut non addam hinc etiam omnino veriùs animam hominis vocari formam hominis, quòd per se sit substantia vere superaddita materiæ, seu corpori præjacenti; & hoc nunquam potuit convenire formis substantialibus Aristotelicis. Parcite, Domini mei, si forte lapsus sum linguâ in narratione tam celeri, cui jam ut video, protrahendæ obstat noster hic ad fores accessus.

PHILALETHES. Paucis his vestris atomisticis loquendi modis multa conclusisti: nec è re forsan fuisset ex illis non epilogum, sed prologum conficere vestræ hodiernæ hujusce disputationis: nam hæc est mea mens Philosophos perinde ac cæteros homines de verbis magis quàm de rebus certare: sæpe de illis non dissimiliter sentiunt; sed ita dissimiliter loquuntur, ut spes futuræ consensionis appareat nulla. Nollem tamen, si vellent se audire, desperare de illa: & hâc viâ forsan aliquando Aristotelici, si Atomistas audierint, deserent suam illam formam substantialem, contra quam tot obices posuit Rocchius.

IIIXLV. Ablatâ formâ substantiali, auferentur omnes accidentales.

PAZZIUS. Donec videris, Domine Philalethes, pascentes in æthere cervos, noli credere id futurum. Forma substantialis basis est, cui tota Philosophiæ Aristotelicæ moles innixa est, & eam deseremus? Si desereremus illam, nonne oporteret deserere formas omnes accidenta-

les, quas illa parturit, & sine quarum ope tum nulla Naturæ phænomena explicari possunt, tum mysteria Fidei multa non possunt. Quare ob istas formas accidentales, quæ debent necessariò retineri, necessarium est illam non deseri.

PHILALETHES. Et eapropter, Domini mei, author sum ut deinceps & de omnibus formis accidentalibus generatim, & de quibusdam particulatim inter vos agatur: ex illis enim aut admittendis, aut non admittendis intelligam abundantiùs quid de forma substantiali Aristotelica, de qua sermo hactenus fuit, veriùs aut hinc, aut inde assertum sit.

ROCCHIUS. In promptu ero, Domine Philalethes, ut cùm volueris agam contra Pazzium de illis.

PAZZIUS. Neque non ero ego promptissimus defendendæ veritatis earum contra te, mi Rocchi: mihique longa esset, si ultra quàm in crastinum differretur hæc concertatio, cui, si videbitur, dabitur initium apud me, apud quem oro vos, Domini mei, convenire sub horam prandii, : hanc mihi, ut confido, benevolentiam indulgebitis. Interim valete.

PHILALETHES. Hoc à te benevolentiæ signum accipiemus. Vale interim.

ROCCHIUS. Vale plurimum: habebis nos apud te, vitâ comite, affulgente meridie.



DIALOGUS SEXTUS.

QUAM MALE SENTIANT Aristotelici de formis accidentalibus generatim.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

I. Societas cœnæ fuit olim charior Philosophis.

PHILALETHES. Vide, Domine Pazzi, quàm familiariter tecum egimus; schedulam hoc mane misimus, qua rogavimus ut prandium, quod parari jusseras, commutares in cœnam: fuitque occasio id rogandi negotium, quod erat commune mihi, & Rocchio; neque nisi ante paucula momenta perfici potuit.

PAZZIUS. Sic cum amico agere debuistis: quid hîc mali? nisi quod distulistis voluptatem convivandi vobiscum; sed cujus dilationis damnum per faciliora cœnandi otia compensabo.

ROCCHIUS. Erit etiam, Domine Pazzi, cœna hæc conditioni nostræ hinc oportunior, quòd olim apud Philosophos in charioribus deliciis fuerit societas cœnæ: hinc apud Athæneum non aliorum, quàm Dipnosophistarum fit mentio.

PAZZIUS. Hinc etiam conditioni nostræ oportunius tibi videbitur, quod apud me decrevi, ut hoc ipsum musæum pro cœnaculo habeamus.

II. Philosophi cœnabant olim in musæis.

ROCCHIUS. Ne jocari putes, mi Pazzi; fuit etiam is mos antiquus apud Philosophos, ut in musæis cœnarent; sed qui postmodùm ita versus in fastum fuit, ut conquereretur

quæreretur Seneca homines esse, *quibus libri non studiorum instrumenta, sed cænationum ornamenta* essent; quibus *non in studium* essent, *sed in spectaculum*. At de te omnino alius sermo erit, mi Pazzi, qui nec multam librorum turbam habes, ut video; nec alios, ut conjicio, quàm quibus perpetuò insudes atque impalleas.

De tranq. animi c. 9.

PHILALETHES. Nihil hîc non lectum est, mi Pazzi, totum legisti, ac selegisti: sed quæ sunt, si placet, duo hæc volumina, quæ è superiori loco micant præ cæteris sub ostro & auro?

PAZZIUS. Dicat id Rocchius, qui subridet.

ROCCHIUS. Dicam & jurarem, si opus foret, Gennarum esse atque Palancum. Ita ne?

PAZZIUS. Ita plane; neque non fatebor sine rubore, quòd si opis meæ perinde ac voluntatis fuisset, libros illos, mihi tam caros, laminis aureis obtexissem. Miror ac veneror in libris illis duos Aristotelismi Heroas, quibus hac una saltem via, qua potui, significare volui quanto in pretio sit apud me illorum generositas ac doctrina. Exigui ausûs minimique laboris res olim erat scribere pro Aristotelicis placitis, quando ad aliquid suadendum satis erat vel levissime insinuare Aristotelem sic sensisse. At fuit tempus illud: aliter hodie vivitur, & sævit fere ubique ardens conjuratio in Aristotelismum: ruinam illius pertimuit in Italia Gennarus: illam in Hispania pertimescit Palancus: & ecce duo viri, qui uni facto impetu conjuratores invadunt, ut illos disperdant; qui uni conantur contra ictum fluminis abripientis opiniones Aristotelicas in oblivionem atque contemptum: qui uni contra omnes Atomistas pugnant. An alii, quàm hi duo Heroes mei tentare id potuerunt.

III. Nunc est arduum scribere pro Aristotele plus, quàm antè.

ROCCHIUS. Laudo tecum Heroas tuos, mi Pazzi; sed de illo heroïsmo non agitur: non agitur an generose in palæstram descenderint, sed an feliciter; an ut pro veritate,

vel contra veritatem pugnarent. Agitur [hac horâ an omisso Gennaro Palancus demonstrare potuerit formas generatim omnes accidentales, de quibus Philalethes heri disposuit, ut hodie loqueremur: an tueri potuerit à vi & robore argumentorum, quibus Atomistæ illas impugnant.

IV. Proponuntur duo tractanda.

PHILALETHES. Ordo equidem doctrinæ postulare id videbatur, ut inter vos anticipate ageretur de universali notione illarum: quâ disputatione præmissâ duo adhuc sunt, quæ vobis suggeram hic disputanda: *primum* pertinebit ad illarum generationem; & *secundum* ad multitudinem: quod utrumque simul propono, ob id præsertim quòd scio Atomistas illarum generationi opponere multitudinem nimiam, quæ generari deberet, & generari non potest.

V. Affertur in gratiam formæ substantialis Conc. Constantinopolitanum quartum.

PAZZIUS. Inhærebimus, ut solemus, ordini quem proponis; sed permitte ut in gratiam formæ substantialis, quæ formarum omnium accidentalium fons & origo est, proponam Rocchio nostro authoritatem, quæ gravissimi ponderis est apud Palancum, nec heri à me nisi per oblivionem omissa est. Hæc authoritas petitur ex octavo Concilio generali, quod est Constantinopolitanum quartum, ubi pro fidei dogmate definitur unicam in homine animam esse, ac proinde unicam formam substantialem esse, quæ est anima rationalis. Hæc autem decisio favet omnino Thomistis, qui animæ rationali tribuunt quidquid homo habet non solùm intellectionis, sed etiam sensationis atque vegetationis, propterea quòd sit, ut intellectiva formaliter, ita sensitiva & vegetativa eminenter. At Atomistis è contra valde adversatur, quatenus formam in corpore humano aliquam ponunt, nescio quam; sed quæcunque tandem sit, distinctam ab anima rationali: sicque admittunt in homine formas duas, sive animas duas, quarum una generatim esset anima hominis, alia verò esset speciatim anima corporis.

Rocchius. Ego verò, mi Pazzi, apud me reputabam omisisse te de industria illam authoritatem, quam utique intellexisses nec cominus, nec eminus tangere Atomistas. Hæc, ut parcam labori tuæ relationis, verba sunt præfati Concilii act. 9. can. 11. *Veteri & novo testamento unam animam rationabilem & intellectualem habere hominem docente, & omnibus deiloquis patribus & magistris Ecclesiæ eandem opinionem asseverantibus, in tantum impietatis quidam malorum inventionibus dantes operam devenerunt, ut duas eum habere animas impudenter dogmatizare, & quibusdam irrationabilibus conatibus per sapientiam, quæ stulta facta est, propriam hæresim confirmare pertentent, &c.* Ac tum omnes, qui id aut simile quid sentiunt, tremendo anathemate feriuntur. VI. Referuntur verba Concilii.

Jam verò ut illico videas Atomistas tali anathemate non feriri, scias illos non agnoscere in homine nisi animam & corpus, tum in corpore non agnoscere nisi omnes ac singulas partes, quæ illud componunt & formant eo modo, quo videmus illud compositum & formatum: ac deinde omnes hujusmodi partes acceptas præcise prout illud componunt & formant, vocant *materiam* corporis: omnium verò illarum partium modificationem totalem, quæ procedit à partibus ita modificatis, ita ordinatis, ita conjunctis, ita compactis, ita emollitis, ita firmis, ita fluentibus, &c. vocant *formam*: sed quam aiunt, ut res habet, nullius entitatis esse distinctæ ab ea, quæ est omnium prædictarum partium eo modo, quo dixi, se se invicem modificantium. Venio jam ad te, mi Pazzi: & quæro an id de duabus animabus, quod hæreticum declaratur à Concilio, intelligi debeat de duabus animabus distinctis à corpore, aut indistinctis. VII. Ostenditur illud non tangere Atomistas.

Pazzius. Utique de distinctis tam à corpore, quàm à se invicem: nam si distinctæ non sunt, duæ non sunt.

Rocchius. Igitur, mi Pazzi, causa finita est:

ecce in corpore humano nullam nisi animam rationalem, seu intellectivam ab illo distinctam admittimus.

PAZZIUS. Sed neque sic, mi Rocchi, nisi forte in speciem causa finita est: nam juxta vestra principia, quæ novi, vita corporis non est ab anima rationali: igitur est alia quædam anima, quæ vivificat corpus: & ita reciditis in opinionem à Concilio damnatam de duabus animabus in homine.

VIII. Qualiter vita corporis pendet ab anima. ROCCHIUS. Si nostra principia nosti, mi Pazzi, nosti utique aliqua esse, in quibus vita corporis ab anima rationali pendet, & alia esse in quibus non pendet. Pendet ab illa in iis motibus, quid ad illius imperium exercentur, uti quòd oculos huc aut illuc convertamus, quòd vocem attollamus, quòd manum contrahamus, quòd pedem promoveamus, &c. Sed non pendet ab illa in motibus cæteris, qui non modò fiunt non imperante illâ, sed perinde fiunt invitâ illâ & renitente: uti sunt omnes motus vegetationis, aliique plurimi ex sola corporis structura pendentes: erubescimus, pallemus, tremimus, oscitamus, esurimus, sitimus, etiamque inviti: quod signum est hæc & similia vitæ corporalis officia non spectare ad animam, quæ revera ignorat qualiter possint compleri, aut impediri.

IX. Et qualiter non pendet. Tales itaque motus, quos anima non imperat, & quos frustra imperaret fieri aut non fieri, revocamus ad perfectam totius corporis taliter organici, taliter temperati modificationem, quæ per se vitalis est, vivifica est, atque in hoc sensu anima est; sed utique, ut aiebam, anima est, quæ realem entitatem nullam corpori superaddit: & ita nullum habere hîc locum potest decisio illa Conciliaris, quæ sub anathematis pœna vetat admittere in homine duas animas, scilicet tam ab animato corpore distinctas, quàm abs se invicem. Sed forsan posset decisio illa ferire plures extra sectam thomisticam Aristotelicos, quibus

visum est posse admitti animam sensitivam in corpore humano, qualem admittunt in brutis, licet subordinatam animæ rationali: siquidem anima illa sensitiva vere juxta ipsos superadditur corpori: atque hoc modo essent in homine animæ realiter duæ: quamquam vix puto Concilium ad hanc disputationem mere philosophicam attendisse.

PHILALETHES. Tecum id puto, mi Rocchi: & in hoc opinione sum cum viris peritissimis non paucis, quos audivi aut legi, Concilium extinguere voluisse ultimum manichæismi fomitem adhuc vigentis in hac hæretica de duabus animabus in homine sententia: de duabus utique animabus rationabilibus & intellectivis, quarum una esset alteri infensa, una in malum propendens, in bonum altera; & eapropter inter se perpetuò contrariis atque pugnantibus. Neque ad id ita censendum opus est, nisi attendere ad verba ipsa Concilii, quod postquam affirmavit non esse nisi animam unam rationabilem & intellectualem in homine, juxta sacram scripturam & sanctos Patres, addit nihilominus esse aliquos, qui ausi sunt, dogmatizando impudenter, asserere duas animas esse in homine; id est, duas animas rationabiles & intellectuales: atque in hoc sensu Concilium declarat hanc dualitatem animarum esse hæreticam; quia illa unitas isti dualitati opposita, est de fide, siquidem contenta in sacris paginis & à sanctis Patribus asseverata. X. Qualiter intelligi debeat Concilium.

Et revera quando aliquid de fide est, id tantum quod tali articulo fidei contradicit, hæresis est: quid autem unitati animæ rationabilis & intellectualis in homine contradicit, nisi pluralitas talium animarum in homine? ac proinde contra præfatam decisionem non peccarent qui præter animam rationalem ponerent in homine aliam materialem illi subordinatam & ab illa pariter atque à corpore distinctam: Quantò itaque minùs, si fortè illi peccarent, peccant Atomistæ, quando non aliam materialem ag- XI. Posset admitti anima materialis subordinata.

cunt quàm indistinctam, & proinde nihil commune habentem cum dualitate animarum à Concilio damnata. Hinc suadeo vobis, Domini mei, ut non diutiùs hæreatis in examine hujusce authoritatis Conciliaris quæ, ut opinor, neque Aristotelicis favet, neque Atomistis nocet, utpote nunquam destinata ad inferendam sive illis gratiam, sive istis injuriam.

ROCCHIUS. Imo Aristotelicis plurimùm nocet, Domine Philalethes; Atomistis autem favet mirum in modum.

PAZZIUS. Audiam id à te curiose, mi Rocchi.

XII. Qualiter ad vitam non opus est anima distincta.

ROCCHIUS. Mihi te audire id curiose non satis est, mi Pazzi: vellem ut id fructuose audires, ac tandem pateteris te convinci, quomodò nec in corporibus inorganicis, nec etiam in organicis opus sit forma ulla illis entitative superaddita. Ecce enim in corpore humano, prout tu interpretaris, nulla est anima materialis; & sine illa nihilominus vita corporalis in eo est: quare vita hæc non erit pariter in brutis sine anima sensitiva, & in arboribus sine anima vegetativa?

PAZZIUS. Disparitas est; quatenus, ut pluries dixi, anima rationalis exercet in corpore nostro officia animæ sensitivæ ac vegetativæ.

ROCCHIUS. Sed hæc disparitas falsa est; quamvis illam millies attulisses; nam ut experientia constat, plurimi fiunt in nobis corporales motus, qui non modò non fiunt ab anima rationali, sed etiam fiunt invitâ illâ & renitente: atque hi quidem motus spectant & ad vegetationem & ad sensationem. Unde recte infertur quòd si possunt motus corporales ad vegetationem & ad sensationem spectantes in nostro corpore fieri absque anima corporali supperaddita corpori, poterunt similiter in brutis fieri & in arboribus sine anima illis respective superaddita: quare, ut aiebam, decisio præfati Concilii Aristotelicos ferit, istas non tangit, aut potiùs juvat.

PHILALETHES. Rogo iterum, Domini mei, finite loqui de Concilio, cujus authoritas, jam nimis agitata; nihil mihi videtur habere commune cum hac vestra concertatione de formis substantialibus, & de quibus jam satis sit concertatum. Agite jam de formis accidentalibus; atque ut ordine, quem supra institui, procedatur, tuum sit, mi Pazzi, claram & evidentem aliquam notionem nobis afferre ac generalem formarum accidentalium, quas Aristotelici tuentur ex suis respectivè subjectis genitas & ab illis entitativè distinctas. XIII. Quæritur notio accidentis materialis in communi.

PAZZIUS. Non possum tuæ voluntati, Domine Philalethes, parere meliùs, quàm afferendo ex Palanco meo verba sequentia. Hic itaque Scriptor post præmissa non pauca circa rationem etymologicam vocis hujus *substantia*, ita loquitur. *Sed quidquid sit de vocis etymologia, omnes Peripatetici nomine* substantiæ *ens per se & in se existens semper significamus; quod ad æquivocationes, vitandas frequenter in antepradicamentis advertimus: sicuti quòd nomine* accidentis *ens inhærens, seu entis ens significamus, quod nempe natura & essentia sua ineptum sit ad existere in se & per se, tantummodoque natura sua aptum natum inexistere, seu inhærere alteri tanquam entis ens.* Habetis hìc, Domini mei, notionem, qua clarior esse nulla possit, duorum hujusce modi entium, dividentium ens in communi, quorum unum vocamus *substantiam*, & alterum *accidens*. Sed quia Palanco res erat cum Atomista nesciente mysteria peripatetica, subjungit amplam hujus utriusque notionis expositionem eò tendentem, ut moneat non esse nihilominus de essentia substantiæ quòd existat in se ac per se, sed tantùm quòd sit apta nata sic existere: uti similiter non est de essentia accidentis, quòd existat in alio tanquam in subjecto, sed tantùm quòd sit aptum natum sic inexistere. Verba ejus hæc sunt, *Ac proinde esse actualiter per se non est essentia substantiæ; sed ejus essentia so-*

Dial. 51. n. 442.

Ibid. n. 443.

lùm est, quòd sit ens aptum natum esse, seu existere per se: & similiter essentia accidentis non est actu esse, seu existere in alio tanquam in subjecto; sed tantummodo esse aptum natum esse, seu existere in alio tanquam in subjecto. Et hujus veritatis rationem profundissimam adjicit eductam ex eo, quòd illud ens, quod dividitur in substantiam & accidens, non sit ens per essentiam, sed ens per participationem: unde patet neque actualitatem existendi per se essentialem esse substantiæ; neque actualitatem existendi in alio essentialem esse accidenti. *Vide igitur*, mi Rocchi, (verba sunt Palanci Atomistam suum alloquentis) *an contra id ipsum, quod significamus, & nos significare tam clare advertimus, aliquid habeas opponendum.*

XIV. Contradicitur præmissæ notioni.

ROCCHIUS. Oppono in hac utraque vestra notione tam clara *substantiæ* & *accidentis* esse nihil, nisi tenebras valde palpabiles, quas etiam tu ipse palpabis, ut confido, mi Pazzi, si me audieris. Substantia, ut ais, est *ens in se*, sed non essentialiter: est igitur ens in se accidentaliter. Ac deinde, accidens est *ens in alio*, sed non essentialiter: est igitur ens in alio accidentaliter. Qua via substantia & est ens in se, & non est ens in se: sic accidens & est ens in alio & non est ens in alio: quatenus substantia quidem est indifferens ad esse per se & ad non esse per se; similiter accidens est indifferens ad esse in alio, & ad non esse in alio. Palpa tenebras.

PAZZIUS. Non palpo; neque tu palpares, si adverteres quod dixi substantiam non equidem esse essentialiter *ens in se*; sed esse aptam natam ad esse in se: ac tum similiter accidens non equidem essentialiter esse *ens in alio*, sed esse aptum natum ad esse in alio. An per talem aptitudinem non satis patent notiones substantiæ & accidentis?

XV. Substantia & accidens se haberent

ROCCHIUS. Utique non satis. Etenim substantia nunquam posset esse in alio, nisi aptitudinem haberet ad esse in alio: similiter accidens nunquam posset esse in se, & ad

& ad esse in alio : accidens est aptum ad esse in alio & ad esse in se : sicque substantia & accidens haberent nativam ad utrumque statum indifferentiam. Non conveniunt, mi Pazzi, pares caligines notionibus rerum, pares indifferentiæ ad esse aut hoc aut illud. Quando apud Philosophos quæritur quid sit aliquid, quæritur certe quid sit invariabiliter : at in notionibus quas profertis, nihil è contra nisi variabile profertis, dum dicitis substantiam ita esse *ens in se*, ut esse possit *ens in alio* : & accidens ita esse *ens in alio*, ut esse possit *ens in se*. Quid diceres, amice, si Mathematicus interrogatus de notione trianguli & quadranguli responderet illud quidem tribus lineis tribusque angulis, istud verò lineis quatuor, quatuor angulis constare: ac tum adderet id quidem aptitudinaliter ita esse, sed essentialiter ita non esse, triangulo valente in quadrangulum, & quadrangulo in triangulum commutari : ita quod posset aliquando triangulum lineas quatuor & angulos quatuor habere ; & quadrangulum pariter non habere nisi tres lineas, & tres angulos. An non diceres illum nihil nisi tenebras respondere ? indifferenter ad suum esse.

XVI. Substantia posset esse accidens, & accidens substantia.

Atqui vos interrogati de notionibus substantiæ & accidentis simile quid respondetis, dum ita respondetis, ut inferre liceat substantiam posse accidens esse, & accidens esse substantiam posse, quia potest accidens in se esse, ut potest substantia in alio esse. Sed volo adhuc palpandas tibi dare tenebras crassiores. Quid obscurius, quàm quòd accidens vocatis *entis ens*, id est, ens entis, quod est per se atque in se existens, sive quod est *substantia*; hoc enim nomine abstracto vocatis ens per se subsistens ac substans cæteris ; sed de nomine non sit quæstio. Ad rem venio & rogo an accidens sit aliquid illius entis, cujus dicitur ens ? vel an sit nihil illius ? si est aliquid illius, erit pars illius, atque ita erit pars substantiæ, sive pars substantialis : si verò nihil est illius, cur dicitur ens illius ?

PAZZIUS. Bene suspicabar, mi Rocchi, te unum in culpa esse tenebrarum, quas objicis; nec alio titulo, quàm quòd crasse accipis voces nostras, accipiendo videlicet τὸ *entis ens*, veluti pro parte entis, cujus dicitur ens. Ens quod in alio est, & inhæret illi, est accidens illius, & in hoc tantùm sensu est ens illius. Vide sensum, in quo accidens dicitur *ens entis*: & cessabunt tenebræ tuæ.

XVII. Aliud est esse in alio, & aliud esse ens illius. ROCCHIUS. Auget è contra illas sensus iste quem profers. Nam anima rationalis est in corpore humano & inhæret illi; neque tamen est ens corporis: neque unum ex istis accidentibus, de quibus sermo est: atque ita non sufficit ad esse *ens entis*, esse in alio & inhærere illi: quare saltem valde tenebrosa est illa notio *accidentis* expressa per id quod est esse *ens entis*. Sed insuper, quòd aliquid sit in alio & inhæreat illi, hoc non sufficit ad hoc quòd sit aliquid illius, multòque minùs ut nominetur ens illius: & ratio est, quia conjunctio quantumvis intima & penetrativa duarum rerum, nunquam efficere potest ut una evadat alia, aut evadat aliquid de alia: atque ita omnino chimæricum est sub quocunque pretextu cujusvis inhæsionis aut penetrationis ens, quod sit ens alterius entis; & ita chimæricum omnino est accidens, cujus non alia notio est, quàm quòd sit *ens entis*. Nisi quòd tale ens, quod vocaris *ens entis* vel pertinet ad constitutionem intrinsecam illius entis, cujus dicitur ens; vel tantùm ad aliquam constitutionem extrinsecam. Si *primum*, est vera quædam pars constitutiva illius entis: in quo sensu vestrum acccidens esset aliqua pars constitutiva substantiæ: si *secundum*, non est pars illius, nihil est illius, licet inhæreat illi: at ens quod inhæret alteri est in se aliquid, & per illud aliquid non inhæret: nam hoc aliquid inhæsioni præsupponitur: atque ita non bene explicatur quid sit accidens in se, per hoc quòd dicitur accidens esse inhærens, esse in alio, esse ens entis: siquidem hæc omnia consequuntur ad id

quod est esse in se ipso tale aut tale ens.

Quæ omnia probant nullum esse, aut esse posse tale quoddam ens, quod nihil aliud sit quàm *ens entis* : & ita substantiam & accidens non esse duo genera entium, sive duo entia generatim, sed esse tantummodò duos respectus unius entis, quod sub uno quidem respectu vocabitur *substantia*, sive potius *ens subsistens*, *ens subjectans*, & sub alio, *ens insubsistens*, *ens subjectatum*, ac tandem *accidens*, imo *ens entis*, scilicet respective; sed non absolute : nam absolute omnino implicat aliquod ens esse ens alterius entis. Et videte, Domini mei, pejorem adhuc contradictionem in hoc quòd Aristotelici putant substantiam & accidens esse duo entium genera in se ipsis absolute diversa; nam fatentur substantiam subsistere posse in alio, & accidens posse subsistere in se ipso divinitus : hoc autem an non est fateri substantiam, quæ est quoddam ens absolute, posse fieri aliud absolute, id est, posse fieri accidens : & similiter an hoc non est fateri accidens, quod est quoddam ens absolute, posse fieri aliud absolute, id est, posse fieri substantiam ? sicne rerum naturæ mutantur : sicne faciendæ sunt exceptiones in naturis rerum, propter quas aliquid possit fieri aliud ? sicne pro philosophicis haberi possunt notiones illæ substantiæ & accidentis, per quas permittitur & substantiæ esse aliquando in alio, & accidenti esse aliquando in se ?

XVIII. Nullum ens potest esse ens alterius entis.

PHILALETHES. Non advertis, mi Rocchi, quia nimis ardenter loqueris, te his postremis verbis repetere quæ ab initio aiebas contra notiones istas substantiæ & accidentis, in quibus non ferebas sive indifferentiam illam substantiæ ad esse aliquando in alio, sive indifferentiam illam accidentis ad esse aliquando in se. Sed nihilominus Aristotelici valde prudenter hanc indifferentiam in illis involvunt, quia sine illa non possent exponere aliqua fidei nostræ mysteria : neque id te latet. Ecce in Christo

XIX. Quæ sint exceptiones in notionibus substantiæ & accidentis.

non est nisi una persona, & proinde nisi una subsistentia: hinc humanitatem necesse est subsistere, non in se, sed in persona Verbi divini: habes hîc casum, in quo substantia non subsistit in se, & quem propterea debuerunt excipere in notione generali substantiæ. Rursus in Sacramento Eucharistico mutatur substantia panis per vim consecrationis in substantiam corporis Christi: accidentia verò panis non mutantur, sed manent eadem quæ erant: manent igitur sine subjecto: ac proinde jam non in alio existunt, sed in se ipsis. Habes hîc alium casum, in quo accidens non in alio subsistit, sed in se; & quem proinde debuerunt excipere in notione generali accidentis. An non, mi Pazzi, eras id totum dicturus?

XX. Quare illæ exceptiones fiant ab Aristotelicis.

PAZZIUS. Id plane totum eram dicturus, Domine Philalethes, & additurus hunc morem esse tenendum Philosophis Christianis, ut caveant ne in principiis philosophicis, quibus adhærent, aliquid sit quod non sit ad expositionem fidei oportunum: ubi autem tale aliquid in iis viderint, debent ad accomodandas fidei suorum principiorum notiones, istas temperare per exceptiones fidei convenientes. Atque hoc ipsum est, quod ab Aristotelicis Christianis actum est, quando in notiones substantiæ & accidentis induxerunt exceptionem, de qua sermo est, & quæ mirum in modum commoda est pro exponenda fide Incarnationis & Eucharistiæ. Neque jam dubito, mi Rocchi, quin probes exceptiones, quas in notionibus substantiæ & accidentis posuimus.

ROCCHIUS. Illas nunc valde minùs probo quàm ante; quia nunc audio illas arbitrarias fuisse, nec adinventas, nisi ob subsequentem necessitatem exponendi aliquatenus fidem, quæ cum solitis & antiquis notionibus substantiæ & accidentis apud Aristotelicos receptis pugnabat. Itaque Aristotelici Catholici viderunt notiones illas antiquas Aristotelicas substantiæ & accidentis, quales sunt

essendi in se, & *essendi in alio* conciliari cum fide nostra non posse: quid egerunt? confuderunt illas per excogitatam exceptionem, qua dicunt substantiæ quidem nativam exigentiam hanc esse, quòd sit in se, esse tamen in alio posse: & similiter hanc esse quidem exigentiam accidentis nativam, quòd sit in alio, esse tamen in se ipso posse, quod omnino arbitrarie dicitur, quia non possunt naturæ rerum esse in hunc modum indifferentes.

Quapropter ob id quòd notiones illæ antiquæ Aristotelicæ non concordarent cum fide sine addita exceptione, debuerunt illas habere pro erroneis, & oportuniores fidei alias excogitare. Debuerunt avertere se ab illo falso præjudicio quo laborant, affirmantes substantiam & accidens esse duo genera entium, quando nihilominus non sunt, nisi genera duo respectuum. Quid autem hinc sequitur, nisi omnino ridendum esse quidquid deinceps Aristotelici agitant circa modum productionis talium accidentium suis respective substantiis inhærentium & ab illis realiter distinctorum? Quærunt cum gravi cura & studio unde sint quæ nusquam sunt, & quomodo fiant quæ nunquam fiunt: videor mihi videre homines, qui supponentes esse in scirpis nodos & in ovis pilos, certarent acriter circa modum, quo illi nodi ex scirpis, & illi pili ex ovis enascuntur: neque ridere non possum id genus homines.

XXI. Potiùs non debuerunt amplecti notiones præmissas.

P A Z Z I U S. Ride illos, mi Rocchi, quantùm volueris; sed scias rideri Aristotelicos pariter non debere; neque enim, ut falsò putas, agitant falsam hypothesim accidentium. Ista entium genera probamus ac demonstramus: ac tum pertractamus modum productionis eorum ex suis respective substantiis, & eorum ab illis realem distinctionem inferimus.

R O C C H I U S. Continebo illico risum omnem, mi Pazzi, si ex omnibus illis vestris demonstrationibus unam attuleris, quæ vel levissimam umbram alicujus verisimilitudinis habeat.

XXII. Res est indemonstrabilis.

PAZZIUS. Hanc ex omnibus accipe contentam his verbis, quibus Palancus rationem profundam & altam reddit divisionis præmissæ entis in substantiam & accidens tanquam in duo genera entium realiter ab invicem diversorum. *Ratio profunda*, inquit, *altaque hujus divisionis ea*
Dial. 51. n. 450. *est, quia præfata divisio est divisio entis creati, seu entis per participationem talis: hujusmodi autem ens essentialiter est potentiale, perfectibile, alterabile, & mutabile intrinsece. Cùm autem ens per se existens non possit intrinsece mutari, perfici vel actuari ab ente per se etiam existente, sed solummodo ab aliqua actualitate, affectione, vel modo essendi adjectitio enti per se existenti, inde* (pondera, mi Rocchi, vim consequentiæ) *consequitur evidenter quod ens reale, tale per participationem debuit dividi prima & generali sui divisione in ens per se & simpliciter tale, & in additamentum, affectionem seu actualitatem, vel modum essendi illi essentialiter adjectitium.*

XXIII. Ad quid tendat demonstratio præsumpta.

ROCCHIUS. Parce, oro, lectioni ulteriori: legi ac perpendi non semel cætera, eò tantùm tendentia, ut ostendatur nullum ens creatum esse actum purum, & ideo nullum esse, quod ab intrinseco non possit perfici: perfici autem ab ente per se existente non posse, atque ita superesse ut perfici tantùm sic possit per ens non existens per se: sive per ens insubsistens, per ens inhærens: hujusmodi autem entia insubsistentia, & inhærentia esse accidentia illa, de quibus certatur. An hîc aliud quid probare Palancus voluit?

PAZZIUS. Aliud nihil: & hoc sufficit, si conceditur, quod infertur.

XXIV. Gratis supponuntur substantiæ perfectibiles

ROCCHIUS. Sed, mi bone Pazzi, non sic conceditur quod infertur, quando non probatur id, unde infertur. Palancus ut probet dari accidentia, supponit substantias creatas atque ideo perfectibiles, perfici ab intrinseco posse; sed sic perfici ab intrinseco posse non probat: hoc

mere ſupponit: & hoc idem eſt ac ſupponere in ſcirpis nodos, aut in ovis pilos. Nam natura cujuſlibet rei eſt quidquid intriuſecum illi eſt, ſi vere intrinſecum eſt: quia verò naturæ rerum nunquam mutantur, hinc ſequitur res omnes tam nihil intrinſecum poſſe acquirere, quàm nihil intrinſecum poſſunt amittere, quod, ut aiebam, ſit vere intrinſecum. Corpus intra ſe ac penetrative recipit animam, ſed eapropter non mutatur intrinſece: nihil vere intrinſecum amittit, nihil verè intrinſecum acquirit: ſed acquirit vitam, inquies; hæc vita nihil eſt de corporis conſtitutione intrinſeca: corpus idem & intrinſece idem eſſet, licet non viveret: vita hæc extranea illi eſt, nec eapropter corpus non erit, quando non vivet: equidem quando non vivet, non movebitur vitaliter; ſed corpus erit in ſe idem quod erat antequam viveret. Hinc igitur ſatis ruit quidquid infertur pro accidentibus admittendis, ſi ad aliud nihil admittuntur, quàm ad perficiendas ſubſtantias creatas intrinſece, ſi capaces ipſæ non ſunt, uti revera non ſunt, admittendæ ullius intrinſecæ perfectionis, poſt acceptam à Deo Creatore ſuam omnem, quam habent perfectionem intrinſecam.

XXV. Cur præſertim ſubſtantiæ illæ non poſſint perfici.

Et certe condonandi forſan eſſent Ariſtotelici, quando aiunt ſubſtantias poſſe intrinſece perfici per accidentia, ſi accidentia naſcerentur aliunde, quàm ex ſubſtantiis; & rurſus ſi nobiliora eſſent ſubſtantiis, ad modum quo anima noſtra prodit aliunde quàm ex corpore, ſuaque dignitate præcellit corpori: quamquam neque id ſufficeret, ut ante dixi. Sed condonandi non ſunt, quando non poſſunt non fateri, ſi cohærenter loquuntur ac ſentiunt, accidentia, ſi quam perfectionem habent, ex ſubſtantiis accepiſſe: nec illam ex ſubſtantiis potuiſſe accipere, ſi non illam ſubſtantiæ præhaberent. Si accidentia generantur ex ſubſtantiis, prodeunt ex illis ut quid diſtinctum ab illis, & ideo ut quid extraneum illis, ut quid imperfectius

illis: an & quomodo intrinsece illas perficient? Dicerem potiùs substantias perficere se ipsas per accidentia ex ipsis genita: sed perficere nihil se ipsum potest per se ipsum: quantò minùs perficere se ipsum poterit aliter quàm per se ipsum? Non igitur accidentia perficiunt intrinsece substantias.

XXVI. Creatura foret immutabilis.

PAZZIUS. Non possum, mi Rocchi, hanc consequentiam ferre, quæ per se habet hanc alteram, videlicet omnem substantiam creatam perinde ac divinam fore sibi suam ultimam actualitatem, ac proinde fore immutabiliter & essentialiter totum id quod est: ita quòd sicuti Deus est *suum esse*, *suum agere*, *sua sapientia*. *sua bonitas*, *&c.* ita homo esset *sua virtus*, *sua potentia*, *sua magnitudo*, *sua actio*, *&c.* scilicet per immutabilitatem, per invariabilitatem, per identitatem, per essentiam similem. Quare si hæc posterior consequentia falsa est, ut equidem falsa est, quomodo falsa non est illa prior, quam intulisti? & rursus quomodo falsæ non sunt tot conglomeratæ præmissæ, unde confidebas illam posse inferri?

Ibid. n. 452.

XXVII. Quæ sit immutabilitas Dei & creaturæ.

ROCCHIUS. Consequentiam meam bene intuli; sed tuam ex mea male intulisti: nam immutabilitas intrinseca Dei est omnino alia, quàm immutabilitas intrinseca rei creatæ. Illa est absoluta & essentialis, propter quàm Deus ita est totum id quod est, ut nullius adventitii status mutationi subjaceat: habet Deus essentialiter suum esse à se, & suum omnem statum à se, nec proinde capax est ullius novi statûs realis, ullius novæ perfectionis, ullius novæ modificationis realis advenientis. Ista verò immutabilitas est tantùm participata & secundùm quid, propter quam res creata neque suum esse, neque suum omnem essendi statum habet à se, sed à Deo: hinc omnino potest non esse: hinc etiam omnino potest non esse in hoc aut in illo statu; sed tum in quocunque statu adventitio sit, intrinsece manet eadem, nec eadem semper non erit, quandiu erit. Atque ita quando & quoties

ties mutatur, non aliter mutatur quàm extrinsece per varias variorum statuum plus minusve perfectorum modificationes: Deus autem, ut aiebam, nullis id genus essendi modificationibus est obnoxius: quapropter omnino aliter Deus est suum esse, & homo est suum esse: aliter Deus est suum agere, aliter homo est suum agere, &c.

XXVIII. Opponitur prædicatio perfectionū divinarum de Deo.

PAZZIUS. Sed, mi Rocchi, si perfectiones divinæ non adveniunt Deo, & perfectiones hominis adveniunt homini, an non signum est illas cum Deo identificari realiter, & istas cum homine non identificari realiter? Et hoc signum hinc evidentius est, quòd perfectiones divinæ apud Sanctos Patres & apud Theologos passim prædicantur de Deo in abstracto; uti dicendo quòd *Deus sit sapientia sua, quòd sit justitia sua, &c.* At perfectiones humanæ non aliter quàm in concreto prædicari de homine possunt, uti dicendo, *homo est sapiens, homo est justus, &c.* Potestne hic tam diversus loquendi modus aliunde procedere, quàm ex identitate reali perfectionum divinarum cum Deo, & ex distinctione reali perfectionū humanarū ab homine?

PHILALETHES. Atque hîc quidem tu, mi Pazzi, tangis difficultatem, cujus idonea solutio, si fortè illam Rocchius afferre potest, differri debet, donec præmiserit notionem accidentis atomisticam in alium dialogum transferendam: quare ne ab ordine hodierni dialogi pacto atque convento discedatur, agite de producibilitate accidentium Aristotelicorum ac de modo productionis eorum: & agite quidem præsertim de accidentibus materialibus, de quibus magis ex professo sermo est institutus, ac tu quidem, mi Pazzi, aggredere originem accidentium, dic causam atque modum originis.

XXIX. Aristotelici supponunt productiones accidentium.

PAZZIUS. Noli, Domine Philalethes, pertrahere me in tot ambages, tamque superfluas: nostri moris est productiones utrorumque id genus accidentium supponere, ac de modo productionis eorum tacere; si apud nos mo-

dus ille requireretur, hæc requisitio notam subiret nimiæ curiositatis, aut scrupuli otiosi. Quid evidentius est, quàm hominem fieri doctum, fieri justum, &c.? quid evidentius est, quàm aërem ad conspectum Solis fieri lucidum, & lignum ad præsentiam ignis fieri calidum, & ita de cæteris? Unde postmodum non curamus probare accidentia sive spiritualia, sive materialia, quæ tam evidens est in suis respective subjectis produci, aliàs non futura in illis, quia de novo in illis sunt; neque sic de novo esse in illis aliquid potest, si non de novo productum est. Quantùm autem ad modum talis productionis, ecce tam derepente, tam subtilier, tam occulte, & ideo tam incomprehensibiliter accidentia fere illa omnia producuntur, ut in eo modo indagando nemo nostrûm male tempus terat: tantùm pro illo utcunque declarando dicimus accidentia produci & fieri oriendo è suis subjectis, resultando, emanando, pullulando, &c. quibus & similibus vocibus designatur facilitas atque pernicitas productionis eorum. Quare si, ut rogabam, annuis, optime Philalethes, non detinebo te in his minutiis; sed si quid noster Rocchius habet, quo probare possit nullum esse modum, quo produci accidentia possint, id opponat & solvam; sicque multò breviùs nostra lis dirimetur.

XXX. *Nec investigant modum productionis eorum.*

Notate tamen, Domini mei, non omitti à nobis probationes singulorum accidentium, nisi quia pro singulis admittendis sufficiunt rationes, quibus generatim probatur illa esse admittenda: & hujusmodi illæ sunt, quæ supra retuli ex Palanco pro stabiliendis notionibus substantiæ & accidentis. Ac tum similiter si particulatim non inquirimus qualiter accidentia hæc & illa, sive ad spiritualem, sive ad materialem ordinem spectantia, producantur, hoc unum in causa est, quia cùm nihil sint, cujuscunque ordinis sint, nisi formæ accidentales, satis id intelligitur ab exemplo formæ substantialis, de cujus productione, & de cujus

productionis modo fuse ac invicte tractatur. Quin etiam pro quibusdam in particulari accidentibus stabiliendis non desunt nobis particulares demonstrationes, quas afferam, quum inter nos sermo singularis de illis fiet.

ROCCHIUS. Et tunc quoque opponam, mi Pazzi, vestris illis præsumptis demonstrationibus, quod oportebit: interim dic, si placet, an possit aliquid aliter, quàm generatione aut creatione produci; an aliter possit, quàm ex aliquo aut ex nihilo fieri?

PAZZIUS. Præter utrumque hunc productionis modum, alium non novi.

XXXI. Ostenditur improducibilitas accidentium.

ROCCHIUS. Sed neque alius est: & hinc infero nulla esse accidentia spiritualia, nulla esse accidentia materialia, qualia vos admittitis, habentia entitatem realiter distinctam ab illa, quæ est subjectorum respective suorum. Ac primò quidem de spiritualibus sic discurro, de illis nempe spiritualibus, quæ in anima, ut vultis, naturaliter acquiruntur ac deperduntur, & ex his quidem in exemplum assumo doctrinam. Hæc itaque doctrina non est res creata; ad illam enim creandam tam impotens est qui docet, quàm qui docetur: superest igitur ut sit res genita. Sed tum quia res spiritualis est, gigni ex alia re, quàm spirituali non potest: & sic doctrina, de qua sermo est, res est quæ gigni aliunde, quàm ex anima non potest: esset igitur aliquid animæ, quod utique repugnat propter impartibilitatem animæ; atque hinc multò evidentiùs id repugnat pro doctrina v. g. philosophica, quæ coalescit ex innumeris cognitionibus, de quibus siquidem pariter genitis, pariter verificaretur quòd sint aliquid animæ; sicque anima innumeris sui partitionibus subjaceret. Aut si tandem doctrina illa nihil est animæ; si nihil animæ sunt innumeræ illæ cognitiones, per quas ad doctrinam totam pervenitur, quid esse nisi creatio potest tam doctrinæ totius, quàm cognitionum singularum productio? At om-

nis creatio naturaliter impossibilis est: & in hunc modum superest doctrinam non esse rem producibilem.

PAZZIUS. Quid igitur, mi Rocchi, an doctrina non acquiritur ab homine? an illius animæ non inhæret de novo? an inhærere illi de novo potest sine prævia productione? non erat antequam inhæreret; igitur producta fuit ut inhæreret: quid igitur ais, quum ais doctrinam non esse rem producibilem?

XXXII. Doctrina non producitur quando acquiritur.

ROCCHIUS. Aio veritatem, mi Pazzi: quia enim res non potest aliter quàm generatione, aut creatione produci, si doctrina nec creatione, nec generatione produci potest, quare non dicam audacter doctrinam non esse rem producibilem? sed acquiritur, inquis, ab homine, quis negat? inhæret animæ, quis negat? sic acquiruntur, sic inhærent suis subjectis omnes modificationes; sed non ideo realiter producuntur, quia non sunt res habentes seorsim suam entitatem: aliam non habent quàm quæ suorum respective subjectorum est: & idcirco illis non addunt realitatem ullam, licet addant respectum, propter quem aliter, aliterque se habent ad objecta externa: sicque mutantur quidem extrinsece, sed intrinsece non mutantur. Cogita speculum, cui accidit per vices repræsentatio innumerabilium objectorum: an eapropter putas speculum mutari realiter & intrinsece? non utique id putas: quia non eapropter substantia crystalli, aut æris fusi, au cujusvis alterius similis materiæ minuitur vel augetur, deperditur aut restaurarur, &c. finge adhuc spe culum illud cognoscere quidquid hoc modo variabili repræsentat; nec intelliges illud eapropter mutatum iri realiter atque intrinsece: eadem omnino substantia illius perinde maneret, nec aucta, nec imminuta, nec deperdita, nec restaurata, &c. Atqui anima est longe inalterabilior atque immutabilior omni substantia materiali, etiam adamantina; quomodò igitur mutari realiter atque intrinsece posset per objecta externa, quæ repræsentat atque cognoscit?

XXXIII. Anima non

Itaque verte te quocunque volueris, mi Pazzi; nec

unquam intelliges animam habere minùs realitatis propter defectum doctrinæ; neque plus realitatis propter accessum illius: aut si utique animæ realitas entitativa sic augeretur, in infinitum fere augeretur, propter objecta pene infinita, & multiplicissime diversa, quæ per cognitiones similiter pene infinitas atque distinctas attingeret. Quot igitur sunt vel esse possunt simul in anima tot objectorum cognitiones sive actuales, sive habituales, tot essent entitates vere ac realiter productæ, vere omnes à se ipsis & ab anima distinctæ, vere omnes in sinu animæ; qua multitudine sic existente in sinu entis spiritualis atque indivisibilis nihil adinveniri fabulosius posset. Ac tandem multitudo hæc cognitionum quantula est, si conferatur cum multitudine affectuum, quorum anima capax est, & de quibus perinde ac de cognitionibus discurrendum esset circa id, quod est realiter & entitative produci? quare quid hoc esset, quàm in una re indivisibili velle concludere res propemodum infinitas? faciliùs in uno arenæ granulo, ejusdem arenæ grana omnia clauderentur.

habet minùs realitatis ex defectu doctrinæ.

PHILALETHES. Nondum fuit, Domine Rocchi, hæc multitudo accidentium spiritualium opponenda, de qua statueram ut ageretis seorsim: sed neque statueram ut ageretis de illa, nisi postquam à te audissem quid opponas productioni accidentium materialium, præter parem multitudinem, quam non eras prætermissurus: nam scio vos Atomistas ex hac multitudine accidentium incredibili, quæ momentis singulis & per causas occultissimas produci deberet, inferre, vere an falso? improducibilitatem omnium ac singulorum.

XXXIV. Multitudo accidentium producendorum esset infinita.

PAZZIUS. Vere id inferrent, Domine Philalethes, si multitudo hæc haberet aliquid de innumerabilitate illa, quam opponunt: remittam illos suo tempore ad Palancum, à quo docebuntur quàm pauca sint id genus accidentia ordinis spiritualis aut materialis, & jubebuntur de-

lere cætera. Quare nihil accidentibus nostris obfuturum vereor ex multitudine, quæ opponitur; neque sine mora rationes id non verendi afferrem, nisi tecum antè vellem audire quid repugnantis atque impossibilis Rocchio nostro videatur esse in productione accidentium materialium, uti caloris, coloris, figuræ, motus, gravitatis, &c.

XXXV. Tam materialia quàm spiritualia produci non possunt.

ROCCHIUS. De illis, mi Pazzi, non aliter quàm de spiritualibus sentio; neque minùs hæc, quàm illa improducibilia esse affirmo, nempe ob id quòd similiter nec creari, nec gigni possint. Et creari quidem, scilicet ab agentibus naturalibus, non possunt; in confesso enim est apud omnes Philosophos vires omnes Naturæ esse infra potestatem creandi vel unam atomum: sed neque gigni possunt, quatenus si gignerentur, unde nisi ex substantia gignerentur, ex substantia, inquam, aut materiæ, aut formæ substantialis, aut totius compositi ex utraque facti? Nihil autem substantiæ ingreditur, vel etiam ingredi potest, ut Aristotelicis placet, in compositionem illorum: atque ita si fierent, tam de nihilo substantiæ, quàm de nihilo sui fierent; quod esset creari: aliàs verò creari non possunt, ut dictum est: atque ita superest illa omnino improducibilia esse. Vide hinc quàm repugnans, quàm impossibilis mihi videatur accidentium materialium productio, de qua voluisti ex me audire quid opinarer.

XXXVI. Opponitur sensatio accidentium materialium.

PAZZIUS. Sed in hoc rem opinaris, quam nemini suadebis, quandiu erunt in conspectu ac tactu nostro corpora calida, colorata, figurata, mota, gravia, &c. tandiu enim illa censebimus esse talia ex correspondentibus accidentibus, quæ si non sunt merum nihil, uti revera non sunt, aliquid sunt & ideo aliquid entitativum vere ac realiter productum. Idem omnino corpus calefit, coloratur, figuratur, movetur, ingravescit, &c. de novo: acquirit ergo aliquid per quod tale fit: quid autem erit illud aliquid, nisi aliquid productum? nam quidquid antea non

erat & postmodum est, quomodo est, si non de novo productum est? De cætero hoc primum est, quod interest ut sciatur accidentia produci: scire autem modum, quo accidit illa produci, hoc minùs interest: & ideo non nimis à nobis, sed ab Atomistis nimis inquiritur.

ROCCHIUS. Audio te, mi Pazzi: hoc secundum à nobis nimis inquiritur, quia inquiritur ad ruborem vestrum: & hoc ipsum est, quod inquiri à vobis nimis non potuit: antè debuistis respondere posse de modo, quo accidentia vestra materialia producerentur, quàm affirmare illa produci, vere, inquam, ac realiter produci. Corpora de novo calefiunt & aliter atque aliter colorantur, figurantur, moventur, ingravescunt; &c. quis negat? sed si ad hoc sufficit, ut vere sufficit, accessus aliorum corporum aut corpusculorum à quibus ita modificentur, nulla pro his mutationibus productione indigebunt: & equidem ita est accidentia vestra omnia materialia nihil aliud esse, quàm modificationes materiales subjectorum materialium; has verò modificationes habent, si connaturales sunt, ex propria contemperatione atque structura; si autem adventitiæ sunt, illas obtinent ab aliis corporibus, seu corpusculis, à quibus aut invaduntur, aut obteguntur, aut impelluntur, aut dividuntur, &c. Et ideo, Domini mei, si aliter hìc quàm de accidentibus materialibus in genere ageretur, rogarem vos assignare illa pro arbitrio, & eniterer assignationi satisfacere absque recursu ad productionem novam ullius entitatis realis. XXXVII. Non potest nimis inquiri productio accidentium.

PHILALETHES. Bene advertis Domine Rocchi, differendam assignationem hanc esse, ut ego æque bene adverto prætermittendam non esse; nam nisi de quibusdam accidentibus istis materialibus in particulari acceptis innotescat an improducibilia, vel producibilia sint vere atque realiter, non potest hæc disputatio generalis ad optatam decisionem perduci. Adverto insuper quòd ultra so- XXXVIII. Inquiri debet aliquorum particularis productio.

litas dialogi unius metas excurreret, si tibi Pazzius opponeret separabilitatem realem talium accidentium à suis subjectis, qualem ex Eucharistica fide probant posse supernaturaliter fieri, & per quam, si res ita est, invictissime unâ operâ probant illa, licet adhuc subjectis suis inexistentia, propriam entitatem habere, sine qua utique non possent seorsim ab illis separata manere, ne divinitus quidem: quare adhuc oppositio ista, quæ à Pazzio nostro non fuisset omissa, remitti debet ad tempus controversiæ singularis. Atque ita, si annuitis, hæc una quæ cœpta est, agitetur hodie difficultas de accidentium multitudine, quam tu quidem, mi Rocchi, utpote nimiam, putas illorum productioni reali obstare; tu verò, mi Pazzi, putas non obstare, affirmando illam esse mediocrem.

XXXIX. Quæritur an accidentia spiritualia sint separabilia.

ROCCHIUS. Ego quidem, optime Philalethes, vel in atomo una facilè computo tot accidentia, quot sunt in tota mole, licet immensa, cujus atomus illa esset pars integrans: & inde conjicio quàm chimæricum sit admittere in sinu atomi unius tam multas, tamque diversas entitates materiales, sicuti supra discurrebam nihil fabulosiùs esse, quàm admittere in una re, qualis anima est, indivisibili tot realia millia cogitationum & affectuum, quot admitti necesse esset, si cogitationes & affectiones illius omnes essent totidem realitates inexistentes illi & ab illa distinctæ. Sed antequam loquar apertiùs de ista infinitudine accidentium ac præsertim materialium, de quibus hîc præsertim agitur, da veniam ut ex occasione illius, cujus mentionem fecisti, separabilitatis accidentium materialium à suis respective subjectis, petam à Pazzio, an parem separabilitatem, scilicet supernaturalem, agnoscat & approbet in accidentibus spiritualibus. Illam haud dubie non negabit, si sentit & loquitur cohærenter: quia enim doctrina tam realiter differt à mente, quàm albedo à pane, si albedo seorsim à pane manere potest, saltem divinitùs

nitùs, quæ ratio est, cur saltem divinitùs doctrina non æque manere seorsim à mente possit. Et nihilominus quis potest id pro possibili admittere, nisi etiam putet posse Deum annihilare animas omnes & omnes Angelos, reservatis seorsim universis eorum scientiis & affectibus?

PAZZIUS. De ista separabilitate accidentium spiritualium nihil apud magistros nostros definitur: quare nihil ego quoque definiam; sed quid inde?

ROCCHIUS. Inde sequitur notionem accidentium vestrorum esse vestris in mentibus perturbatissimam. Ecce accidentia spiritualia tam realiter differunt à suis respective subjectis, quàm materialia: utraque pariter sunt in se ipsis insubsistentia, utraque pariter inhærentia. Tum verò sub prætextu fidei Eucharisticæ de materialibus asseritis, quòd existere seorsim ab omni subjecto possint; de spiritualibus verò idem asserere non præsumitis; quid hinc sequitur, nisi caliginosam esse apud vos generalem ac particularem accidentium notionem? Sed hoc obiter dictum sit: jamque redeo ad accidentia materialia, de quibus affirmo aut nullum esse, aut eorum incredibilem multitudinem esse in omni substantia materiali, quantumvis modica, imo vel in atomo una: & in exemplum assumo atomum aqueam, vel certe guttam aqueam, quæ accedat ad atomi aqueæ parvitatem. Hæc itaque atomus, seu vera, seu reputata, iisdem omnino accidentibus subjacet, quibus obnoxia est aquea tota moles, intra quam est: habet enim suam quantitatem, suam qualitatem, suam relationem, actionem, passionem, durationem, ubicationem, &c. & insuper hujus quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis, durationis, ubicationis, &c. accidentia propria & valde plura; quæ in tam tenuissimo unius atomi sinu quomodo si concludentur?

XL. Hinc probatur incohærentia notionis accidentium.

PAZZIUS. Respondet Palancus posse ab ipso negari suppositionem illius atomi aqueæ, vel guttæ aqueæ tam

litas dialogi unius metas excurreret, si tibi Pazzius opponeret separabilitatem realem talium accidentium à suis subjectis, qualem ex Eucharistica fide probant posse supernaturaliter fieri, & per quam, si res ita est, invictissime unâ operâ probant illa, licet adhuc subjectis suis inexistentia, propriam entitatem habere, sine qua utique non possent seorsim ab illis separata manere, ne divinitus quidem: quare adhuc oppositio ista, quæ à Pazzio nostro non fuisset omissa, remitti debet ad tempus controversiæ singularis. Atque ita, si annuitis, hæc una quæ cœpta est, agitetur hodie difficultas de accidentium multitudine, quam tu quidem, mi Rocchi, utpote nimiam, putas illorum productioni reali obstare; tu verò, mi Pazzi, putas non obstare, affirmando illam esse mediocrem.

XXXIX. Quæritur an accidentia spiritualia sint separabilia.

ROCCHIUS. Ego quidem, optime Philalethes, vel in atomo una facilè computo tot accidentia, quot sunt in tota mole, licet immensa, cujus atomus illa esset pars integrans: & inde conjicio quàm chimæricum sit admittere in sinu atomi unius tam multas, tamque diversas entitates materiales, sicuti supra discurrebam nihil fabulosiùs esse, quàm admittere in una re, qualis anima est, indivisibili tot realia millia cogitationum & affectuum, quot admitti necesse esset, si cogitationes & affectiones illius omnes essent totidem realitates inexistentes illi & ab illa distinctæ. Sed antequam loquar apertiùs de ista infinitudine accidentium ac præsertim materialium, de quibus hîc præsertim agitur, da veniam ut ex occasione illius, cujus mentionem fecisti, separabilitatis accidentium materialium à suis respective subjectis, petam à Pazzio, an parem separabilitatem, scilicet supernaturalem, agnoscat & approbet in accidentibus spiritualibus. Illam haud dubie non negabit, si sentit & loquitur cohærenter: quia enim doctrina tam realiter differt à mente, quàm albedo à pane, si albedo seorsim à pane manere potest, saltem divinitùs

nitùs, quæ ratio est, cur saltem divinitùs doctrina non æque manere seorsim à mente possit. Et nihilominus quis potest id pro possibili admittere, nisi etiam putet posse Deum annihilare animas omnes & omnes Angelos, reservatis seorsim universis eorum scientiis & affectibus?

PAZZIUS. De ista separabilitate accidentium spiritualium nihil apud magistros nostros definitur: quare nihil ego quoque definiam; sed quid inde?

ROCCHIUS. Inde sequitur notionem accidentium vestrorum esse vestris in mentibus perturbatissimam. Ecce accidentia spiritualia tam realiter differunt à suis respective subjectis, quàm materialia: utraque pariter sunt in se ipsis insubsistentia, utraque pariter inhærentia. Tum verò sub prætextu fidei Eucharisticæ de materialibus asseritis, quòd existere seorsim ab omni subjecto possint; de spiritualibus verò idem asserere non præsumitis; quid hinc sequitur, nisi caliginosam esse apud vos generalem ac particularem accidentium notionem? Sed hoc obiter dictum sit: jamque redeo ad accidentia materialia, de quibus affirmo aut nullum esse, aut eorum incredibilem multitudinem esse in omni substantia materiali, quantumvis modica, imo vel in atomo una: & in exemplum assumo atomum aqueam, vel certe guttam aqueam, quæ accedat ad atomi aqueæ parvitatem. Hæc itaque atomus, seu vera, seu reputata, iisdem omnino accidentibus subjacet, quibus obnoxia est aquea tota moles, intra quam est: habet enim suam quantitatem, suam qualitatem, suam relationem, actionem, passionem, durationem, ubicationem, &c. & insuper hujus quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis, durationis, ubicationis, &c. accidenpropria & valde plura; quæ in tam tenuissimo unius atotia mi sinu quomodo si concludentur?

XL. Hinc probatur incohærentia notionis accidentium.

PAZZIUS. Respondet Palancus posse ab ipso negari suppositionem illius atomi aqueæ, vel guttæ aqueæ tam

A a

litas dialogi unius metas excurreret, si tibi Pazzius opponeret separabilitatem realem talium accidentium à suis subjectis, qualem ex Eucharistica fide probant posse supernaturaliter fieri, & per quam, si res ita est, invictissime unâ operâ probant illa, licet adhuc subjectis suis inexistentia, propriam entitatem habere, sine qua utique non possent seorsim ab illis separata manere, ne divinitus quidem: quare adhuc oppositio ista, quæ à Pazzio nostro non fuisset omissa, remitti debet ad tempus controversiæ singularis. Atque ita, si annuitis, hæc una quæ cœpta est, agitetur hodie difficultas de accidentium multitudine, quam tu quidem, mi Rocchi, utpote nimiam, putas illorum productioni reali obstare; tu verò, mi Pazzi, putas non obstare, affirmando illam esse mediocrem.

XXXIX. Quæritur an accidentia spiritualia sint separabilia.

ROCCHIUS. Ego quidem, optime Philalethes, vel in atomo una facilè computo tot accidentia, quot sunt in tota mole, licet immensa, cujus atomus illa esset pars integrans: & inde conjicio quàm chimæricum sit admittere in sinu atomi unius tam multas, tamque diversas entitates materiales, sicuti supra discurrebam nihil fabulosiùs esse, quàm admittere in una re, qualis anima est, indivisibili tot realia millia cogitationum & affectuum, quot admitti necesse esset, si cogitationes & affectiones illius omnes essent totidem realitates inexistentes illi & ab illa distinctæ. Sed antequam loquar apertiùs de ista infinitudine accidentium ac præsertim materialium, de quibus hîc præsertim agitur, da veniam ut ex occasione illius, cujus mentionem fecisti, separabilitatis accidentium materialium à suis respective subjectis, petam à Pazzio, an parem separabilitatem, scilicet supernaturalem, agnoscat & approbet in accidentibus spiritualibus. Illam haud dubie non negabit, si sentit & loquitur cohærenter: quia enim doctrina tam realiter differt à mente, quàm albedo à pane, si albedo seorsim à pane manere potest, saltem divinius

nitùs, quæ ratio est, cur saltem divinitùs doctrina non æque manere seorsim à mente possit. Et nihilominus quis potest id pro possibili admittere, nisi etiam putet posse Deum annihilare animas omnes & omnes Angelos, reservatis seorsim universis eorum scientiis & affectibus?

PAZZIUS. De ista separabilitate accidentium spiritualium nihil apud magistros nostros definitur: quare nihil ego quoque definiam; sed quid inde?

XL. Hinc probatur incohærentia notionis accidentium.

ROCCHIUS. Inde sequitur notionem accidentium vestrorum esse vestris in mentibus perturbatissimam. Ecce accidentia spiritualia tam realiter differunt à suis respectivè subjectis, quàm materialia: utraque pariter sunt in se ipsis insubsistentia, utraque pariter inhærentia. Tum verò sub prætextu fidei Eucharisticæ de materialibus asseritis, quòd existere seorsim ab omni subjecto possint; de spiritualibus verò idem asserere non præsumitis; quid hinc sequitur, nisi caliginosam esse apud vos generalem ac particularem accidentium notionem? Sed hoc obiter dictum sit: jamque redeo ad accidentia materialia, de quibus affirmo aut nullum esse, aut eorum incredibilem multitudinem esse in omni substantia materiali, quantumvis modica, imo vel in atomo una: & in exemptum assumo atomum aqueam, vel certe guttam aqueam, quæ accedat ad atomi aqueæ parvitatem. Hæc itaque atomus, seu vera, seu reputata, iisdem omnino accidentibus subjacet, quibus obnoxia est aquea tota moles, intra quam est: habet enim suam quantitatem, suam qualitatem, suam relationem, actionem, passionem, durationem, ubicationem, &c. & insuper hujus quantitatis, qualitatis, relationis, actionis, passionis, durationis, ubicationis, &c. accidenpropria & valde plura, quæ in tam tenuissimo unius atotia mi sinu quomodo si concludentur?

PAZZIUS. Respondet Palancus posse ab ipso negari suppositionem illius atomi aqueæ, vel guttæ aqueæ tam

Dial. 53. n. 459. modicæ, ut ad atomi parvitatem accedat: *Nec item* (sic Atomistam suum alloquitur) *tam parvissima, ut à te ponderatur, posset naturaliter subsistere; sed necessariò ab agentibus ipsam circumstantibus corumperetur & in aliam substantiam transmutaretur, &c*

XLI. Notatur inadvertentia responsionis. ROCCHIUS. Suppono guttam aquæ intra molem aquæ, & ait Palancus quòd *necessariò ab agentibus ipsam circumstantibus corrumperetur & in aliam substantiam transmutaretur:* in quam, si placet, substantiam mutaretur, an in substantiam ignis? sicne aqua circumstans guttam congeneam in ignem verteret, aut in aërem, &c. Habes hic, mi Pazzi, præclaram inadvertentiam vestri Scriptoris.

PAZZIUS. Inadvertentia hæc, si tamen inadvertentia fuit, levis fuit propter hoc quod statim subdit, *Sed hac tuâ fictione præfata atomi aqueæ prætermissâ; dato quòd* Ibidem. *illa subsisteret, dico minime absurdum fore, quòd illa tot accidentibus affecta esset, quia absdubio maneret substantia passibilis, actuabilis, & mutabilis eisdem passionibus & mutationibus, quibus aqua ingentis stagni vel totius Oceani...... acproinde licet quadraginta simul accidentibus afficeretur, nulla esset absurditas, quandoquidem absurdum non est dicere illam quadraginta vel pluribus mutationibus obnoxiam esse attentâ ejus potentialitate.* Atque in hunc modum frangit omnino Palancus vim argumenri, quod vos Atomistæ adducitis ex multitudine accidentium admittenda, vel in quantuliscunque corpusculis.

XLII. Notatur alia inadvertentia. ROCCHIUS. Non sic, mi Pazzi, franguntur argumenta quæ probant aliquid esse absurdum, negando id absurdum esse; sed in hoc non hæreo nunc: hæreo magis hoc quòd cum voluptate animadverto Palancum, qui paulò antè parcissimus accidentium erat, & aiebat quòd Ibid. n. 458. *si Peripateticorum doctrina perpendatur, vix in una substantia materiali viginti accidentia realiter distincta ab il-*

lis admittentur: & ecce hîc liberaliter permittit accidentia quadraginta pro atomo una, vel quaſi atomo aquea: quin etiam plura, ſi opus eſt.

PAZZIUS. Sed neque deeſt illi ratio permittendi quotcunque volueritis, attento quòd non impugnatis pluralitatem accidentium in atomo una, niſi ob id quòd, ut creditis, habeant ſingula materialitatem, ſive corpulentiam ſuam; & ideo non poſſint in unius atomi corpulentia contineri: atqui id falsò creditis; quia *quamvis mille eſſent & ampliùs, locum non occuparent, quia nullum accidens per ſe locum occupat, niſi ratione quantitatis..... Unde licet in ea quantitate parviſſima mille eſſent qualitates, actiones, paſſiones, relationes, &c. majus ſpatium non occuparent, quàm illa minima quantitas, &c.* Sic diſcurrit Palancus; & quia rem tam claram non capitis, addit quòd *in hoc veſtra mentis hebetudinem oſtenditis pro eodem accipientes* corporeum *ac* corpus *& item* materiale *&* materiam, *quod ruditatem ingentem demonſtrat.* Creditis accidentia ſingula eſſe materiam ſingularem, & corpus aliquod ſingulare; & quibus propterea debeatur locus ſingularis propter impenetrabilitatem ſingulorum cum aliis, ſicut etiam cum ſuis reſpective ſubjectis. Deponite falſa illa veſtra præjudicia: cogitate accidentia ſine materia materialia eſſe, ſine corpore corporalia eſſe: ſicque ſine labore ullo capietis poſſe vel infinita etiam accidentia in atomo una contineri. XLIII. Opponitur. accidentia non occupare locum. Ibid. n.460.

ROCCHIUS. Facilè capimus poſſe aliquid tum materiale, tum corporale ab extrinſeco eſſe, & habere nihil materiæ, nihil corporis: ſi accidentia itaque veſtra non aliter, quàm ab extrinſeco materialia & corporalia ſunt: bene eſt. Sed ſi ita eſt, quærimus poſtmodum quid ab intrinſeco ſint; nam quidquid revera eſt, quidquid vere productum eſt, habet conſtitutionem ſuam intrinſecam, per quam aut corpus, aut ſpiritum eſſe neceſſe eſt: nam- XLIV. Satiſfit præmiſſæ oppoſitioni.

que rerum verę ac realiter productarum aliud esse genus non potest. Deinde accidentia illa vestra hoc ipso quòd sint aliquid ab intrinseco, sunt aliquid substantivum, cui utique attributa multa conveniunt, & de quo adjective prædicantur; sic de albedine prædicatur quòd sit disgregativa visûs, quòd sit intensa, & quòd sit pro varia intensione aut grata oculis aut molesta, quòd sit alteri similis aut dissimilis, &c. Item de motu prædicatur quòd sit velox aut tardus, brevis aut diuturnus, utilis aut inutilis, salutaris aut nocivus, &c.

XLV. Accidentia debent esse in se ipsis aliquid absolutum.

Idcirco adhuc quærimus quid sit illud substantivum, quod est in accidentibus vestris, quæ utique non sunt mera adjectiva, ut falsò fingitis: prius est esse quàm adjici: & ideo si vere ac realiter adjiciuntur, vere ac realiter præfuerunt. Tandem quò minùs capitur quid substantive, quid ab intrinseco sint accidentia illa vestra, quæ nihil spiritûs habent, nihil materiæ, eo minùs intelligi potest qualiter produci possint à causis, seu omnino materialibus, seu omnino spiritualibus: atque hinc in infinitum augetur vis argumenti, quo accidentia vestra vel nulla esse, vel infinita fore convincitur.

PHILALETHES. Permitte, mi Rocchi, ut hìc ardori tuo limites præscribam: nam hìc facilè afferres quidquid olim conscripsisti de multiplicate accidentium & de accidentibus accidentium in libro *de accidentibus profligatis*.

XLVI. Quæritur ratio potissima multitudinis accidentium.

PAZZIUS. Legit, Domine Philalethes, librum illum Palancus: quin & pro refutanda illa multitudine accidentium conficta scripsit ex professo dialogum quinquagesimum tertium, ubi probat *quòd non sit tanta quanta ponderatur ab Atomistis*: hìc literaliter refert quidquid circa rem istam alicujus momenti est in opusculo illo; ac simul solvit: quare mallem ut sineres Rocchium exardescere, mihique committeres provinciam temperandi ar-

dorem ejus per solutionem à Palanco datam. Tantùm rogo te, mi Rocchi, ut non afferas nisi quod magis nos urgere intelligas, nisi volueris ut cœna nostra sit tam nimis sera, quàm nimis parca: vides famulos qui mensam instruunt.

ROCCHIUS. Legi solutionem illam à Palanco datam, quæ minime satisfecit: fortè satisfaciet à te prolata & adornata. Tandem hoc Philalethes noster decernet. Assumo flammulam, quæ carbonem palmarem accendit, &, ut more vestro loquar, in ignem vertit, postquam aliquandiu calefecit. Tum si supponerem præfuisse in illo carbone igniendo decem aut viginti millia atomorum, id parum esset vobis, qui multò plura millia partium proportionalium in eo præfuisse non dubitatis. Sed sufficiant hæc atomorum decem millia, sive quod idem est ad rem nostram, molecularum, quæ pro atomis habeantur. Istis igitur atomis seu veris, seu præsumptis, quibus antea conveniebat sigillatim sua substantialis forma carbonis, jam inest substantialis alia forma ignis, & ideo alia quantitas ignis, alia qualitas, alia relatio, actio alia, passio alia, ubicatio alia, duratio alia, &c. Omnes insuper proprietates ignis, seu vires & activitates erunt proportionaliter in singulis talium atomorum: erit in singulis suus calor, suus lucor, suus color, suus motus, &c. ut nihil dicam de varietatibus, de incrementis aut decrementis innumeris illius caloris, lucoris, coloris, motûs, &c. Vide, mi Pazzi, vide in illis decem millibus atomorum, ultra decem millia formarum substantialium qualia & quot & quoties plura formarum accidentalium millia confiteri Aristotelici debeant; eaque tum in instanti fere producta, & ab agentibus quidem producere nihil scientibus, nihil valentibus.

XLVII. Affertur ratio quæsita.

PAZZIUS. O te pessimum calculatorem, mi Rocchi! *Jam audieram*, inquit Palancus, *quòd isto phantastico cumu-*

XLVIII. Contradi-

citur præmissæ enumerationi. *lo entitatum realium soletis terrere pueros, qui incipiunt salutare Philosophiam, ne Peripateticos audiant.* Pergam Dial. 55. n. 457. cum Scriptore nostro & dicam tibi, *Si legisses Peripateticos, id plane agnovisses. Nam illi clare ostendunt in unica substantia non esse, nisi unicam quantitatem & extensionem, vi cujus nedum ipsa substantia, sed alia accidentia ab illa extensa redduntur, non verò ab alia quantitate. Unde minime admittunt tot quantitates, quot sunt accidentia. Nec item admittunt plures ubicationes, cuilibet accidenti suam assignando, ... & plures, ut ego ipse, durationem realiter non distingunt ab existentia rei durantis,* &c. Ubi ergo jam sunt, mi Rocchi, tua illa tot millia formarum accidentalium? Ecce in uno composito, ut est carbo ille ignitus, de quo hypothesis procedit, unica est forma substantialis, unica quantitas, unica qualitas, unica relatio, actio unica, unica passio, & sic de cæteris: nisi quòd, ut audiisti, parcit adhuc Palancus multitudini accidentium secludendo ab illorum numero *durationem.*

XLIX. Non debuit duratio separari ab aliis accidentibus.

ROCCHIUS. Sic equidem parcitur accidentium multitudini, sed parce: demit unum è decem millibus; melius erat aut non illud eliminare, aut omnia. Hoc scio quòd si potest res durare sine duratione distincta, potest existere sine existentia distincta; & exinde extensa esse sine extensione distincta, & agere sine actione distincta, & pati sine passione distincta, & referri sine relatione distincta, & ubicari sine ubicatione distincta, &c. Novi, mi Pazzi, doctissimos Aristotelicos isti opinioni affixos, videlicet fabricam prædicamentalem accidentium Aristotelicorum ita esse constructam, ut si ruit unum ex omnibus, tota sit collapsura; & ideo debere vel admitti nulla, vel omnia.

PHILALETHES. Adjungerem me libenter istis Aristotelicis.

PAZZIUS. Sed Palanco non defuerunt rationes

gravissimæ, propter quas se ab illis sejungeret, & eas, Domine Philalethes, si juberes, referrem.

PHILALETHES. Si referres, mi bone Pazzi, vellet Rocchius illas refellere, sicque præter voluntatem tuam seriùs cœnaretur. Tum in particulari de accidente nullo hîc sermo est: quare præstat redire ad difficultatem de accidentium generatim multitudine, quam alter vestrûm sic auget, alter sic minuit, ut in nullo calculo nulla major differentia visa sit. Tuum est, mi Rocchi, amovere à te, si potes, notam pessimi calculatoris, quam inussit tibi Pazzius noster.

ROCCHIUS. Dic tantùm, optime Philalethes, quid tibi de nostro vicissim calculo videatur; sicque accelerabitur finis dialogi hodierni: vel præsertim quia præter nitorem explicandi res istas, habes donum compendii.

PAZZIUS. Amabo, Domine mi, tuum illud compendium, quod nollem nisi mensa jam instructa illud suaderet.

PHILALETHES. Ecce igitur verbis paucissimis, Domini mei, opinionem circa hypothesim carbonis illius igniti palmaris, qui fuit positus in exemplum. Opinabor nunquam simplicem & unicam esse, si quæ est, formam substantialem illius; sed è contra pronus essem ad affirmandum illam tam multiplicem, tamque multipliciter separabilem esse, quàm multiplices, multipliciterque separabiles sunt partes illius: cujus rei demonstrativum indicium est in extinctione successiva illius: hinc in carbone illo ignito formas ignis substantiales non computat satis multas, qui non tot, quot partes numerat. Deinde si unius partis forma substantialis non est, ut revera non est, forma substantialis alterius, quomodò formæ accidentales unius partis essent formæ accidentales alterius? atque ita evidenter necesse est, ut de numero formarum accidentalium judicetur ex numero partium; imo ut ille numerus sit val-

L. Tot sunt formæ substantiales quot partes.

de major, ob id quòd pars una & eadem formis accidentalibus multis subjaceat.

LI. Formæ accidentales sunt valde magis innumerabiles.

Tum & ille numerus in infinitum excrescit, si formæ istæ accidentales sunt aliarum adhuc formarum accidentalium susceptivæ, & istæ aliæ aliarum, quod saltem infertur satis verisimiliter. Unde si accidentia illa omnia res sunt, fateor terreri me ab illa multitudine tot rerum producendarum in uno illo carbone ignito; quid aio? in qualibet assignabili carbonis illius parte quantumvis minima: terret etiam me tot rerum productio tam instantanea, tot rerum licet materialium penetratio tam stupenda. Nolo tamen, quia novi Naturæ vim valde occultam esse, ac valde magnam, decernere rem ex integro, donec audierim ex ore Rocchii quid & qualiter de accidentibus philosophari soleant Atomistæ: & hæc erit, si annuitis, crastinæ decertationis vestræ materia: erit etiam, si annuitis, decertationis locus villula mea, quæ fere suburbana est, & in quam, si dies, ut hodierna, favebit, unà ibimus. Tandem, ut advertitis, Domini mei, mitto plura, non mittenda tamen, propter illud quod postulastis compendium.

PAZZIUS. Adsunt fercula: surgamus, Domini mei, & eamus ad manuum lotionem.



DIALOGUS



DIALOGUS SEPTIMUS.

QUAM BENE SENTIANT Atomistæ de formis accidentalibus generatim.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PAZZIUS, ROCCHIUS, PHILALETHES.

PAZZIUS. Quam aiebas villulam, Domine Philalethes, villa est; hanc cingunt agri tuæ ditionis plurimi & opimi, ut video. Villa est, cui debuisti hos agros: agri sunt, quibus debuisti hanc villam. I. Petitur opinio Atomistarum de accidentibus generatim.

ROCCHIUS. Peccasses, Domine Philalethes, ut olim Q. Scævola, si villam hanc agris illis non providisses; aut ut L. Lucullus, nisi agros illos obtinuisses huic villæ; modum servasti Plinio probatum, *ut neque fundus villam quærat, neque villa fundum.* Hîc habes magis arare quàm verrere: habebat Lucullus magis verrere quàm arare: quæ res in jocos abiit. Sicne fallere nos usu diminutivi nominis voluisti? Plin. lib. 18 c. 6.

PHILALETHES. Vestra humanitas est, quæ non probat diminutivum hoc nomen *villula*: mihi tamen saltem in usu erit, usque dum villæ partem alteram, cujus fundamenta vix jacta sunt, ædificare compleverint. Quod videtis, pars est *rustica* destinata in habitationem colonis; deest pars potior, quam Achitecti *urbanam* vocant, & forma elegantiori adornant, uti Domino reservatam. Hanc pollicentur perducere ante hyemem ad fastigium. Interim videte, Domini mei, tuguriolum hoc, in quo pluries

per hebdomadam sanare consuevi odium turbæ ; ubi misceo & alterno solitudinem cum frequentia : hæc eremus mea est : nec eremus tamen : hîc me interrogo , hîc respo deo mihi, tanquam duo simus, ratio & ego.

ROCCHIUS. Sed neque hoc tuum *tugurioli* diminutivum patiemur, ubi locum videmus capacem utriusque chori Musarum & Gratiarum, suoque pro aspectu , cultu & apparatu non indignum illis.

PHILALETHES. Habeo in vobis, Domini mei, Musas & Gratias: cedo urbanitatibus vestris : sedeamus, donec indulgere deambulationi videbitur : neque differ ultra, mi Rocchi, declarare nobis opinionem, quam Atomistæ habent de accidentibus generatim, & cujus audiendæ pariter impatienter sumus ego & Pazzius.

II. Quantitas accidentium non est omnium eadem

ROCCHIUS. Ad id in promptu sum: oro tamen ut mihi liceat resumere breviter paucula hæc verba, quæ pro minuendo formarum accidentalium numero proferebat heri Pazzius ex Palanco , & quæ non satis, nisi fallor ponderata fuerunt. Itaque verba hæc sunt , *Nam illi* (Peripatetici) *clare ostendunt in unica substantia non esse, nisi unicam quantitatem.* Ego verò id tam clare ostendi posse non puto ; quando potest unica substantia multis accidentibus subjacere, quorum extensio aut intensio variis omnino mensuris subjacet, & ideo ejusdem , imo similis quantitatis non sunt. Substantiam cogitate albam , calidam, sapidam, odoram, sonoram, mobilem , gravem , pulchram, &c. Illa utique substantia potest esse alba *ut unum,* calida *ut duo,* sapida *ut tria,* odora *ut quatuor* , sonorat *ut quinque*, mobilis *ut sex*, gravis *ut septem,* pulchra *ut octo.* Unde apparet talium accidentium quantitatem non eandem esse ; sed neque communem esse ; nam aliter mensuratur color, aliter calor , aliter sapor , aliter odor, aliter sonus, aliter motus, aliter gravitas, aliter pulchritudo. Neque aliter discurrendum est de omnibus aliis ejus-

dem substantiæ formis accidentalibus, quæ pariter deprehenderentur differre omnino inter se per quantitatem seu molis, ut aiunt, seu virtutis.

Tum insuper quia nulla est assignabilis forma accidentalis, quæ non subjaceat aliis formis accidentalibus multis, erit etiam istarum non una mensura, non una quantitas: erunt inter se omnes aut per extensionem, aut per intensionem diversæ. Hinc autem valde facilius esset ostendere quomodo non omnium esset eadem actio, eadem passio, eadem relatio, eadem ubicatio, eadem duratio, &c. Aliter agit, patitur, refertur, ubicatur, durat, &c. color, aliter calor, aliter sapor, &c. Qua via cresceret in infinitum multitudo accidentium realium, ac realiter distinctorum. III. Accidentia singula multipliciter differunt.

PAZZIUS. Sic equidem, mi Rocchi, cresceret in infinitum, si tibi liceret tuo modo accidentia hæc nostra computare. Non sic illa computamus, non sic descendimus ad istarum, quæ in illis esse possunt, differentiarum minutias: aut id genus differentias seu specificas, seu individuales esse ab illis indistinctas affirmamus: & hac via valde cavetur, ne illorum multitudo infinita evadat.

ROCCHIUS. Quid, mi Pazzi, si motum assumerem in exemplum particulare, tibique opponerem omnes modificationes accidentales, quarum est capax, tunc illas cum motu identificares realiter? Tunc diceres velocitatem nihil reale superaddere motui, aut accelerationem, aut tarditatem, aut rectitudinem, aut obliquitatem; aut reflexionem, aut refractionem, &c? sicne realiter motum velocem cum tardo, acceleratum cum moroso, rectum cum obliquo, reflexum cum refracto &c. confunderes? sicne confunderes gradus omnes talis velocitatis aut tarditatis, talis accelerationis aut morositatis, talis rectitudinis aut obliquitatis, talis reflexionis aut refractionis, &c? IV. Affertur motus in exemplum.

PAZZIUS. Cur, mi Rocchi, hæc omnia non confunderem, si confudit illa Palancus? nec utique sine cau-

sa confudit : nam simile quid objiciebat illi vester ille Atomista de motu tardo aut veloci, recto aut obliquo: ipse verò sic respondet, *Præterquam quòd ridicule assignas pro accidentibus motûs, ipsius tarditatem aut velocitatem, rectitudinem vel obliquitatem : hæ enim sunt differentiæ vel specificæ, vel individuales ipsius motûs, quæ à motu singulari minime distinguntur.*

Dial. 53. n. 438.

V. Velocitas, obliquitas, &c sunt accidentia motûs.

ROCCHIUS. Id quidem ita responsum fuit; sed difficultas superest, an cohærenter responsum fuerit. Si enim generatim placet Aristotelicis omnes formas accidentales perinde ac substantiales, quæ sunt differentiæ, vel specificæ, vel individuales alicujus subjecti, esse illi realiter superadditas, & ab illo realiter distinctas, cur si cohærenter sentiunt, idem non sentient de differentiis specificis aut individualibus talium rerum superadditarum suo subjecto & distinctarum ab illo? nam tales res sunt pariter subjecta suarum differentiarum, suarumque omnium proprietatum, & affectionum atque modificationum advenientium. Hinc sequitur aut velocitatem esse rem superadditam motui, aut motum non esse rem superadditam mobili, & sic de cæteris : & si res plene attenditur, hinc rursus sequitur aut nullas esse formas accidentales rebus materialibus realiter superadditas, aut id genus formas infinitas fore, quarum proinde assignari causa nulla sufficiens posset; vel præsertim quia fere in instanti producerentur, & in singulis fere instantibus mutarentur. Neque addam plura, Domine Philalethes, circa difficultatem, quam te annuente resumpsi ex dialogo præcedente.

VI. Quæritur explicatio accidentium per atomos.

PHILALETHES. Quamvis illam non resumpsisses, mi Rocchi, eram perinde convictus nullam esse rem aut rei partem, quæ non sit mutationibus fere infinitis obnoxia, scilicet accidentalibus, quæ propterea saltem esse possibiles probant formas paris numeri accidentales. Sed quia hæc accidentium multitudo non minùs apud Ato-

multas quàm apud Aristotelicos verificatur, nihil invicti potes adhuc ex illa contra Philosophiam Aristotelicam inferre, nisi ostendas illam cum Atomistica concordare. Qomodo inesse atomis tot accidentia possunt, quomodo possunt accidentia tam innumerabilia per atomos explicari? Dic itaque nobis, si placet, quæ sit apud Atomistas notio accidentium: hanc opponam illi, quam esse illorum apud Aristotelicos Pazzius noster heri referebat; sicque porero æquiùs decernere utra sit, quæ prevaleat alteri, & possit magis Philosophice defendi.

VII: Singulæ res abundant diversissimis accidentibus.

ROCCHIUS. Non tantùm, Domini mei, res singulæ, ac rerum partes singulæ obnoxiæ sunt infinitis propemodum mutationibus accidentalibus; sed etiam habent in se ipsis formas accidentales prope infinitas; sic voco qualitates, proprietates, convenientias, affectiones, & modificationes earum: sic etiam voco talium qualitatum, proprietatum, &c. qualitates, proprietates, &c. singulares, ac singulariter considerabiles, propter quas nullum est ens particulare accidentale, de quo non possit tractari prolixissime ac disputari à Philosophis, à Medicis, à Mathematicis, &c. idque non alia de causa, quàm quia nihil est assignabile, quod mens non possit considerare sub aspectibus diversissimis ac diversissimis modis, ita quòd nunquam perveniret ad comprehensionem illius. Hinc oritur latitudo ac diversitas scientiarum, quæ sibi certas unius objecti proprietates considerandas reservant, cæteras aliis relinquentes. Sicque advertiris quomodo non refugiam à quantacunque multitudine accidentium & in atomo una, & in unius atomi proprietate accidentali una cogitabilium: neque non in hunc modum paulatim venio ad atomisticam notionem accidentium generatim.

VIII. Qualiter ens in communi possit dividi.

Itaque de ente in communi sic discurrimus, & dicimus illud generatim potuisse modis valde diversis, & in valde diversa genera dividi, ut in ens possibile & impossibile:

in ens possibile & actuale : in ens increatum & creatum : in ens infinitum & finitum : in ens intellectivum & non intellectivum ; in ens spirituale & ens materiale : ne quid dicam de subdivisionibus, quæ convenissent primariis illis divisionibus arbitrariis. His autem divisionibus inconsulto neglectis, Aristoteles illud divisit in substantiam & accidens: dixi *inconsultò*, quia clariùs illud divisisset in ens substantiale & accidentale, sive in ens substans & in ens accidens: imo ut philosophice illud divideret, illud sic dividere debuit: nam τὸ *ens*, concretum quoddam est, quod dividi non debuit aliter quàm in membra concreta: quis autem neget τὸ *substantiam* habere formam nominis abstracti, uti τὸ *accidens* formam habet nominis concreti? Quis eum non rideret, qui hominem divideret in doctrinam & in indoctum, in sapientiam & in insipientem, in prudentiam & in imprudentem, &c.? quando divisum concretum est, membra dividentia esse concreta, quando abstractum est, abstracta esse necesse est. Non minùs peccasset Aristoteles si ens divisisset in subsistentiam, & ens insubsistens; nam si bene attenditur tam *substantia*, quàm *subsistentia* nomen abstractum est. Sed quod pejus est, peccatum illud quamquam nimis grande fuit, anidmadversum non fuit; & ita fuit occasio affirmandi *substantiam* & *accidens* esse duo genera, non pure objectiva; sed vere realia entis, quorum uni nihil omnino conveniret nisi subsistere, & alteri nihil omnino nisi accidere: atque hic est error, unde cæteri fere omnes, qui Philosophiam Aristotelicam invaserunt, exorti sunt.

IX. Divisiones entis sunt tantùm respectivæ.

Nos autem à tam fœdo errore liberi contendimus divisionem illam entis in substantiale & accidentale, non esse nisi divisionem objectivam ac mere intelligibilem unius entis, quod sub uno quidem respectu *substantiale*, & sub altero *accidentale* nuncupatur: substantiale vocatur propter respectum substandi, sive subjectandi; acci-

dentale verò propter respectum accidendi, seu adveniendi. Tum ut taceam in hoc loco subdivisiones entis tum substantialis, tum accidentalis, quæ pariter non sunt nisi objectivæ ac mere intelligibiles, tantùm adverto nullum esse ens, quantumvis in se simplex, quod non sit multiplex objective; imo quia quò simplicius est, perfectius est, eò multiplicius quoque est; sed postmodum ex omnibus proprietatibus, sive perfectionibus in eo considerabilibus, una quædam prima est; cæteræ autem omnes secundariæ sunt: quare illa concipitur istas subjectare; istæ intelliguntur illi advenire: illa substantialis est, istæ accidentales sunt; per illam res intelligitur primò & essentialiter constitui, per istas verò concipitur tantùm secundariò & accidentaliter perfici.

X. Opponitur quod accidentia forent in Deo.

PAZZIUS. Satis assequor mentem tuam, mi Rocchi; neque opus est illam apertiùs declarare. Mens tua est, perfectionem quæ prima est & primò intelligibilis est in omni re, esse perfectionem illius substantialem, atque ita esse illius substantiam sive essentiam: & in hunc modum cæteras ejusdem rei perfectiones, respective ad illam primam, esse pro accidentibus habendas, ob id quòd illi primæ accidere, seu advenire concipiuntur. Unde sequitur admittenda fore accidentia in Deo, ut in Angelo, ut in homine, ac rebus cæteris: de qua consequentia velim ut audias Palancum. *Id certe inauditum & contra omnem Theologiam, etiam antiquissimorum, omnino est: nam Deum semper nullis accidentibus obnoxium, purissimamque substantiam prædicarunt, omnesque ejus perfectiones substantificas laudaverunt omnes antiqui Theologi.* Et rationem hanc subdit, *Præterquam quòd de communi notione accidentis est, quòd possit adesse & abesse absque subjecti corruptione: præfata autem attributa non possunt à Deo abesse: quòd si abessent, Deus esse desineret & corrumperetur.* Neque addam hujusmodi positionem accidentium in

Dial. 51. n. 445.

Deo ita displicere Palanco, ut in illa contendat reperiri ruditatem insignem ac turpissimum idiotismum, vel aliquid pejus latere timeat.

XI. Exponitur qualia accidentia sint in Deo.

ROCCHIUS. Timet Palancus, ubi non est timor. Non sunt accidentia quæ ponimus in Deo de genere illorum, quæ in scholis Aristotelicis admittuntur realiter producta, realiter distincta, realiter inhærentia, realiter componentia, realiter separabilia, &c. Non alia admittimus in Deo accidentia, quàm quæ realissime & essentialissime physice identificantur cum Deo. Quid ergo timet? Nunquid, mi Pazzi, certatur gravissime in Theologia de primo attributo Divinitatis, quod vocant essentiale, ac primum constitutivum Divinitatis: tum verò alii quidem dicunt tale attributum esse *intelligere radicale*, alii *intelligere actuale*, alii *esse à se, &c.* Dum autem de primo illo attributo certant, nunquid agnoscunt cætera relative ad illud primum secundaria esse, ac proinde adventitia? quid autem hoc est, nisi agnoscere illa pro accidentibus, id est, pro accidentibus respectivis, pro accidentibus pure objectivis, pro accidentibus metaphysicis, seu mere intelligibilibus, quæ nullatenus impediunt, quin Deus sit simplicissimus physice, quin omnia Divinitatis attributa sint æque primò in Deo physice, æque indispensabiliter, æque necessariò, æque essentialiter. Talia in Deo admittere accidentia nullus Theologus unquam recusavit. Talia omnino sunt quæ in in illo admittimus, &c. sine quibus non possent considerari seorsim attributa divina, faciendo præcisionem mentalem aliorum ab aliis: nam sicuti omnia æque primò sunt in Deo, ita æque primò conciperentur à nobis, quod est contra ipsam cogitationum nostrarum experientiam.

XII. Affertur sensus, in quo admitti possunt.

PHILALETHES. Et propter hanc ipsam experientiam puto quæstionem inter vos Dominos meos agitari de nomine. Alter vestrûm negat misericordiam v. g. esse accidentalem.

accidentalem in Deo; alter accidentalem esse affirmat. Qui negat accidentalem esse, id negat in sensu, in quo accidentia componunt atque immutant realiter suum subjectum: Deus autem omnis compositionis atque immutationis realis est incapax: qui verò affirmat esse accidentalem, id affirmat in sensu alio, in quo accidentia nullam hujusmodi efficiunt compositionem, aut immutationem realem, & in quo proinde aliena non sunt à Divinitate. Quare neutrum vitupero: nisi quòd hîc non agitur, nisi de sensu, in quo Atomistæ accipiunt generatim nomen *accidentis*; & ideo non est disputandum, nisi an accidentia misericordiæ, justitiæ, omnipotentiæ, independentiæ, &c. possint in Deo admitti sine læsione ulla reali simplicitatis atque immutabilitatis divinæ, scilicet attento sensu, in quo Atomistæ generatim nomen *accidentis* accipiunt. Circa quem sensum jam patet Atomistas, si bene tuam in mentem introivi, mi Rocchi, intelligere generatim per *accidens* rei totum id omne, quod non pertinet ad primarium conceptum illius rei; sive quod idem est, quidquid pertinet ad secundarium aliquem conceptum illius rei: hinc veniunt ad considerationem attributorum Divinitatis; & quia in Theologia certum est non esse, nisi unum ex illis quod primum est, sed quod incertum est, ideo aiunt cætera, præter illud primum quodcunque sit, pertinere ad conceptus secundarios Divinitatis, & ita pro accidentibus esse habendos. Quare in re nihil video, quod universi Theologi non uniformiter sentiant, licet difformiter loquantur.

PAZZIUS. Imo cum bona venia, Domine Philalethes, multum abest quin uniformiter cum Atomistis hac in re sentiamus: nam illi admittunt in Deo compositionem metaphysicam ex essentia & attributis, sicut etiam separabilitatem metaphysicam attributorum ab essentia: nos autem cum Palanco neque compositionem illam,

XIII. Opponitur nullam compositionem esse in Deo.

neque illam separabilitatem metaphysicam toleramus in Deo; *quia* (& hæc sunt verba nostri Authoris) *præter essentiam suam metaphysicam in primo essentiali prædicato Dei ex nostro modo concipiendi sitam, plura alia prædicata essentialia attribuuntur Deo ex consequenti, quæ minime sunt accidentia Dei, sed ipsi potius essentialissima ex primo conceptu quidditativo Divinitatis; adeò ut quolibet deficiente, per metaphysicam consequentiam deficeret ipsa Divinitas: ac proinde adhuc metaphysice non possunt separari ab ipsa Divinitate.*

XIV. Qualiter admitti debeat compositio metaphysica.

PHILALETHES. Atqui rursus, mi Pazzi, non erit hîc quæstio nisi de nomine: nam si de conceptu quidditativo Divinitatis sermo est, idest, de Divinitate, ut in se ipsa est, Atomistæ perinde ac vos aiunt quidquid in Deo est, id totum in illo esse æque primò, æque necessariò, æque indispensabiliter, æque essentialiter, æque simpliciter, æque inseparabiliter. Sed si sermo est de conceptu formali ac præcisivo, de quo utique sermo est, aiunt non esse in Deo æque primò, aut æque necessariò, &c. quidquid in illo est: quatenus attributa divina sunt considerabilia ordinatim, & concipiuntur omnia fluere ac oriri ex uno quodam primo attributo, quod est attributum essentiale & essentialiter constitutivum Divinitatis: atque hinc fit ut attributa omnia cætera, quæ intelliguntur Divinitati accidere, designent isto *accidentium* nomine. Palancus ipse vocat attributa illa *essentialia ex consequenti*; quid hoc est, nisi *non-primò-essentialia*, & ideo *accidentalia* in hoc sensu atomistico, in quo quidquid primò essentiale non est, aut essentialiter primum in aliqua re, pro accidente rei habetur. Sed non adverto, mi Rocchi, agere me hîc partes tuas, nescio an recte?

ROCCHIUS. Recte omnino.

XV. Datur

PAZZIUS. Ego autem salvâ pace dico *non recte:* quia *falsum est*, ut ait Palancus, *quòd non detur medium*

inter essentiam metaphysicam Dei & accidens. Si quidem attributa necessariò consecuta à priori ex essentia divina, ut in illa inclusa, medium sunt inter essentiam metaphysicam & accidens. Et subjungit, *imo proprietates in quarto modo in creaturis nec sunt essentia rei, nec accidens secundùm communem notionem accidentis, sed medio modo se habent. Et similiter in ente, quòd sit verum, bonum, aliquid, unum, nec est essentia metaphysica entis, nec sunt vera entis accidentia, sed medio modo se habent*: ùnde noster Scriptor vocat hæc attributa entis *essentialia*, qualiter *essentialia* vocat attributa Divinitatis, ob id quod ex essentia consequuntur. Ac tum convertit se ad Atomistas & ait, *sed quia vos, nec quid sit propium, quid attributum essentiale, quid accidens commune, quid accidens prædicabiliter & logice, quid accidens prædicamentaliter vel physice non vultis distinguere...... propterea in hæc & alia absurdissima proruitis, ut Deum infinitis accidentibus affectum dicatis.*

medium inter essentiam & accidens.

Dial. 51. n. 447.

XVI. Potest aliquid multipliciter accidere.

ROCCHIUS. Adhuc recidis, mi Pazzi, ut advertebat Philalethes de prioribus aliis verbis tuis, in quæstionem de nomine: & aliunde injuriam facis Aristoteli, qui non divisit ens in substantiam, proprium & accidens; sed tantummodò in substantiam & accidens; sicque satis significavit id, quod *proprium* Logici vocant, accidens esse, licet peculiarem modum habeat accidendi cum necessaria connexione. Atque in hunc modum eò redeo ut dicam id primum, quod est ac primò considerabile est in aliqua re, esse subjectum omnium cæterorum attributorum illius rei; & in hoc sensu esse substantiam ac veram essentiam illius rei; cui proinde substantiæ, sive essentiæ intelliguntur attributa hæc omnia cætera superaddi & accidere: in quo sensu accidentia dicuntur, & dicenda sunt generatim loquendo. Sed tum diversi sunt modi, juxta quos aliquid potest accidere, aut

intelligi accidere; de quibus, Domini mei, si me loquentem audieritis, videbitis Atomistas, Deo volente, non ignorare *quid sit proprium, quid attributum essentiale, quid accidens commune, &c.*

XVII. Alia sunt accidentia separabilia, & alia inseparabilia.

Itaque potest aliquid accidere, seu intelligi accidere multipliciter, uti necessariò atque immutabiliter, aut fortuitò & mutabiliter. Quem in modum pro necessariis atque immutabilibus accidentibus habentur illæ omnes perfectiones, seu proprietates rei, quæ habent indispensabilem connexionem realem cum illa, ita quòd licet possint ab illa per mentem præscindi, non tamen possint realiter separari: & hujusmodi perfectiones, seu proprietates non renuimus vocare substantiales, sive essentiales propter prædictam necessariam connexionem cum substantia, sive essentia. Sic talia attributa entis, *quòd sit verum, bonum, aliquid, unum* vocamus accidentia *necessaria, substantialia,* aut *essentialia*, ut quis voluerit: sic etiam pro talibus accidentibus agnoscimus, & similiter vocamus *necessaria, substantialia, essentialia*, ut quis maluerit, omnia Divinitatis attributa. Deinde pro fortuitis & mutabilibus accidentibus habemus cæteras omnes perfectiones, seu proprietates rei, quæ non servant connexionem indispensabilem cum re illa, & ideo cum illa interdum connectuntur, interdum non connectuntur, ita quòd non solùm separari ab illa mentaliter possint, sed adhuc realiter. Sic talia corporis attributa, quòd sit coloratum, figuratum, molle, asperum, &c. vocamus accidentia *fortuita* & *mutabilia.*

PAZZIUS. Audio te, mi Rocchi, loquentem satis Aristotelice.

XVIII. Palancus non loquitur Aristotelice.

ROCCHIUS. Non sufficit, mi Pazzi, volo ut advertas loqui me magis Aristotelice, quàm Palancum mox à te relatum, *Et similiter*, inquit, *in ente, quòd sit verum, bonum, aliquid, unum, nec est essentia metaphysica entis, nec sunt vera entis accidentia, sed medio modo se*

habent, &c. Aristoteles nullum medium admittit inter substantiam & accidens, Palancus autem vult mediare inter substantiam & accidens attributa illa entis, nempe *quod sit verum*, *bonum*, *aliquid*, *unum.* Uter nostrûm igitur magis Aristotelice loquitur? contendo ego nihil esse, quod non sit substantia vel accidens: ille verò ex adverso affirmat esse aliquid, quod inter accidens & substantiam mediat. Sed vide, mi Pazzi, quomodo vel invitus venit in sententiam meam, quando ait, *Nec sunt vera entis accidentia.* Fatetur itaque his verbis attributa illa entis accidentia esse entis, licet dicat non esse vera: ubi per τὸ *non-vera* nihil aliud intelligit, nisi quòd non sint accidentia entis fortuita & mutabilia, ob id quòd habeant necessariam connexionem cum ente, & eapropter necessariò consequantur ad illius substantiam, sive essentiam: sicque nostra hæc dissensio, si vis in verbis non fieret, facilè in consensionem transiret.

PAZZIUS. Neque tamen æque facilè ac putas, mi Rocchi: nam adhuc video infinitam propemodum distantiam inter nostras ac vestras particulares *substantiæ* & *accidentis* notiones.

ROCCHIUS. Fac, rogo, ut audiam aliquid particulare de vestris.

PHILALETHES. Haud dubie rogas aliquid novum, mi Rocchi: nam si bene meministi, multa sunt quæ de illis referebat heri Pazzius noster.

PAZZIUS. Novum aliquid afferam. Ecce quando agitur de divisione entis in substantiam & accidens, Atomistis placet nomen illud *substantiæ* correlativum esse ad accidens; hinc nullam esse substantiam sine accidentibus putant; quia substantia non est, inquiunt, nisi substet, substare autem nisi accidentibus non potest. At vide, mi Rocchi, quantùm circa particularem hanc substantiæ notionem distamus! Negat Palancus *quòd ratio, essentia, &*

XIX. Affertur nova notio substantiæ & accidentis.

Dial. 51. n. 446. *perfectio vera substantiæ sit correlativa ad rationem accidentis.* Et addit. *Potiùs enim ratio vera substantiæ est ratio entis omnino absoluti & per se existentis, quod quantò magis absolute & per se existit, tanto magis est substantia. Nec enim ratio substandi accidentibus est perfectio in ratione substantiæ; sed potiùs imperfectio annexa substantiæ creatæ titulo potentialis & mutabilis, sed repugnans omnino substantiæ divinæ titulo actûs purissimi per se subsistentis.* Neque minùs distamus circa notionem accidentis particularem, quam audi.

XX. Contradicitur præmissæ notioni. ROCCHIUS. Audiam deinde: interest ut seorsim hîc aliquid anticipetur contra vestram illam notionem substantiæ. Saltem, mi Pazzi, non negabis nomen *accidentis*, esse relativum: nam omne quod accidit, alicui utique subjecto accidit, & ita nomen *accidentis* secum affert relationem rei quæ accidit, ad subjectum cui accidit. Sed neque negabis nomen *subjecti* esse pariter relativum, quia omne subjectum, alicujus utique rei accidentis subjectum est: sive quod idem est, substat rei alicui accidenti, & in hoc sensu substantia est, & aliquid relativum est, ut vides: ita quòd divisio hæc Aristotelica entis in *substantiam*, & *accidens*, perinde sic enunciari potuerit in *subjectum* & *accidens*. Sed hoc nullatenus impedit quominus res, quæ relative ad accidens subjectum est, sive substantia est, sit sub alia ratione, scilicet per se ipsam, aliquid absolutum; imo ita necesse est esse, quia prius est aliquid esse, quàm referri.

XXI. Qualiter nomen substantiæ sit relativum. Atque ita nomen *subsistentia* habemus pro absoluto, nomen *substantiæ* pro relativo: sicque plus quàm satis intelligitur qualiter Divinitas sit in se ipsa res absolutissima, nempe in ratione subsistentis; sed tum quando consideratur in ratione subjectantis suas perfectiones, an non hæc ratio subjectandi relativa est? quid autem est ex terminis ipsis ratio subjectandi, nisi ratio substandi? quare ratio

substantiæ relativa est : neque de cætero hæc relatio ullatenus opponitur excellentiæ actûs purissimi in Deo : quando nec illi opponitur, quòd Divinitatem apprehendamus sub conceptu subjecti divinarum omnium perfectionum. Apprehensiones nostræ, mi Pazzi, res non immutant, licet illas multipliciter ac diverse attingant : neque hîc agitur inter nos de rebus deordinandis, sed de ordinandis rerum conceptibus: uti neque Aristoteles aliud, quàm hos conceptus nostros ordinare voluit, quando ens divisit in sua illa prædicabilia, & prædicamenta. Sed quid Aristotelicis actum est? putaverunt omnia illa quæ enumerabat seu prædicabilia, seu prædicamenta res esse, licet nihil sint nisi respectus logici, aut metaphysici, sub quibus considerari res possunt. Sic putaverunt genus, speciem, differentiam, proprium, accidens, substantiam, quantitatem, qualitatem, relationem, &c. res esse; & ideo sic omnia confuderunt, quando rerum meros respectus pro rebus ipsis acceperunt. Et jam quidem opto, ut transeas ad aliam particularem accidentis notionem, quæ forsan erit distinctior.

P A Z Z I U S. Distinctissimam audies, & procul positam ab æquivocationibus, quibus abundat ea, quæ à vobis profertur. Nam in divisione bimembri entis in *substantiam* & *accidens*, accipere soletis *accidens* pro eo omni, quod est prædicabile accidentaliter, sive ut Logici loquuntur, *in quale contingenter* : & ita illud confunditis per turpissimam Philosophiæ Aristotelicæ ignorantiam cum quinto prædicabili, seu cum quinto universali, quod vocamus *accidens*, & quod non est nisi accidens logicum. Et ut videas, mi Rocchi, quantùm hac in re diffidemus, *Scito Peripateticos*, verba sunt nostri Scriptoris, *accidens, quod dividitur contra substantiam in generali divisione entis, accipere tantùm pro accidente physico & prædicamentali, pro quo non intelligunt quamlibet formam pure intentionalem,*

XXII. Alia est notio accidentis apud Aristotelicos

Dial. 51. n. 449.

nec quemlibet conceptum objectivum secundarium nullam realitatem importantem, ut vos dicitis, nec item quodlibet abstractum metaphysicum nihil reale superaddens substracto, à quo abstrahitur; sed intelligunt veram & realem entitatem & actualitatem adjectitiam substantiæ, veramque & realem perfectionem, scilicet entis ex natura sua insubsistentis & inhæsivi, seu inhærentis substantiæ. An adhuc dices, mi Rocchi, quòd nostra hæc dissensio, si vis in verbis non fieret, facilè in consensionem transiret?

XXIII. Quid quid realiter aut objective accidit, accidens est.

ROCCHIUS. Adhuc id dico, quatenus res illæ, quas mere insubsistentes, mere inhærentes, mere adjectitias fingitis, verba sunt, prætereaque nihil; nam si vere res essent, vere producerentur, vere existerent, vere subsisterent ante omnem intelligibilem inhæsionem, aut adjacentiam: tales autem non sunt: quid igitur nisi verba sunt? Sed supponamus res hujusmodi esse & de illis siquidem inhærentibus, ac proinde accidentalibus intelligi posse *accidens*, quod dividitur contra substantiam in generali divisione entis, an hoc impedit quòd intelligi generatim non possit de omni alia re, quæ accidit, aut intelligitur accidere cuicunque subjecto? Quare ad generalem illam *accidentis* notionem non pertinebit quidquid habet verum accidendi respectum? & eapropter quare ad illam non pertinebunt accidentia logica? an illis deest objectiva veritas *accidendi*? aut si deest, ruit illico veritas omnium propositionum, in quibus illa prædicantur de suis subjectis: atque ita falsum erit hominem esse rationalem, hominem esse risibilem, hominem esse album, & sic de cæteris. Quapropter mihi plane persuasum est Aristotelem sub nomine *accidentis*, quod contra substantiam dividitur, intellexisse id omne, quod quocunque pacto aut reali, aut objectivo accidit, videlicet acceptum sub isto *accidendi* respectu.

XXIV. Proponitur

PHILALETHES. Neque multùm abest, mi Rocchi,

chi, quin hoc ipsum mihi suaseris, in quo nihil incommodi advetto; quin advetto è contra non parum commodi, si generatim ita dicitur omne, quod quocunque modo reali, aut intelligibili accidit alicui subjecto, accidens esse; uti omne cui aliquid quocunque modo realiter, aut intelligibiliter accidit, subjectum esse, & in hoc sensu substantiam esse. Hîc tamen unum est, in quo patior difficultatem, propter quam ad partes Pazzii fere me verterem; quia si accidens est quidquid aut realiter, aut intelligibiliter subjecto accidit, hinc sequitur nulli rei essentialem esse perfectionem ullam: omnis enim perfectio, rei aut illi accidit, aut illi concipitur advenire. Nosti autem qualiter apud omnes Philosophos, quin & Theologos accipiatur saltem pro essentiali prima illa perfectio, quæ rei advenit, aut intelligitur advenire: quare saltem hæc perfectio prima, licet adveniat, aut intelligatur advenire, sejungenda erit de numero accidentium. prima difficultas.

Alterum quod me torquet, refertur ad tritissimum in ore omnium modum illum loquendi, juxta quem nomen *substantiæ* nunquam relative, sed absolute semper accipitur: uti quum dicimus Deum esse substantiam, Angelum esse substantiam, hominem esse substantiam, &c. Nisi quòd cùm Aristoteles perinde potuisset dividere generatim ens in ens substans & ens accidens, & diviserit nihilominus in substantiam & accidens, videtur voluisse accipere *substantiam* absolute, ac proinde liberam ab illo substandi respectu, quem vos Atomistæ creditis per nomen *substantiæ* importari. His difficultatibus ego & Pazzius à te quærimus solutionem. XXV. Proponitur secunda difficultas.

ROCCHIUS. Illam facilè obtinebitis, Domini mei: ac per me quidem ex Aristotele, cui non displicuit rationem, quæ hominis est pars essentialis, prædicari de homine, ut accidentia prædicari de suis subjectis generatim solent, id est, *in quale*; sed tum *in quale quid* ad XXVI. Aliquid est essentiale & accidentale sub diverso respectu.

discrimen omnis alterius rei, quæ accidit, & non est pars essentialis compositi, quod intelligitur fieri ex subjecto, & perfectionibus omnibus subjecto advenientibus. Atque ita ratio & est pars essentialis hominis, & est accidens hominis sub diverso respectu: quod idem est ac si dicerem, ratio accidit homini, & non accidit homini, scilicet sub diverso respectu, hinc componendi, hinc accidendi: sic etiam risibilitas accidit & non accidit rationi: non accidit, quia perfectio est necessaria illius, accidit quia nihilominus concipitur illi advenire: atque in hoc sensu ratio evadit subjectum risibilitatis. Nihil itaque, Domini mei, timete ab his diversis respectibus, qui nec componunt res in se ipsis, nec dividunt à se ipsis, licet conducant ad hoc ut mens nostra illas distinctiùs aut conjungat, aut dividat. Neque de cætero torqueat vos, quòd nomen substantiæ soleat accipi absolute, id est, pro re subsistente, non autem pro re substante: loquamur ut loquuntur cæteri, quid inde? an non loquendum cum multis & sentiendum cum Paucis?

XXVII. Qualiter Deus possit vocari substantia.

Dicam ego ipse cum cæteris Deum esse substantiam, Angelum esse substantiam, hominem esse substantiam, &c. sed tum subintelligam apud memetipsum, ut subintelligi debet, hoc *substantiæ* nomen, quando de Divinitate in se accepta loquimur, æquivalere nomini *rei subsistentis*: & quando de illa loquimur prout est fons, origo, principium, subjectum perfectionum omnium divinarum, æquivalere nomini *rei substantis*, seu *subjectivæ*, quod utique nomen relativum est. Quod autem aiebas, Domine Philalethes, Aristotelem, qui potuit ens generaliter dividere in *ens substans* & in *ens accidens*, illud divisisse, in *substantiam* & *accidens*, unde conjicitur *ens substans* & *substantiam* esse duo diversa, solvitur hac responsione, scilicet non potuisse Aristotelem intelligere hîc per substantiam, nisi aliquid oppositum accidenti; nam una legum

legitimæ divisionis hæc est, quòd membra dividentia sint opposita: accidenti autem quid opponitur, nisi non accidere? At in omni re nulla est perfectio seu realis, seu intelligibilis quæ non accidat, aut non intelligatur accidere, præter illam quæ subjectat omnes, & quæ est veluti omnium basis: quare omnino consequitur hanc divisionem Aristotelicam entis in *substantiam* & *accidens*, intelligi, si legitima est, de ente substante & accidente: vel præsertim quia si nomen illud *substantia* non intelligitur de ente substante, seu prout substante, superest ut intelligatur de ente subsistente in se, seu prout subsistente in se: at inter id quod est præcise subsistere, & id quod est præcise accidere non est formalis oppositio, qualem esse opus est inter membra legitimæ divisionis.

Præterquàm quòd ex hoc quòd substantia postmodum dividatur in spiritualem & corpoream, quæ sunt membra dividentia concreta, necesse est per nomen *substantia* importari divisum concretum; quid autem esse potest illud concretum, nisi *ens substans*? Neque id non est satis in usu linguæ græcæ, quæ fuit lingua Aristotelis, ut ad significanda concreta proferantur nomina formæ abstractæ; quod in hoc casu factum esse non dubito: & sic illum adhibuisse pro significando ente substante, nomen abstractum *substantia*, quod præcise & formaliter acceptum non significat nisi rationem substandi, sive subjectandi, sicuti nomen *substantia* significat rationem subsistendi, & nomen *existentia* rationem existendi, &c. quem in modum ratio accidendi, seu ratio formalis, propter quam aliquid accidit, diceretur *accidentia*, id est, advenientia. Quod autem dixi satis in usu apud Græcos esse, ut pro significandis rebus concretis usurpentur voces formæ abstractæ, si non creditis, offero probare multis exemplis; nam cum illis hominibus, ut nostis, conversor satis familiariter.

XXVIII. Per substantiam intelligi debet aliquid concretum.

XXIX. Opponitur modus, quo accipi debeat nomen substantiæ.

PAZZIUS. Mihi verò nihil est cum illis. Mihi cum Latinis res est, qui nunquam acceperunt nomen illud *substantiæ* pro ratione formali substandi, & hactenus non audierunt illud *accidentia*, quo ais significari rationem formalem accidendi. Non sic, mi Rocchi, non sic agitur apud Philosophos, *apud quos*, ut sapienter notat Palancus, *minime permittitur rebus nomina mutare, nec nominibus aut verbis significationes invertere*. Ac tum addit, Quis autem ex antiquis hoc nomen *substantiæ* pro actu vel forma substandi usurpavit? ...... *Quis etiam hoc nomen* accidentia *in numero singulari pro actu, vel forma accidendi in Physica aut Metaphysica accepit usque ad novos Atomistas, qui de veritate & realitate controversiam non tam enodare, quàm obumbrare & confundere cupientes, significationes terminorum antiquissimas in Physica & Metaphysica invertere conantur?* Hinc igitur disce accipere nomina *substantiæ* & *accidentis*, non ut soletis, sed ut solemus: ut, inquam, solemus nos, qui præsumendi sumus Aristotelis hac in re mentem propiùs attigisse.

Dial. 51. n. 441.

ROCCHIUS. Nihilominus id præsumendum non esse probant rationes, quas attuli; sed quia, ut vides, mi Pazzi, res de qua jam agimus, licet nullius fere momenti videatur, ea tamen est, ex qua pendet salus aut ruina totius Philosophiæ quam sequeris, satis laudo quòd differas venire mecum in consensionem illius. Nec infrequenter id accidit, Domini mei, ut esse minutiæ videantur nonnullæ difficultates hinc & inde agitatæ, quæ nihilominus pertinent ad totius doctrinæ substantiam: & idcirco disputandæ sunt diu ac vehementer: licet id rideant qui nesciunt quantùm intersit ita disputare.

XXX. Ens debuit dividi in substans & accidens.

PHILALETHES. Unus eorum sum, Domini mei, non qui equidem rideam, sed qui stupeam & diuturnitatem & vehementiam vestræ hujus disputationis circa hæc duo nomina *substantiæ* & *accidentis*, de quibus, si annui-

tis decernam sensum veriorem, in quo accipi debeant; sed tum rogabo te, mi Rocchi, ut reveles mihi momentum hujus decreti; nam aliàs putabo rem valde arbitrariam decrevisse. Itaque omnino vellem ut ens, cujus nomen est formæ concretæ, fuisset divisum in membra, quorum nomina essent pariter ambo formæ concretæ: sic enim solent, uti debent, Philosophi concreta per concreta, & abstracta per abstracta dividere: qua ratione dividimus *colorem* in albedinem, nigredinem, rubedinem, &c. & *coloratum* in album, nigrum, rubrum, &c. Ideo minùs probo divisionem illam entis genericam in *substantiam* & *accidens*, propterea quòd τὸ *substantia* nomen sit formæ abstractæ, & è contra τὸ *accidens* nomen sit formæ concretæ: hinc enim arbitror incidi posse in multas æquivocationes valde contrarias inquisitioni veritatis.

Sed tum quid agetur ad pares æquivocationes tollendas? Id agetur quod Rocchius suadet: scilicet reputabitur Aristotelem per nomen illud *substantia* non intellexisse rem abstractam, uti *substantialitatis*, sed rem concretam, uti *rei substantis*: & in hunc modum divisio illa entis in *substantiam* & *accidens* æquivaleret isti entis in *ens substans* sive substantiale, & in *ens accidens*, sive accidentale: quæ de cætero divisio entis in ens substantiale & accidentale ita clara est, ut mihi plane persuasum sit divisionem istam entis in *substantiam* & *accidens*, non aliam in sensu vero Aristotelico esse, quàm illam. Sicque decerno Aristotelem per suam illam divisionem entis in substantiam & accidens noluisse, nisi opponere conceptum entis substantis, seu subjectivi conceptui entis accidentis, seu subjectati, suæque illius divisionis vim posuisse in hoc, quòd nullum ens sit quod non substet aut accidat, sive quod non subjectet aut non subjectetur, saltem conceptibiliter seu objective, aut ut aliter loquimur, metaphysice. Sed quum id decerno, quid si placet, mi Rocchi, de- XXXI. Aristoteles per subst. tantiam intellexit ens substans.

cerno, nisi rem quæ omnino nullius, aut fere nullius momenti est?

XXXII. Hinc pendet Aristotelismi ruina.

ROCCHIUS. Rem, optime Philaletes, decernis, quæ Aristotelismum totum convellit: sic enim rescindis truncum, unde falsò germinarunt innumerabilia genera illorum accidentium, quæ licet unice metaphysica sint, id est, unice intelligibilia & objectiva, reputata nihilominus ab Aristotelicis fuerunt physica, physice à suis subjectis distincta, physice ab illis separabilia. Quem in modum res omnes metaphysicas & physicas confuderunt inducendo ex Metaphysica in Physicam entia nihil seorsim per se habentia physicæ entitatis, nihil physicæ distinctionis, nihil physicæ separabilitatis, nihil ullius physicæ proprietatis. Quomodo non adverterunt, mi Pazzi, divisionem illam Aristotelicam entis in substantiam & accidens mere metaphysicam esse? aut si fortè id adverterunt, quomodo non intulerunt mere pariter metaphysica esse illius membra ideoque non consistere in rebus, sed in conceptibus?

XXXIII. Opponitur formas abstractas esse reales.

PAZZIUS. Adverterunt in divisione illa, mi Rocchi, & intulerunt ex illa quidquid seu adverti debuit, seu inferri; intellexerunt siquidem, ut intelligere debuerunt, entia metaphysica correspondentia divisioni entis in substantiam & accidens, licet aliàs abstracta, sive per formam abstractam expressa, nihilominus esse realia, omninoque diversa ab entibus chimæricis, de quibus Metaphysica nec curat, nec tractat, saltem *per se primò.* Verba hæc sunt nostri Scriptoris, *siquidem*, ut ait, *Metaphysica per se primò non agit de entibus rationis aut confictis per intellectum, sed de vero ente reali, licet modo abstracto; ac proinde quando abstracte considerat attributa entis realis v. g. veritatem, bonitatem & possibilitatem entis, illa considerat ut vere realia, ut verasque realitates entis, licet ab ipso realiter indistinctas.* Ac tu quidem, mi Rocchi,

Dial. 54. n. 464.

quam hîc habes subridendi causam ?

ROCCHIUS. Subrisi, mi bone Pazzi, ob id quòd non sim assuetus audire possibilitatem entis enumeratam inter veras entis realitates, quasi verò ens obtineat veram aliquam realitatem ex uno solius possibilitatis titulo. Semper audivi possibilitatem entis aliud nihil esse, quàm meram non-repugnantiam ad esse : & ecce audio isti non-repugnantiæ concessam à Palanco veram realitatem ; quâ viâ realitas & non repugnantia ad realitatem erunt pariter duæ realitates. Subrisi etiam ob id quòd veritas, bonitas & unitas non sunt proprietates reales entis, nisi quia sunt proprietates entis vere realis : at ens donec est possibile, non est adhuc reale : quomodo igitur potest mera possibilitas entis esse per anticipationem vera quædam realitas ? Quis temperaret à risu, si Philosophum audiret, qui affirmaret futuritionem alicujus entis esse veram aliquam & ideo actualem realitatem ? quantò itaque magis risui patebit id ipsum de possibilitate affirmatum ? Sed deinde mihi valde serium est, quod agnoscis per tua illa verba ex Palanco relata proprietates entis, scilicet veri & actualis, esse veras illius realitates, *licet ab ipso realiter indistinctas* : hinc enim infero universa entis realis accidentia esse quidem realia, sed ab illo nihilominus realiter indistincta : sicque firmiter stabilitur atomistica, corruitque proinde Aristotelica doctrina de accidentibus in communi. Capis, mi Pazzi, vim illationis ? XXXIV. Rei possibilis nulla est realitas.

PAZZIUS. Noli superbire in ista illatione tua, mi Rocchi. Audire debuisti verba sequentia, quæ uno spiritu relaturus eram, nisi subrisisses. Audi jam illa & advertes qualiter tibi omnino amputassent occasionem inferendi quod intulisti. *Cùm autem considerat* (Metaphysica) *modo abstracto accidentia substantiæ, ad novem genera pertinentia, non ea considerat ut quid pure logicum, aut ens rationis tantùm, sed ut veras realitates, actualitates, modos,* XXXV. Opponitur discrimen inter proprietates entis & substantiæ.

affectionesque reales substantiæ ipsi realiter contingentes & adjectitias. Vide hîc discrimen, quod ponit Palancus inter illas proprietates accidentales entis, & inter istas proprietates accidentales substantiæ: de illis dicit quòd sint veræ realitates entis, sed non dicit quod sint realitates adjectitiæ; quare affirmat illas esse ab ente realiter indistinctas: de istis docet quòd sint veræ realitates substantiæ; sed tum addit illas esse *ipsi realiter contingentes & adjectitias:* unde infert quòd sint *ab ipsa realiter distincta.* Sicque capis, mi Rocchi, nullam esse vim tuæ illius genericæ illationis, quam per istam particularem, si sapies, limitabis. Pergit Palancus & ad clariorem præfati discriminis evidentiam demonstrat in sequentibus duobus numeris duo esse genera accidentium abstractorum scilicet, & metaphysicorum, quorum alia efficiunt veram compositionem realem cum suis substratis; alia verò nullam efficiunt, sed identificantur cum illis: ad istud accidentium genus pertinent veritas, bonitas & unitas entis: ad illud verò pertinent quantitas, qualitas, relatio, actio, passio, &c. substantiæ, quam vere ac realiter componunt & à
Dial. 54. n. 466. qua proinde separari vere ac realiter possunt. *Et hæc est*, ut verbis utar nostri Scriptoris, *doctrina Peripateticorum clara & genuina.*

ROCCHIUS. Genuinam esse permitto: claram esse non admitto: & ut ingenue tecum agam, mi Pazzi, non conticuissem tamdiu, nisi fore confidissem, ut fortè à te aliquid clarius proferretur. Neque hîc nihil nisi confusissimum mihi erit, quandiu audiam abstractis quibuslibet metaphysicis, sive quibuslibet accidentium formis abstractis & abstracte spectatis realitatem aliquam præter nude ac mere objectivam attribui.

XXXVI. Proponitur agendum de qui-
PHILALETHES. Et ideo author sum, Domini mei, ut ad optatam elucidationem doctrinæ, quæ hinc & inde inter vos satis jam agitata est de accidentibus in communi,

ni,

ni, accedat quæstio de quibusdam accidentibus in particulari, de illis videlicet, quæ utilitatis esse possint expeditioris ad præsentis controversiæ solutionem. Etenim in hunc modum & clariùs vos intelligam & tutiùs judicabo. busdam accidentibus particularibus.

PAZZIUS. Atqui hæc est methodus, optime Philalethes, quâ usus est Scriptor noster; ad hoc enim, ut solidiùs stabiliret, quidquid de accidentibus universaliter affirmasset, descendit ad quædam particularia, uti quantitatis, & figuræ, de quibus nominatim, si jubes, instituetur unum alterumque colloquium, quando & ubi placuerit.

ROCCHIUS. Laudo methodum, in quam inclinatis, Domini mei; neque si placet ulteriùs quàm in crastinum res differatur; adeò sum impatiens audiendi quid sint celebria illa quantitatis & figuræ accidentia, quæ Palancus posuit in exemplum totius accidentalis multitudinis atque propaginis. Et eo fine, si annuis Domine Philalethes, cras ad te in hanc ipsam villam, quàm villulam vocitabas, ego & Pazzius ambo redibimus.

PHILALETHES. Imo tres redibimus; nunc enim vobiscum revertar in urbem, & revertendi causam urget nox imminens.





DIALOGUS OCTAVUS.

QUAM MALE SENTIANT Aristotelici de quantitate.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, ROCCHIUS, PAZZIUS.

I. Hic agetur de quantitate accidentali.

PHILALETHES. Parcite, Domini mei, si quid vestræ quieti ademit famulus, qui summo mane nomine meo vos ad proficiscendum excitavit. Timui, ne si profectio ad pomeridiem traheretur, impediretur à pluvia, quam subsolanus flans & ater hic color nubium comminantur. Quòd autem non distulerim esse itineris vestri socius, in causa fuit voluisse me providere atque ordinare res prandii: volui etiam ut ad accessum offerretur vobis paratus haustus chocolati peroptimi, ne jejuni vos committatis disputationi, quam hodie ardentem fore præsentio.

ROCCHIUS. Sic, Domine Philalethes, quidquid meditaris, ad urbanitatem summam perducis.

PAZZIUS. Sic non cepisti hodie tuis nos comitatibus ac liberalitatibus prævenire. Sed oh quis odor, quis sapor chocolati hujus! nihil conferendum cum illo habuisset olim immortale illud merum, quod Jovi & Superis, si fabulæ creditur, dum mediis discumberent in astris, manus Iliaca porrigebat. Ejus suspicor esse generis, quo me Rocchius pluries refecit.

PHILALETHES. Suspicari adhuc illud potuisti datum à Rocchio.

ROCCHIUS. Non memini me dedisse.

PHILALETHES. Ego verò memini me accepisse. Oh te quàm liberalem, quòd oblitus sis! oh me quàm ingratum, si obliviscerer! Sed quo pergitis Domini mei? non illa, sed ista via eundum est, qua cito perveniemus ad querceam fondosam porticum, satis tutam & ab imbre, si pluerit &, à Sole si arserit. Cæterum ab omni tumultu testimonioque remota est, sicque oportuna disputationibus vestris, quæ interdum altiùs sonant & vehementiùs effervescunt: absit tamen ut hinc eas vituperem: scio quòd nimis alte sonare, nimis vehementer effervescere non potest defensio, vel solùm credita, veritatis: an altiùs, aut ferventiùs pro aliqua re, quàm pro veritate pugnandum est? At, quæ misera est Philosophorum conditio! tam alte, tam ferventer adversùs veritatem, quàm pro veritate pugnatur: & id quidem ab altero vestrûm, Domini mei, quibus utrisque ob id condoleo, donec utrisque veritas pateat, pro qua pugnat alter, ab altero impugnata. Et grandis quidem momenti, aut fallor, illa est, quæ hodie à vobis discutienda est circa quantitatem accidentalem; quia enim veluti quædam basis est, id ita sentientibus Aristotelicis, accidentium cæterorum, aut stare si steterit, aut ruere, si ruit, opus est universa. II. Difficultas de quantitate magni momenti est

PAZZIUS. Agnosco momentum illud, Domine Philalethes, & ideo te annuente omittam nihil ex omnibus ratiociniis ac experimentis, quæ Palancus profert ad stabiliendam illam quantitatem accidentalem ex se ipsa realem, & ideo realiter distinctam ab omni subjecto, cujus est quantitas: sic enim via patebit ad admittendam in accidentibus cæteris parem realitatem ac distinctionem.

ROCCHIUS. Sed omnino vellem, mi Pazzi, ut ratiociniis illis ac experimentis à te afferendis præirent aliqua ex me interrogata de accidentibus abstractis vel physicis, vel metaphysicis, de quibus Palancus ipse scripsit III. Quæritur quid sint accidentia abstracta.

dialogum quinquaquesimum quartum, veluti ex necessitate præambulum ad illa eadem ratiocinia & experimenta, quæ ex illo afferre paras. Et certe nisi à te plene satisfiet his meis interrogatis, intellige modicam apud me vim habituram illam à te jactatam ratiociniorum & experimentorum congeriem.

PAZZIUS. Ego verò reputabam, mi Rocchi, nihil tibi de accidentibus illis abstractis vel physicis, vel metaphysicis superesse posse difficultatis post hesternum colloquium; age tamen, ut volueris: si fortè potius tua illa interrogata Philalethi nostro non videbuntur omittenda.

PHILALETHES. Imo avidus sum audiendi, præsentiens utilia fore ad decisionem controversiæ institutæ.

IV. Abstractum prout abstractum non est reale.

ROCCHIUS. Ago itaque tecum, mi Pazzi, & quæro quid intelligat Palancus per accidentia abstracta, vel physica, vel metaphysica, de quibus inscripsit suum illum prædictum dialogum quinquagesimum quartum his verbis, *Quomodo accidentia sint abstracta, vel physica vel metaphyca, vere tamen entitates reales*: nam in his verbis non multis multa sunt quæ ad contradictionem accedunt, ad contradictionem apparentem aio, donec illam amoveas. Entia abstracta esse physica, esse realia, poteftne sine contradictione affirmari? nam entia abstracta non sunt, nisi entia per cogitationem ab aliis præcisa & ita seorsim cogitata: unde prout abstracta sunt, non utique sunt nisi entia mere objectiva. Quare accidentia, quæ à Palanco vocantur abstracta, si vere abstracta sunt, & ideo extra mentem abstrahentis non sunt, quomodò esse physica, esse realia possunt?

PAZZIUS. Id, mi Rocchi, vobis arduum videtur, quia, ut Palancus notat, *non vultis intelligere Peripateticorum doctrinam, qui tamen clare se explicant distinguentes inter abstracta & abstracta, concreta & concreta.*

Dial. 54. p. 463.

V. Ostenditur

ROCCHIUS. Distinctionem proponis adhuc magis

contradictoriam, quando per eam subindicas alia quidem abstracta esse physica & realia, & alia ex adverso esse, quæ contendis physica & realia non esse. Quod erit dicendum pariter de concretis, quorum aliis physicam realitatem tribui oportebit, aliis denegari. Nihilominus si omnis abstractio est, uti revera est, opus mentis, nullum alibi quàm in mente abstractum est: & ex hac parte nullum inter abstracta & abstracta discrimen est. Rursus sicut actio abstrahendi est opus mentis, sic actio reddendi suis subjectis formas abstractas, per quam utique actionem fiunt concreta, est similiter opus mentis: & ideo nullum esse discrimen potest inter concreta & concreta, quæ utique omnia perinde ac abstracta, extra mentem non sunt. contradictio in verbis Adversarii.

PAZZIUS. Doleo, mi Rocchi, quòd in tantùm distes à mente nostri Authoris: ecce non accipit ille, ut putas, accidentia abstracta reduplicative ut abstracta, sive ut à suis subjectis præcisa & seorsim ab illis considerata; sed illa potiùs in suis subjectis considerat: & eapropter affirmat esse physica & realia.

ROCCHIUS. Ego verò, mi bone Pazzi, doleo quòd in contradictionem aliam recidisti, dum accipis tua, nescio quæ, accidentia & simul ut abstracta juxta hypothesim, & simul ut non abstracta contra hypothesim: sic enim, ut patet ex ipsis terminis, quando considerantur in suis subjectis, non accipiuntur ut abstracta. De cætero autem satis supponitur accidentia, si quæ sunt in subjectis, esse physica & realia, ea scilicet realitate quæ subjectorum est; sed difficultas est de accidentibus, quæ nostra consideratio separat à subjectis: ac tum de illis ita per considerationem separatis quæritur, an aliquam seorsim ab illa, quæ subjectorum est, realitatem obtineant. Quid ais? VI. Ostenditur alia contradictio.

PAZZIUS. Aio redire nos oportere ad discrimen,

quod posuit Palancus inter abstracta & abstracta, & explicuit per discrimen alterum, quod est inter concreta & concreta. Audi Palancum. *Est enim*; inquit, *concretum essentiale, seu substantiale, & concretum accidentale.* Tum addit, *in concreto quidem essentiali, quod tantùm est concretum ex modo significandi, abstractum prædicatur de concreto per identitatem: unde ens est entitas, bonum est bonitas, reale est realitas, verum est veritas, unum est unitas, Deus est Deitas,* & sic in aliis. *Concretum verò Physicum accidentale est, in quo forma, seu abstractum adjacet physice subjecto...... & in his negamus abstractum prædicari identice de concreto....... unde falsum est quòd album sit albedo, quòd calidum sit calor, quòd Logicus sit Logica, &c.*

Dial. 54 n. 463.

II. Quid sit concretum essentiale & accidentale.

II. ROCCHIUS. Bene est, mi Pazzi; nullam hîc contradictionem arguo: si tamen ego sic loquerer, vererer ne quis de aliqua me argueret: nam *concretum essentiale, seu substantiale* per se nihil aliud sonat, quàm concretum ex essentiis, sive substantiis, & hoc concretum videtur impossibile; quia eorum quæ concretum efficiunt, non omnia se habent æque primò ad illud, uti nec omnia se habent æque primò ad invicem: sed ex omnibus unum est, quod in eo ante omnia esse concipitur; & illud est essentia, sive substantia concreti; cætera verò se habent ad illud accidentaliter. Quo pacto necesse est omne concretum complecti & aliquid essentiale, sive substantiale, & aliquid non essentiale, sive non substantiale, id est, accidentale: & sic nullum concretum denominari essentiale potest simpliciter: nullum quoque ob hanc ipsam causam denominari accidentale potest; quatenus accidentia concreti supponunt essentiam, sive substantiam concreti. Igitur omne concretum est ex essentia, sive substantia, & accidente, sive accidentibus quæ concipiuntur advenire illi, ut illa concipitur eis præjacere. Sed nolo vim facere in nominibus.

Venio ad exempla, quæ attulisti de duplici genere concretorum: nam circa concretum essentiale dixisti ens esse entitatem, bonum bonitatem, &c. quæ causa est propter quam abstractum prædicari de concreto potest, dicendo *ens est entitas, bonum est bonitas, &c.* de istis tamen & similibus prædicationibus in vero & nativo sensu, scilicet in sensu formali acceptis dico quòd falsæ sunt. Nam concretum dicit subjectum & formam, id autem quod est simul subjectum & forma, non est forma præcise: nisi quòd si verum esset ens esse entitatem, bonum esse bonitatem, verum esse veritatem,&c.hinc sequeretur veritatem esse bonitatem, & reciproce, ob id quòd ea quæ sunt eadem cum uno tertio, sint eadem inter se; hîc autem bonitas & veritas essent idem cum ente; atque ita identificarentur, quod falsum est in sensu formali, sive quod idem est, in sensu logico ac metaphysico, quidquid sit de sensu physico, ad quem in prædicationibus formalibus non attenditur. Deinde circa concretum accidentale dixisti ex adverso non posse abstractum de concreto prædicari; *unde*,ut refers ex Palanco, *falsum est quòd album sit albedo, quod calidum sit calor, quòd Logicus sit Logica, &c.* Sed ad hoc ut istæ prædicationes sint falsæ, nunquid similiter sufficit quòd abstractum importet solam formam, concretum autem importet subjectum simul & formam; unde quamvis albedo nullius seorsim esset singularis realitatis, perinde falsum esset quòd album sit albedo, quia concretum in sensu formali, in sensu logico ac metaphysico, non potest idem cum abstracto esse. Unde concludo, Domini mei, hæc omnia quæ Palancus hîc coacervat de discrimine inter abstracta & abstracta, inter concreta & concreta,nullius fore utilitatis ad sententiam, quam stabilire meditatur de quantitate accidentali. VIII. Contradicitur exemplis adductis ab Adversario.

PHILALETHES. Ego verò, Domine Rocchi, nollem id tecum adeò præcipitanter concludere: accidit e-

nim frequenter, ut Authores in principiis, quæ præjaciunt, videant consequentias, quas illico non advertunt Lectores: quare antè audiendus fuisset Pazzius circa connexionem, quæ præsumi debet inter doctrinam quæ hìc præmittitur, & illam quæ mox eruitur ex præmissa.

IX. Quæ fuerit mens Adversarii in prinipiis jactis.

ROCCHIUS. Sed forsan id mecum concludere non distulisses, nec posceres audire Pazzium, si advertisses Palancum minùs fuisse sollicitum de eruenda consequentia ex principiis, quàm de principiis accommodandis consequentiæ, quam ut indubitatam supposuit. Itaque præsupposuit, ut Aristotelicis mos est, quantitatem accidentalem esse realem aliquam & physicam entitatem, realiter ac physice separabilem à suo subjecto: Tum vidit *quantitatis* nomen esse abstractum, & ideo *quantitatem* esse formam abstractam, sive accidens abstractum, ut loquitur: & deinde quia generatim quidquid abstractum est, per mentem utique abstractum est, nec habere propterea nisi entitatem objectivam potest, ideo ad rem suam præmittere debuit esse aliqua saltem abstracta, quibus propria est physica & realis aliqua entitas. Quin etiam ideo præmisit, & ad illustriorem quidem futuræ illationis pompam, omnia accidentia abstracta, de quibus Metaphysica tractat, esse realia; sic tamen ut alia quidem habeant solam realitatem sui subjecti, alia verò habeant realitatem propriam & ideo separabilem ab illa, quæ est subjecti: prioris generis sunt, inquit, entitas, bonitas, realitas, veritas, possibilitas, &c. posterioris verò quantitas, qualitas, actio, passio, &c. quâ viâ præparat suæ quantitati accidentali entitatem realem ac physicam.

X. Sed hæc principia fuerunt aliunde probanda.

Sed si placet, Domine Philalethes, non sufficit Authori proponere meditata principia, unde præconcepras consequentias eruat, quoties aliunde illa quàm ex ipsis consequentiis non probantur, ut accidit in hoc casu, præter falsam generalem hypothesim de abstractis realibus: nam hoc

hoc ipsum est, quod contenditur & probatur abstracta nullam habere realitatem; aut si quis dixerit, quòd saltem habeant realitatem sui subjecti, jam abstracta non sunt; nam non ab alio quàm à subjecto abstracta sunt. Vide tandem, quò tendit totus discursus Adversarii nostri. Accidentia abstracta omnia, de quibus in Metaphysica tractatur, sunt entia realia, opposita scilicet fictis & chimæricis, de quibus saltem ex professo non tractat: illorum autem aliqua non habent, nisi realitatem sui subjecti, uti bonitas, veritas, unitas, possibilitas, &c. alia verò singularem & propriam habent realitatem, uti quantitas, qualitas, actio, passio, &c. Igitur quantitas est aliquod accidens reale separabile à suo subjecto realiter. Quam consequentiam in æternum negabo.

XI. Quæ sit consuetudo loquendi in concreto & in abstracto.

PHILALETHES. Patientiorem te præbe, mi Rocchi, neque dicas *in æternum negabo*, donec audieris alia ratiocinia & experimenta nova, ad quæ referenda pro demonstratione consequentiæ illius video Pazzium nostrum in promptu esse: sed sustine, oro, mi Pazzi, & retine paulisper verbum conceptum, donec paucula dixerim, quæ fortè proderunt ad rem præsentem. Itaque indubitatum mihi est difficultates innumerabiles enatas in rebus Philosophicis fuisse, atque hinc ad res Theologicas transiisse propter duos modos loquendi nunc in concreto, nunc in abstracto, quibus Philosophi & Theologi, perinde ac vulgus hominum, passim atque indifferenter utuntur. Ecce indifferenter quæritur an aliquis sit sanus & an illius sanitas bene habeat: an sit gratus Principi, & an gratia polleat apud Principem: an sit pacificus & an amet pacem: an sit misericors & an habeat misericordiam, &c. Hinc sunt multi adeò hebetes, ut putent valetudinem, gratiam, pacem, misericordiam, &c. esse reales totidem entitates, sine quibus realiter præproductis & afficientibus & immutantibus sua subjecta homo neque sanus esset,

neque gratus, neque pacificus, neque misericors, &c.

XII. Illa consuetudo abiit in abusum. ROCCHIUS. Imo dic in universum, optime Philalethes, nullam esse assignabilem formam abstractam per quodcunque nomen abstractum expressam, quæ non repererit sui defensores pro realitate singulari & propria; ad hoc enim illis satis fuit, quòd considerari potuerit per modum actûs, uti subjectum per modum potentiæ; quam ex actu & potentia concretionem, sive compositionem, affirmaverunt esse veram & realem; intelligentes hominem v. g, esse per essentiam distinctam, existere per existentiam, esse sapientem per sapientiam, justum per justitiam, intelligere per intellectionem, velle per volitionem, agere per actionem, &c. Unde non est mirum, quòd perinde falsò asseruerint rem omnem corpoream esse quantam per quantitatem, scilicet ab illa realiter distinctam, & ab illa proinde realiter separabilem. Sed non adverto non debuisse me sic loqui, donec audierimus Pazzium de hac quantitate Aristotelica disserentem. Valde aveo scire, Domine mi Pazzi, quid solidi, quid novi habeas ad illam physice probandam.

XIII. Demonstratio Adversarii pro quantitate. PAZZIUS. Ad singularem quantitatis entitatem physice probandam utitur Palancus demonstrationibus multis, tum in generali, tum in particulari, easque communit experimentis pariter multis. Audiamus illum sic loquentem. *Prima,* (demonstratio) *est in generali, quia substantia creata, præsertim corporea, essentialiter est potentialis & mutabilis intrinsece, tum ab experientia manifesta, quia videmus substantias corporeas frequentissime alterari & mutari intrinsece in seipsis. Tum à ratione evidenti, quia essentialis immutabilitas intrinseca est attributum propriissimum Dei, titulo actûs puri in omni genere perfectionis, &c.* Ac deinde, *Id ipsum clariùs patet discurrendo per singula prædicamenta. Etenim substantia corporea est mutabilis intrinsece de majori ad minorem quan-*

titatem, ut patet quando mel, aut lac calore rareſiunt....
idemque de qualitate......

ROCCHIUS. Omitte, oro, mi Pazzi, exempla cæterorum accidentium: hîc tantùm agitur de quantitate accidentali, quæ ſi phyſice probetur, ſatis eſt ad controverſiam præſentem. Attendo jam ad verba ex Palanco mox relata, & in quibus non invenio primam illam demonſtrationẽ ab ipſo promiſſam. Ait ſubſtantiam creatam, præſertim corpoream, eſſe potentialem eſſentialiter & mutabilem intrinſece. Addit hanc mutabilitatem conſtare ab experientia. Tum hujus mutabilitatis rationem, quam evidentem eſſe pronunciat, petit ex notione actûs puri convenientiſſima Deo & inconvenientiſſima ſubſtantiæ creatæ, ac præſertim corporeæ. At hîc nullam adverto demonſtrationem, qua convincat quantitatem accidentalem eſſe realem entitatem & phyſicam, realiter & phyſice ſeparabilem à ſuo ſubjecto. XIV. Oſtenditur nullitas demonſtrationis.

PAZZIUS. In hunc modum cæci lucem non vident; ſi quid eſſet clarius luce, id forſan viderent: & ecce, mi Rocchi, aliquid clarius luce in verbis poſterioribus, quæ referebam & ad quæ non attendiſti. *Id ipſum clariùs patet*, inquit Palancus, *diſcurrendo per ſingula prædicamenta. Etenim ſubſtantia corporea eſt mutabilis intrinſece de minori ad majorem quantitatem, ut patet quando mel, aut lac calore rareſiunt, &c.* An negabis mel & lac rarefieri à calore? an negabis ea, quum rarefiunt vi caloris, mutari de minori quantitate ad majorem? an negabis hanc mutationem eſſe intrinſecam? an negabis ea, quibus ſic contigit ab intrinſeco mutari, fuiſſe antè ſic mutabilia? An negabis ea ſic fuiſſe mutabilia, quia potentialia erant, & in hoc degenerantia & diſtantia in infinitum ab illa immutabilitate intrinſeca, quæ eſt propriiſſimum attributum divinitatis fundatum in titulo actûs puri? an omnia, an non omnia hæc negas? an hæc capis, an hæc non capis, quid ais? XV. Affertur explicatio demonſtrationis.

XVI. Negatur dari rarefactionem philosophicam.

ROCCHIUS. Nego rarefactionem illam præsumptam tui mellis & tui lactis. Tum aio duo esse cæcorum genera, non videntium quæ sunt, & videntium quæ non sunt: ad hoc alterum genus pertinetis, cum pace dixerim, mi Pazzi, quando videtis & rarefactionem quæ nulla est in vestro illo melle ac lacte, & mutationem intrinsecam & mutabilitatem intrinsecam, & potentialitatem intrinsecam utriusque perinde nullam; vide quot sunt quæ videtis & hæc non sunt: an adhuc & nos cæci erimus, quando quæ non sunt non videmus? Explico me. Rarefactio, de qua loqueris, in sensu vulgari aliqua est; in sensu Philosophico nulla est: in priori aliqua est, quandoquidem vulgus, cujus sermoni morem gerimus, rarefactionem generatim vocat omnem expansionem alicujus materiæ in spatium amplius dilatatæ, ac præsertim omnem hujusmodi liquidorum quorumlibet expansionem, quæ fit vi caloris in ollis & similibus vasis, in quibus ad eum effectum liquida reponuntur. Vulgus itaque videt liquida in iis vasis contenta, igne supposito aut aliter admoto sensim agitari, ebullire, attolli, exundare, sicque dilatari & ampliari localiter; tum hanc ampliationem localem designat vocabulo *rarefactionis*; sed de cætero non disquirit vulgus quid rei physicæ sit, aut non sit; quis sit modus physicus quo fit, aut non fit illa sensibilis localis ampliatio substantiæ liquidæ, uti mellis, lactis, aquæ, &c.

XVII. Explicatur quid sit rarefactio philosophica.

Deinde in sensu posteriori, (quem philosophicum voco, propterea quòd Philosophi debeant attendere ad res ut vere sunt, magis quàm ad res ut apparent,) contendo neque mel neque lac, neque liquidum ullum aliud assignabile rarefieri unquam, vel etiam rarefieri unquam naturaliter posse. Ratio manifesta est: quia licet liquidum vi caloris suppositi, vel utcunque admoti agitetur, ebulliat, attollatur, exundet, nulla tamen est illius pars assig-

nabilis, quæ per se solito majorem locum occupet. Totum equidem liquidum videtur occupare locum solito majorem, uti quadruplò, aut etiam decuplò majorem; sed nihilominus res ita non est, nisi attendendo ad partes illius liquidi singulas, comperiatur eas occupare locum solito majorem, scilicet in quadruplum, aut in decuplum, &c. At hoc non comperitur, sed sola hîc comperitur dissociatio partium, quæ per illam magis separantur ab invicem, & ita compelluntur ad ascendendum in olla, & ad exundandum juxta vim & vehementiam caloris partes prædictas dissociantis.

Audi me adhuc, mi Pazzi; aliquando globulum lanæ compressæ accipimus: ac deinde paulatim lanam illam distrahimus digitis & dilatamus, ut volumus, in globum forsan decuplo majorem: an eapropter lana illa vere rarefit, vere occupat locum suo majorem? minime. Cogita partes illius fuisse dissociatas, cogita interstitia earum crevisse in decuplum, & in hunc modum facilè capies apparentem illam lanæ rarefactionem, non esse utique veram; si per veram rarefactionem intelligitur, quòd lana illa ratione sui totius, & ratione singularum sui partium majorem occupet locum; quandoquidem nulla est pars, quæ licet ad novum locum distracta fuerit, occupet alium nisi suæ moli proportionatum. Atqui non aliter accidit in præsumpta illa rarefactione, quæ in exemplum adducta est, mellis & lactis. XVIII. Affertur exemplum lanæ dilatatæ.

PAZZIUS. O quis quantusque tuus hic error est, mi Rocchi. Lanam illam, quæ sic discerpta atque distracta, localiter ampliatur, nemo nostrûm vocat proprie ac philosophice rarefactam. Apparent enim majora interstitia partium, & aliunde apertus est modus, quo per laborem, & industriam digitorum partes lanæ illius dividuntur ac distrahuntur: unde non opus est recurrere ad novam ullam quantitatem majorem productam. XIX. Opponitur aliud genus rarefactionis, quæ non fit sine nova quantitate.

At in exemplo mellis aut lactis rarefacti omnino aliter res habet: quia nisi calor talem quantitatem producat, mel illud aut lac non poterit localiter ampliari. Hîc scilicet locum non habent interstitia partium ulla, quæ videamus: hîc locum non habent ulli digiti, qui dissocient ac distrahant partes: quomodo igitur hîc fiet ampliatio ulla localis sine subsidio quantitatis majoris per calorem introductum productæ?

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, locum hîc habent interstitia partium multa, licet ea minùs ad sensum pateant: hîc locum habent digiti mobilissimi, acutissimi, frequentissimi, qui dissociant partes & distrahunt & dilatant & attollunt; sed istos digitos solo intellectu videbis, quando intelliges calorem igneum aliud nihil esse, quàm exitissima, & vividissima simul corpuscula, quæ per poros ollæ intromissa incurrunt in poros & in partes mellis & lactis, sicque illas divellunt, agitant, susquedeque movent, & exaltant usque ad exundationem.

XX. Corpuscula ridentur ab Adversario.

PAZZIUS. Mirabar, Domine Rocchi, te tamdiu silere tua illa corpuscula; hæc nisi advocaveris, periisti: periisti tamen, quia Palancus illis occlusit omnem aditum ollæ, quando illam supposuit æream, atque ita nullis rimulis, nullis aperturis patentem igni supposito. Quare ad suum Atomistam de poris ollæ illius æreæ loquentem conversus ait, *Sed hæc vestrorum fabula est: nam certe etiam à parte inferiori vicina igni olla ærea continua est, nullaque foramina nullasque rimulas, vel aperturas habere potest*: & rationem addit.

XXI. Ratio Atomistarum contra rarefactionem.

PHILALETHES. Retine, Domine mi Pazzi, hanc rationem, cui haud dubie contradiceret Rocchius: & ita dum hæc particularis altercatio protraheretur, mihi forsan evanesceret ratio, qua suadeor te male locare operam tuam in dissuadenda Rocchio impossibilitate naturali, pro qua militat, rarefactionis proprie dictæ, seu philosophicæ.

Nam Atomistæ impossibilitatem illam clare stabiliunt in atomis ipsis, quarum nulla occupare naturaliter unquam potest locum atomo majorem; hinc omnium ac singularum atomorum loca mutari quidem possunt, sed augeri minuive non possunt; sicque nec augeri, nec minui potest locus totalis ex omnibus illis singulis partialibus locis resultans. Unde quando agitur de melle aut lacte per ignem ollæ suppositum ebulliente ac exundante, nunquam nisi antè convincantur atomos non esse, convincentur locum mellis illius, aut lactis fieri revera majorem, licet major fieri videatur iis, qui res non ut sunt, sed ut apparent, perpendunt. Deinde nullius atomi, si fortè non desinit esse atomus, quantitas augeri potest; sic enim desineret esse omnium minima, & ita non esset quantitas atomi contra hypothesim. Vide jam igitur, mi Pazzi, quàm procul Atomistæ absint ab opinione, in qua vivunt Philosophi Aristotelici, rarefactionis veræ cujusvis factæ in quocunque liquido assignabili per mutationem illius de minori ad majorem quantitatem. Atque ut verum fatear, valde triumphant in rebus istis ad rarefactionem pertinentibus, si de vera & proprie dicta & rigorose philosophica rarefactione sermo est

XXII. Affertur alia ratio, & æque valida.

Nam equidem vobis opus est recurrere ad calorem productivum novæ majoris quantitatis, licet facilius non videatur quantitatem à calore, quàm calorem à quantitate produci; etiam stando in principiis vere Aristotelicis, juxta quæ non est verisimile res tam dissimiles à tam dissimilibus generari. Sed jam quidem, Domine mi Pazzi, potestatem tibi facio redeundi ad rationem, propter quam Palancus putat ollam, quam supposuit æream, non modò nullis rimulis & aperturis patere subtus ad admittenda corpuscula ignis suppositi, sed nec etiam patere posse. Si fuissem ego Palancus non modò supposuissem æream ollam illam; sed post immissionem

paululi mellis,aut lactis adhuc suppofuissem illam clausam operculo similiter æreo & hermetice agglutinato:sic enim non tantùm à parte inferiori& laterali,sed etiam à superiori interdictus omnino fuisset omnibus igneis corpusculis ingressus in ollam illam: & nihilominus perinde facta fuisset mellis illius, aut lactis rarefactio citra exundationem in olla illa. Audiam nunc libentissime rationem,quam referre cœperas, & quam me rogante retinuisti.

XXIII. Opponitur ollam non posse habere poros. *Dial.* 55. *n.* 471.

PAZZIUS. Ratio itaque à Palanco adducta propter quam olla illa ærea nulla foramina, nullas rimulas,vel aperturas pro excipiendis corpusculis igneis idoneas habere potest; hæc est, quia videlicet illas habere non potest *nisi per divisionem continuitatis, quæ divisio continuitatis in ære ipso minime fieri potest per ignem, cùm potiùs si aliqua foret divisio anterior in ære ipso ollæ, per ignem continuaretur, cujus est homogenea congregare.* Ac tum sic concludit, *Est igitur prorsus fictitia & arbitraria illa pororum apertio, qua ingrediantur ignis corpuscula intra ollam ad replendum illud spatium*: ac tandem ad conclusionis abundantiam ait, *Nam quis vestrûm vidit aut sensu aliquo percepit illas rimulas, aut poros apertos in inferiori parte ollæ vicina igni? Certe nullus. Est igitur fabula, qua vestros Atomistas deluditis.* Ergo pudeat deinceps Atomistas omnes vel os aperire de suis illis sive poris, sive corpusculis.

XXIV. Probatur necessitas corpusculorum.

ROCCHIUS. Et nihilominus donec erunt corpora, Domine mi Pazzi, erunt corpuscula; seu velit, seu nolit Palancus. Nam corpora esse non possunt sine omnibus illis exilissimis partibus, ex quibus seu prioribus, seu primis componantur; hujusmodi autem partes corpuscula sunt, & meritò sic vocantur ad discrimen à corporibus,quorum sunt partes. Et certe mirum est Aristotelicos hîc odisse corpuscula, quando ipsi etiam in quocunque corpusculo assignabili admittunt innumerabilia corpuscula minora & minora in infinitum: quæro enim an non corporales sint

partes

partes illæ omnes proportionales, in quas sine fine dividi posse aiunt corpus & corpusculum qualecunque assignabile? corporales utique sunt; sunt igitur corpuscula, quorum proinde numerum innumerabiliorem quàm nos, vel inviti admittunt. Tum similiter velit nolit Palancus, donec erunt corpora, & corpuscula illorum corporum, erunt etiam pori propter non-actualem, & fortè non possibilem tot corpusculorum unionem immediatam: dixi ***non-actualem***, quia nullum est, quod sciatur, corpus infinite densum: est igitur omne corpus aliqualiter rarum: & ideo non vacat poris, pro quorum majori aut minori apertura, vel copia plus minusve rarum efficitur.

XX Probat. etiam necessitas pororum.

Dixi etiam *fortè nonpossibilem*, quia talium corpusculorum figuræ sunt incredibiliter variæ: & ideo nec sunt, nec esse possunt omnes idoneæ ad faciendum vinculum unionis immediatæ, quâ sublatâ necesse est illa disjungi quibusdam interstitiis, ac proinde poris. Sicque non video, cur Atomistas pudere debeat loqui de poris & de corpusculis, quando natura nihil sine poris & corpusculis operatur. Mirum etiam est, Domini mei, Aristotelicos in hoc casu rarefactionis nec ferre poros in olla ærea, nec corpuscula ignis per eos subeuntia. An non in ea u alio machinæ Boylianæ pneumaticæ, cujus ope aër globi vitrei attrahitur & expellitur, dicunt nunquam tamen fieri posse ut omnino globus ille vacuus fiat; quia videlicet in locum aëris communis respirabilis, qui attrahitur & expellitur, subingrediuntur per poros vitri corpuscula ætheris, sive aëris purioris. Ergone ad arbitrium vestrum erunt in vitro pori & in ære non erunt: erunt aëris & non erunt ignis corpuscula?

XXV' Oppi iterum tali. olli non l d poros.

PAZZIUS. Nolo, mi Rocchi, nolo, si placet, digredi ad illam machinam, aut ad quæstionem nimis vagam de poris & corpusculis; hæreamus in exemplo proposito mellis, aut lactis in olla ærea rarefacti. Contendit itaque

Palancus illam rarefactionem esse veram ac proprie dictam, quia mel illud, aut lac, quod occupabat forsan partem decimam ollæ, totam ollam mox occupat: alioqui partes ollæ inferiores vacuæ essent: hoc negant Atomistæ, quia subingressa ignis corpuscula occuparent illas. Contra instat Palancus & ait ollam illam æream non habere infra se poros, imo nec habere posse; quia potiùs si qui essent, ignis assurgens illos stringeret, & suam æri continuitatem redderet; quia videlicet ad ignem spectat homogenea congregare, & ita partes æris illius homogeneas copularet pro continuitate, quam pori non permitterent, procuranda. Ad hanc rationem urgentissimam nominatim quid ais?

XXVII. Falsum est quòd ignis resarciat poros ollæ, si qui essent.

ROCCHIUS. Aio nos & quotquot sumus novarum adinventionum amantes, esse plurimùm debitores Palanco hujus æque utilis ac mirabilis artificii, quod ad restaurandam ollam variis foraminulis in fundo pertusam non opus erit deinceps, nisi valido igne supponendo: hic etenim ignis, *cujus est homogenea congregare*, revocabit ad invicem partes æris illius homogeneas, sicque medebitur foraminulis: imo & foraminibus majoribus quibuslibet, dummodo ignis validior supponatur; quandoquidem ut se habet ignis minùs ardens ad resarcienda minora foramina, sic ardentior ad majora. Sed deinde quomodò non eidem Palanco ingrati erimus, si noster saltem hic ignis in gallia, etiam accensus septuplum quàm consuevit accendi, non resarcit in æreis ollis nostris foramina, imo nec foraminula; quin ex adverso auget illa & multiplicat? Non pertinet forsan noster ille ignis ad speciem illius, *cujus est homogenea congregare*. Sed tum jocis omnibus à re seria remotis, an non ignem accensum advertimus acuminari sursum ac perniciter ferri? quod etiam intelligi oportet de minoribus portionibus illius, seu de particularibus flammulis, quæ totam illam flammam componunt.

Igitur, mi Pazzi, cogita illas flammulas acuminatim ac perniciter latas contra fundum & latera ollæ illius æreæ, quam supponis, & eam suppone, si volueris, circumquaque nullis perforatam poris vel minimis; an aliter fieri potest, quàm quòd iteratis flammularum illarum ictibus non tandem introducantur corpuscula imprimis illa, quæ sunt in illarum acuminibus? his acuminibus ab igne lignum invaditur & adaperitur ut ardeat: sic etiam æs invaditur ab illis & adaperitur ut calefiat; tum illius calefacti adaperturæ latiores sunt; & ideo faciliùs tunc acumina ignea, id est, corpuscula acuminatim vibrata intromittuntur omni ex parte, agitant, volvunt, attollunt liquidum inclusum, usque dum amoto igne ad pristinam quietem & sedem redeat: sic enim novus ignis cessat intromitti, & is qui fuerat intromissus abit per poros præfati liquidi attollendo secum atque abripiendo partes illius tenuiores & magis obvias, in quas incurrit. XXVIII. Qualiter corpuscula sibi viam faciant per poros.

PAZZIUS. Et hæc subtiliter ais, mi Rocchi; sed non solide: nec aliter quàm divinando. *Nam*, ut repetam hæc verba belle aurea, quæ supra retuli ex Palanco, *quis vestrûm vidit, aut sensu aliquo percepit illas rimulas, aut poros apertos in inferiore parte ollæ vicina igni? certe nullus. Est igitur fabula, qua vestros Atomistas deluditis.*

ROCCHIUS. Atqui, mi bone Pazzi, si fabula est, quidquid admittitur, nec tamen visu, aut aliquo sensu percipitur, an Philosophia ulla est, quæ magis quàm vestra fœta sit fabulis? an partes illas proportionales millies centiesque millies millesimas unius acari, quas in eo admittitis, aliquando vidistis, aut alio sensu percepistis? An aliquando sub aspectum vestrum, aut tactum, aut sensum alium venerunt illa multa millia entitatum accidentalium, uti quantitatum, qualitatum, actionum, passionum, relationum, ubicationum, &c. quas affirmatis per momenta singula generari atque corrumpi? An apud vos ulli XXIX. Certitudo rerum non pendet ex visu, aut tactu, &c.

sensui patuerunt decantatæ illæ vacui formidines, antiperistases, virtutes atque propensiones occultæ, &c.? Absit igitur fabulam esse quidquid non patet sensui, dummodò pateat intellectui, cogitationi, meditationi, probationi claræ ac evidenti. Hujusmodi sunt & pori ollæ illius æreæ, & corpuscula ignea quæ pertranseunt. Atque ut tecum, mi Pazzi, liberaliter agam, audi me & vide quid diceres, si affirmarem esse in binis oculis unius muscæ quatuor mille ad minus quadrata superficiem eorum dividentia.

PAZZIUS. Dicerem cum Palanco fabulam esse, *qua vestros Atomistas deluditis*, nam quis vestrûm id vidit?

ROCCHIUS. Id præsensi te responsurum: sed si vidi ego, si tu ipse videbis, an erit fabula? an adhuc erit fabula, si etiam Philalethes noster id viderit.

PHILALETHES. Intelligo, Domine Rocchi, attulisse te de industria tecum illud peroptimum microscopium, quo frequenter uteris ad hujusmodi subtilia naturæ artefacta & phænomena exploranda.

XXX. Probatur experimento multa esse, quæ nudi oculi non vident.

ROCCHIUS. Recte intellexisti; & ita me gessi, quia noveram mihi rem esse cum homine, qui si quid curiosum dico, nisi viderit, non credit. Oro te igitur, Domine mi Pazzi, accede & vide binos, de quibus dixi, oculos muscæ; attende quot sint in uno alteroque oculo longi ordines quadratorum, & quot quadrata in ordinibus singulis: an putas, si computares, quod utique posses, si patientior esses, an, inquam, putas excessisse me, quando asserui vidisse me in talibus binis oculis areas quatuor mille ad minus distinctissimas quadratorum?

PAZZIUS. Non excessisti: & ego quidem video, vixque credo rem adeò miram: videat Dominus Philalethes.

PHILALETHES. Vidi, Domine mi Pazzi, rem illam millies, & meliùs, meliori scilicet (cum bona ve-

nia) ut equidem majori, usus microscopio anglicano. Optimum tamen istud est, da illud, si placet, & parabo intuitui tuo pedem unum hujus muscæ cum tibia. Vide tibiam non baccillo minorem, sed flexilem, suisque musculis instructam sexies in nodis totidem; vide quomdo mire tum nervosa, tum hirsuta est & pedem habet trifurcum.

PAZZIUS. O rem spectandam, Domini mei! aut corpuscula nulla sunt, aut hujusmodi ea sunt, quæ extrema sunt illius trifurci pedis. Quid esse acutius potest?

ROCCHIUS. Adhuc acutiora sunt, mi Pazzi, ea quæ finiunt pedes culicis, pulicis, acari, & mille aliorum animalculorum acaro minorum: Hæc autem corpuscula cum oculis inermibus quis videt? quis poros videt, in quos se corpuscula illa insinuant? intellige jam rem minimam, quæ cerni oculis inermibus possit: intellige porum minimum, qui cerni pariter oculis inermibus possit: ac tum reputa tecum videri ope microscopii posse res millies minores illa re minima, & poros millies minores poro illo, quem pro minimo habuimus. Et infer tandem non debuisse Palancum loqui de corpusculis & de poris atomisticis, uti de fabulis: quia saltem patent arte microscopiorum adhibitâ, longeque distinctiùs paterent, si microscopia hæc doctiùs ac tersiùs elaborarentur, & si ad utendum illis lumina dedisset nobis Deus magis idonea. Tantùm addo innumera esse animalcula fere non majora uno puncto visibili, & quæ ideo Tertulianus olim vocabat *animalia unius puncti*: in his autem nunquid sunt adhuc innumera vitæ organa? nutriuntur, crescunt, sentiunt, generant, incedunt, &c. quod utique fieri non potest sine meatibus, id est, sine poris, sine corpusculis per eos euntibus prope infinitis. Neque ad id probandum opus est visu, intellectu satis statuitur; atque hinc opto ut rursus inferas non debuisse à Palanco haberi pro fabulis res, quæ non videntur, hoc uno titulo quòd non videantur:

XXXI. Experimentum ratione firmatur.

præsertim quando, ultra quòd intellectus illas satis assequitur, visus per artem adjutus illas saltem aliquatenus apprehendit.

PHILALETHES. Totum hoc, mi Pazzi, clarius est, quàm ut prolixiori disputatione indigeat: Tuum, me authore, microscopium amove. Audiendus est Pazzius, acturus de cæteris ratiociniis & experimentis ad rem institutam spectantibus.

XXXII. Affertur aliud experimentum tubulorum in spongia.

ROCCHIUS. Non amovebo tamen, te permittente, donec sub isto vix palpabili fragmento spongiæ exhibuerim oculis Pazzii ultra millenos tubulos, seu canales, per quos quando spongia imbibitur, aqua se ingerit; & per quos egerit se, quando exprimitur. Vides ora talium tubulorum quantula sint, quàm angustissima; & inde conjicis quàm tenuissimas esse necesse sit particulas aquæ influentis per eos ac per eos refluentis. Neque jam, ut puto, non es convictus Atomistas non semper fabulari, quando in sermonem trahunt & poros & corpuscula pro multis naturæ causis & effectibus exponendis.

PAZZIUS. Ita sane convictus sum, Domine Rocchi, & esse foraminula multa & corpuscula multa imperceptibilia visu, aut ullo alio sensu. At longe abest me propterea convictum esse, quòd rarefactio, de qua sermo est, mellis aut lactis in olla ærea fiat per sola corpuscula ignea invadentia illius ollæ poros, ad effectum agitandi & attollendi, ut ais, hujus mellis aut lactis. Nam ut subtiliter instat Palancus, si olla illa vacua esset, faciliùs tales poros invaderent illa corpuscula, ac proinde viderentur, *quod ad sensum patet esse falsum.* Neque deest alia instantia, æque subtilis & æque urgens; mutat aliquatenus hypothesim: & pro melle aut lacte supponit aquam in olla, cujus os superius coarctat, & ait, *Tunc enim evidenti experientia conspicitur ex ore angustissimo ollæ egredi copiam ingentem vaporis aërei. Sed nunquid dices tam-*

Dial. 55. n. 471.

tam copiam corpusculorum ignis ingredi per poros igni vicinos, quanta est copia vaporis aërei exeuntis? quid magis fabulosum excogitari potest.

XXXIII. Corpuscula ignea videntur quando sunt collecta.

ROCCHIUS. Hodie ne nihil, Domini mei, nisi fabulas male opponi audiam? Adhuc fabula erunt corpuscula nostra hæc ignea, quia Palancus ea non videt in ollæ area? certe sic per aërem sparsa non videbit; sed jubeat rubere ollam, ex nova hypothesi vacuam, & videbit, ut ea vidit millies in ferro ignito. Sic aquæ corpuscula sparsa & elata per aërem nemo videt: at ubi collecta sunt in sublimi, reciduntque in pluviam, nemo non videt. Neque me magis movet alia nova hypothesis ejusdem ollæ complectentis aquam & in os angustissimum desinentis, ex quo *conspicitur*, inquit, *egredi copiam ingentem vaporis aërei.* Non est hic vapor aëreus, sed vapor aqueus: subingrediuntur corpuscula ignis, quæ agitant particulas aquæ, dissociant, attollunt, impelluntque celeriter ad exitum. Exeant ergo, si quis voluerit, momentis singulis mille & ultra particulæ aquæ, quid obstat quominus totidem subingrediantur singulis pariter momentis particulæ ignis ad sollicitandam eruptionem illarum? Ignis sub olla non deest, pori ollæ non desunt: igni rursus non deest sua mobilitas, aquæ non deest sua solubilitas partium: unde necesse est, ut perniciter protrudantur & instar copiosissimi vaporis difflentur. Vide, mi Pazzi, quàm parum Atomistas moveant pares instantiæ.

PAZZIUS. Non est cur saltem hanc posteriorem instantiam adeò parvifacias: quia, ut ait Palancus, *non est credibile quòd tanta materia corporalis ingrediatur per poros aris, quanta in vapores exire conspicitur per os angustissimum ollæ.* Dial. 56. n. 473.

ROCCHIUS. Sed adverte, mi Pazzi, non augeri per hæc verba vim instantiæ, quasi verò aliquid credibile non sit, ob id quòd Adversarius dicat id credibile non esse. Et

tamen hæc est clausula primæ illius demonstrationis, qua probare suscepit Palancus rarefactionem omnem fieri per productionem novæ majoris quantitatis, & ideo quantitatem esse formam accidentalem à suo subjecto distinctam & separabilem. Ubi jam est secunda demonstratio, quam prima illa offert afferendam?

XXXIV. Affertur secunda demonstratio. PAZZIUS. Omisit, mi Rocchi, Typographus titulum expressum *secunda*. Nihilominus secunda est in eodem argumento, quod ad præcludendas omnes tergiversationes vestras Palancus suo Atomistæ in pulvere tormentario paulò magis urgenter exhibet: *nam certe pulvis tormentarius*, inquit, *cujus extensio sit, ut quatuor v. g si accendatur in flammam, commutatur in extensionem, ut centum...... Ubi nunc intromissio illa corpusculorum?* Exerce hîc ingenium tuum, Domine Rocchi; & felix & dexter eris, si te præstare potueris tutum ab accensione pulveris istius tormentarii.

PHILALETHES. Placet hic jocus, Domine mi Pazzi, si tamen in pulvere tormentario jocus est: cæterùm video te hoc joco quærere à Rocchio nostro seriam responsionem, quam præsentio ad multum tempus protrahendam. Quare si creditis, ad pomeridiem differatur: vel maxime quia simul dabitur tibi, Domine Rocchi, occasio exponendi sensus reconditiores atomisticæ Philosophiæ circa quotidianas & tritissimas experientias variarum rarefactionum. Interim, si me jam audieritis, intelligetis silentium meum non inatentum fuisse ad placita vestra hinc atque inde proposita & opposita, simulque advertetis inclinare me ad partes Atomistarum, licet nihil esse ultimò definitum velim, donec desieritis edisserere de materia ista.

XXXV. Rarefactio non est judicanda ex sensibus. Itaque si de re, ut ad primum corporalem intuitum apparet, liceret Philosophis judicare, dicerem ego cum Aristotelicis, quòd dum aqua in vase vi caloris suppositi aut utcunque admori rarefit, augetur extensio illius aquæ, ob id quòd antequam rarefieret, esset ad decimam v. g. partem vasis

vasis depressa; ubi autem rarefacta est, totum vas occupat, aut etiam exundat. De cætero ad sensum non apparet rem ullam corporalem, sive ignem, sive aërem, subingressam fuisse, quæ possit è decem partibus vasis præfati occupare novem: unde vel illæ novem partes vacuæ forent, vel opus est, ut aqua illa, quæ decimam tantummodò partem occupabat, decem integras occupet de novo; quod absque nova majori extensione non potest fieri. Idque confirmatur, quatenus certum est materiam aquæ non augeri, imo è contra certum est minui; abit enim paulatim in vapores; quo pacto dum decrescit entitative, crescit localiter: neque proinde hoc incrementum locale habere aliunde quàm à nova majori quantitate potest. Sic igitur ego dicerem & sentirem cum Aristotelicis, si homini Philosopho satis esset respicere ad rei corticem; si fas esset non introspicere intimiora meditullia rei, antequam de illa vel quid momenti minimi decernatur.

Sed neque illud satis est, neque istud fas est: quare sic apud me discurro. Suppono in illo vase unam unciam aquæ: suppono vas illud altum ad decem pollices: rarefit aqua illa & assurgit ad totam altitudinem vasis: hinc si per se solam adimplet totam capedinem illius vasis, superest aquam illam, quando sic rarefacta est, occupare locum decies majorem, sive quod idem est, occupare decem loca illi similia, quem antequam rarefieret, occuparet. Atque ita discurrendum erit de singulis particulis aqueis sive finitis, sive non finitis, sive atomis, sive non atomis, quæ unciam aquæ illam componunt; ita quòd nulla sit assignabilis aquæ particula, etiam atoma, si quæ est, quæ non impleat per prædictam rarefactionem loca decem uni primo æqualia. Jam verò attendite, Domini mei, ad errores multos, quos in tali opinione deprehendo. Error est opinari quòd à Natura non sit determinata proportio loci ad locatum & vicissim locati ad locum: at nihil hac in re determinatum

XXXVI. Sed consideranda est philosophice per leges rationis.

à natura eſſet; ſiquidem una & eadem aquæ particula eſſet indifferens modò ad occupandum locum decies minorem, modò ad occupandum alium decies majorem; idque omnino naturaliter, quia rarefactio tam eſt opus naturæ, quàm condenſatio. Error etiam eſt ſuppoſitâ quantitate diſtinctâ opinari quòd Natura nihil determinaverit circa proportionem quantitatis ad entitatem & viciſſim entitatis ad quantitatem: aut utique ſi aliquid determinavit, repugnat alteram, niſi varietur altera, variari. Error adhuc eſt opinari, ſtante hac ipsâ ſuppoſitione quantitatis diſtinctæ, quòd calor variare quantitatem poſſit faciliùs, quàm entitatem: quia inter calorem & quantitatem non eſt oppoſitio major, quàm inter calorem & entitatem: aut ſi major eſſet oppoſitio, hæc quantitatem potiùs minueret, quàm augeret. Aut ſi calor favet quantitati augendæ, unde eſt quòd etiam frigus rarefaciat.

PAZZIUS. Parce, Domine Philalethes, & condona interlocutionem unius verbi. Ecce quod ais frigus rarefacere, valde novum eſt in noſtra Philoſophia.

XXXVII. *Frigus perinde ac calor rarefacit, ut experientia conſtat.*

PHILALETHES. Sed in philoſophia Naturæ, Domine mi Pazzi, valde vetuſtum eſt: an nunquam vidiſti glaciem alteri aquæ ſupernatantem? ſupernatat, quia levior eſt: levior eſt, quia rarior eſt: hanc autem novam raritatem haud dubie non debet calori, ſed frigori.

ROCCHIUS. An nunquam vidiſti, Domine mi Pazzi, aquam horizontaliter compoſitam ad ſumma labia alicujus vaſis, ſi frigus acre ſupervenerit, non parum intumeſcere, ac ſæpe in ſtirias exundare? Cur intumeſcit, cur exundat, niſi quia in ampliores dimenſiones extenditur: id eſt, niſi quia rarefit, ut loquimini: ubi autem eſt calor, cui hanc rarefactionem tribuere audeatis? Sed perge, ſi placet, Domine Philalethes. Audio in te libenter celebrem Atomiſtam, & millies peritiorem eo quem Palancus, neſcio qua infelici ſorte, ſuum in collocutorem elegit.

PHILALETHES. Pergam, Domini mei: debere me tamen uti compendio admonet meridies instans. Error insuper est opinari calorem esse productivum quantitatis, nisi affirmari ex adverso possit frigus esse destructivum illius: hoc autem affirmari quomodo poterit? Nam præter experientiam frigoris aliquando rarefacientis, nunquid sine ullo frigore assignabili videmus minui quantitatem aquæ rarefactæ? etenim quando aqua subsidit & ideo condensatur, utique non est frigida; sed quæ erat ante calida ut octo, tunc est calida ut septem: & nihilominus amittit aliquid quantitatis, aliàs non subsideret, sive non condensaretur. Quare licet quantitas esset per se ac seorsim res producibilis, non aliter tamen quàm sine causa tribueretur calori vis productiva illius.

Error tandem est opinari posse aliquid tam naturaliter, tam facilè esse simul in locis pluribus distinctis & adæquatis; quod uti fieret per rarefactionem Aristotelicam. Nam juxta præmissam hypothesim una & eadem aquæ gutta, una & eadem aquæ atomus esset simul in decem locis vere distinctis ac vere sibi adæquatis. Cæterùm adverto Aristotelicos Thomistas, qui tam facilè hîc admittunt rem unam localiter multiplicatam, sequi contentiosissime alibi sententiam de existentia etiam divinitus impossibili unius corporis in locis pluribus. Neque valet quod forsan responderent aquam rarefactam, de qua sermo est, habere in statu præmissæ rarefactionis quantitatem decies majorem; nam cùm hæc quantitas tam naturaliter, tam facilè producatur, quid obstabit quin Deus multiplicet decies quantitatem unius corporis humani: atque ita unum illud corpus facilè occuparet loca decem distincta & adæquata & uni primo similia. XXXVIII. Nullum corpus potest naturaliter esse in pluribus locis.

Propter multa hæc quæ cursim dixi, & propter multò plura quæ taceo, valde inclinor, Domini mei, ad suspicandum falsitatis quidquid affirmant Aristotelici circa quantitatem XXXIX. Probabilius est non produci novam

quantitatem. de novo productam pro explicanda rarefactione. Amovebitur tamen forsan illa suspicio per colloquium, quod eadem de re, postquam remota fuerit mensa, redintegrabimus. Oro autem vos, Domini mei, ut non antè illi assideamus, quam deposuerimus personas Philosophorum.

ROCCHIUS. Ita fiet, Domine Philalethes: neque cogitabimus hac hora, nisi de restaurando pulmone, quem inter colloquendum exhausimus.

PAZZIUS. Tibi jubenti non contradicam, Domine Philalethes: scias tamen tua in jussione non esse parum asperitatis, quando vix fieri potest, ut qui Philosophi ex professo sumus, à Philosophia temperemus vel inter epulas.





DIALOGUS NONUS.

QUAM BENE SENTIANT Atomistæ de quantitate.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

PHILALETHES. Sensi rem difficilem postulasse me, Domini mei, quando vos esse rogatos volui, ut inter mensam, etsi parca & brevis fuit, temperaretis ab omni dissensione philosophica de rebus vestris. I. Agetur statim de experientia pulveris tormentarii.

PAZZIUS. Si quid, te rogante, difficile mihi esse potuit, hoc equidem fuit: nosti philosophicam indolem: nosti dapes etiam optimas palatis nostris esse insipidas, quando non alicujus obviæ, aut meditatæ disputationis sale condiuntur: experiri, ut conjicio, voluisti an ego & Rocchius valeremus inter epulandum silere; nam nobis utique hoc totum, quod non est philosophari, silere est.

ROCCHIUS. Parce, Domine mi Pazzi; non is ego sum tam philosophicæ indolis, qui nesciam inter epulas Philosophiæ oblivisci: attamen fatebor obnoxium me inter illas fuisse pruritui anticipandæ hujusce disputationis pomeridianæ, quoties memor fui pulveris illius tormentarii, quem mane comminabaris.

PAZZIUS. Noli, mi Rocchi, noli pulverem illum tormentarium in jocos trahere: res seria est, quam neque tu, neque totum Atomistarum genus poteritis aliquando

exponere aliter, quàm recurrendo, ut Aristotelici solent, ad novam quantitatem majorem, per quam rarefiat pulvis ille, quando accenditur.

II. Petitur narratio talis experientiæ.

PHILALETHES. Et sic quidem, Domini mei, video vos statim à mensa in arenam descendere. Age igitur, mi Pazzi, & fac ut ad longum audiamus demonstrativam illam pulveris tormentarii per accensionem rarefacti experientiam, in qua post Palancum tam audacter confidis pro stabilienda entitate reali ac separabilitate reali quantitatis accidentalis.

Dial. 56. n. 474.

PAZZIUS. Mane ceperam verba hæc ex Palanco referre. *Nam certe pulvis tormentarius, cujus extensio sit ut quatuor v. g. si accendatur in flammam, commutatur in extensionem, ut centum*: & addit, *nam videmus parvam materiam illius pulveris repente extendi circumquaque ad majus spatium occupandum, ita ut parietes ipsos tectaque subvertat.* Tum interrogat Atomistas, *Ubi nunc intromissio illa corpusculorum*: Et pergit, *Certe omnia corpora ambientia ingentissimo impetu circũquaque expellit pro spatio sibi exacto occupando. Qualiter ergo pateat aditus ad prædictam intromissionem atomorum, quando circumquaque omnia expellit violentissime?* Tandem sic concludit, *Fictitia igitur est illa atomorum intromissio ad majorem extensionem faciendam.* Atque hîc quidem Atomista collocutor obmutescit, nihil habens quod respondeat idoneum pro introducendis corpusculis; siquidem potiùs, si quæ occurrerent, protrudendis per flammam ita derepente accensam, & rarefactam, & subvertentem quidquid obviam reperit.

III. Opponitur Atomistas valde mirari hanc experientiam.

Quin etiam fatetur idem Atomista rarefactionem, sive expansionem præfati pulveris accensi *valde miram esse, & apud nostros*, inquit, *difficillime explicabilem.* Quid hîc aies, mi Rocchi? an cum eodem vestro Atomista suos spiritus longe post resumente confugies ad vacuola, quo-

rum interceptio flammam illam ex præfato pulvere accensam rarefaciat & extendat ? sed hoc confugium Palancus *desperatum* vocat, & esse fictitium probat apertissime, quia si talis flammæ rarefactio fieret per intercepta vacuola, multo plura ibi essent vacuola, quàm corpuscula ignea, & ita *magis apparerent vacuola, quàm corpuscula, cum essent longe majora & plura; cujus contrarium ad sensum apparet evidenter; nam in flammula illa nulla vacuola ad sensum apparent, sed tantummodo flamma continua.* Unde rursus ita concludit. *Est igitur fictitia illa vacuolorum inventio, &c.* Quò te vertes, mi Rocchi? Erant vobis duo effugia: Palancus ea præclusit; an pro ingenio quo vales, adinvenies tertium?

Dial. 5. n. 480.

IV. Talis oppositio evacuatur.

ROCCHIUS. Ne pæana canas, mi Pazzi, antequam viceris. Ecce Palancus sibi nescio quem Atomistam finxit minùs habentem ac fere cœcutientem in doctrinis nostris: cave itaque ne in illo victo putes Atomistas omnes convictos. Res aliter omnino habet, aliterque omnino senties, si me tibi, tuoque Palanco passus fueris respondere. Da veniam tu & ille; rarefactiones, quas distinguere debuistis, confunditis. Aqua rarefit in olla igne supposito: ad hanc rarefactionem in sensu vere philosophico explicandam dicimus subingredi per ollæ poros corpuscula ignea, quæ aquam agitant, dissociant, & attollunt; unde fit ut quæ partem ollæ decimam ex hypothesi tantùm occupabat, ollæ totius aream occupet, non equidem per se solam, sed per se prout permixtam cum corpusculis igneis subingressis, aut cum corpusculis quibusdam aëreis adhuc permixtim residuis. Sed tum instat Palancus & declamitat contra poros illos, contra illa corpuscula: quamquam hæc declamatio vana est, ut antè à me probatum est.

V. Aliter rarefit aqua, &

Deinde pulvis tormentarius quando accenditur, rarefit: sed hæc rarefactio est alterius generis, pro qua philoso-

aliter pulvis tormentarius. phice explicanda nullis opus est intromittendis intra pulverem illum corpusculis alienis. Tantùm opus est ut plurima illa corpuscula ignea, quæ sunt in granis pulveris illius singulis intricata, extricentur, uti extricantur per accensionem: ubi autem extricata sunt, suo illo vivacissimo motu divinitus impresso, (quando ab initio creata sunt, & exinde nunquam non perseverante, nunquam non urgente, quoties ac quandiu non impeditur) proruunt, propelluntque obicem omnem; emicant in flammam, adurunt, & succutiunt quidquid obviam venerit; præsertim verò si ad eum effectum disponantur & apponantur globi plumbei aut ferrei missiles, ut fit in catapultis, in sclopis, in tormentis, in falconibus bellicis, &c.

VI. Differentia opinionũ quæ fit circa pulverem tormentariũ.

PHILALETHES. Condona mihi, oro, mi Rocchi, ut hîc verbum unum interloquar de discrimine, per quod infinite distas à Palanco circa temperaturam pulveris præfati tormentarii. Etenim tu equidem opinaris esse sub singulis cujuslibet grani pulverei levibus involucris, sive superficiebus fragilibus, corpuscula multa ignea, & ad eruptionem violentam parata: Palancus autem in illis nihil esse opinatur, nisi valde terrestre, quod eapropter nisi acquirat formam ignis, emicare non possit in flammam & rarefieri. An non ita est, mi Pazzi,

PAZZIUS. Ita equidem est: sed ut magis pateat ita esse, audite, Domini mei, verba nostri Scriptoris. Itaque de pulvere illo tormentario loquens ait, *qui dum in forma pulveris ex terreis elementis commixti existit; quibus densitas maxima inest, sub parvissimis dimensionibus multum materia includit, dum verò transmutatur ipsamet materia in formam ignis, cui maxima raritas innata est, extenditur quàm maxime, ita ut sub magnis dimensionibus parum materia contineatur.* Et paulò infra, *Cùm enim pulvis ille ex terreis elementis compactus sit, absdubio est materialissimus & densissimus formaliter. Attamen dum subito*

Dial. 56. n. 475.

subito propter sui optimam & quasi ultimam dispositionem transmutatur in formam substantialem ignis puri, seu flammæ, quæ ex natura sua est maxime materialis & rarissima, opus est quòd extendatur, &c. in quibus verbis bene perpensis illustrissime nitet causa physica, propter quam vel modicum præfati pulveris sine corpusculis, sine poris, sine vacuolis, sine ullis id genus atomisticis fabulis ad spatium amplissimum dilatatur. ibid. n. 419.

VII. Impugnatur ratio adducta.

ROCCHIUS. Dic potiùs, Domine mi Pazzi, occultissimam esse in verbis illis, imo adhuc impossibilissimam causam physicam repentinæ adeò & spatiosæ dilatationis: & certe videtur Palancus voluisse hîc per verba singula facere illi dilatationi & remoras & angustias. Audite me, si placet, & capite, Domini mei. Affirmat Palancus pulverem illum pyrium tormentarium esse mixtum quoddam ex terreis elementis, & hæc elementa terrea esse densissima, id est, habentia multum materiæ sub parvissimis dimensionibus. Iterum affirmat illum ex terreis elementis compactum esse, & ideo materialissimum esse atque densissimum. Quid igitur hinc philosophice inferri poterit, nisi quòd ille pulvis ineptissimus est ad illam flammeam momentaneam & amplissimam rarefactionem?

PAZZIUS. Sed nunquid caute addidit Palancus verba hæc, quæ dissimulare non debuisti, *Attamen*, inquit, *dum subito propter sui optimam & quasi ultimam dispositionem transmutatur in formam substantialem ignis puri, seu flammæ, quæ ex natura sua est maxime immaterialis & rarissima, opus est, &c.* Hæc, Domine mi, hæc præsertim sunt verba, in quibus aiebam illustrissime nitere causam physicam subitæ ac grandis rarefactionis, de qua est sermo.

VIII. Exponitur contradictio quæ est in ratione adducta.

ROCCHIUS. Absit ut voluerim hæc verba dissimulare; quin imo, nisi mei sermonis filum abrupisses, eram illico perpensurus ac demonstraturus apertissimam contra-

dictionem, quam involvunt, si ad præcedentia referuntur. Res est, mi bone Pazzi, quæ serio est digna examine. Verba præcedentia hæc sunt. Pulvis ille pyrius compactus est ex terreis elementis, materialissimus est atque densissimus. Hæc verò sunt quæ sequuntur, Pulvis ille pyrius est optime & quasi ultimò dispositus ad formam substantialem ignis puri. Quis incohærentiam, quis inconsequentiam, quis contradictionem istam non videret? Omne igitur quod erit compactum ex terreis elementis, quod erit materialissimum, atque densissimum, erit optime & quasi ultimò dispositum ad formam substantialem ignis puri; & ita nihil obstabit quin & ferrum & plumbum & simile quid, tam facile quàm pulvis pyrius accendatur, tam late ac tam subito rarefiat.

IX. Non sic, sed è contrario sit dispositio ad accensionem.

Si dixisset Author vester, mi Pazzi, pulverem illum esse compactum ex aqueis aut aëreis elementis, quæ minus materialitatis, minus densitatis habent quàm terrea, id tolerabilius fuisset atque conjunctius cum optima illa & quasi ultima dispositione ad formam ignis puri maxime immaterialis & rarissimi: si quid minùs terrestre, minùs materiale ac densum est, id intelligo magis accedere ad immaterialitatem atque puritatem ignis, & in quem ideo possit faciliùs commutari. Sed quòd ad istam commutationem sit optime & quasi vltimò dispositum id quod è contra plus terreæ concretionis, materialitatis atque densitatis habuerit, hoc sane inauditum erat & inconsultissime dictum est. Et ego quidem si rogarer de causa physica optimæ illius & quasi ultimæ dispositionis, quæ in pulvere pyrio est ad formam ignis, dicerem illum esse compactum, non ex terreis, sed ex igneis elementis, quorum utique forma magis ad formam, quorum utique vis, seu mobilitas ad vim seu mobilitatem ignis magis accederet. Et hoc quidem quod ita responderem, recideret in id quod antè dictum est de corpusculis igneis, quibus ille pulvis ille py-

rius abundat, & in quibus est vis ad eruptionem & inflammationem promptissima.

X. Opponitur quòd illa corpuscula apparerent.

PHILALETHES. Audio te libenter, Domine mi Rocchi: nondum tamen me convicisti esse in præfato pulvere corpuscula illa plurima, quæ ais, ignea: si enim ibi essent, quomodò non apparerent scintillarum instar, ac præsertim quando pulvis ille per levem inter digitos aut aliter attritionem evadit in pulvisculum exilissimum ac vix palpabilem?

PAZZIUS. Rationem attingis, Domine Philalethes, quæ haud dubie Palancum movit ad affirmandum non esse in eo pulvere pyrio, nisi terrea elementa, ac proinde multùm diversa ab illis aliis igneis elementis, quæ Rocchius noster in eo se potiùs admissurum aiebat. Quis ad aspectum illius pulveris atri cogitare potest de igne, qui ruberet utique, si adesset? Quis suspicabitur latere ignem sub involucro tam alieno à specie ignis?

XI. Affertur compositio pulveris pyrii.

ROCCHIUS. Id suspicabitur quisquis novit componentia physica talis pulveris: ecce componitur ex sale nitro, quod aliter *sal petræ* vocant, ex sulphure & ex carbone; quæ quidem mixtorum genera, nisi continerent plus ignis, quàm cujuslibet alterius elementi, nihil conferrent ad illius compositionem idoneam: uti revera si quid purioris terræ, aut aquæ, aut aëris permisceres cum præfatis mixtis, id utique remoraretur aut etiam omnino impediret inflammabilitatem illius subitam & vagam, qualem experimur. Sed instantiam vestram interpretor: instatis enim dicendo difficultatem redire, quia nec in sale nitro, nec in sulphure, nec in carbone rubet ullus ignis: unde igitur colligo mixta illa plurimis corpusculis igneis abundare? Sic ne Philosophi nihil, nisi ex aspectu dijudicant? Ad quid homini datus est intellectus, nisi ut sensibus præsit & eos suppleat, cùm opus fuerit. Vapores aqueos, qui per aërem continuò assurgunt, oculus non

videt; sed intellectus oculum supplet, & illos admittit sciens non cogi nubes, nisi ex vaporibus, qui per aërem in sublime surrexerint: atque hinc colligit esse in aëre vapores, qui non videntur. Sic etiam non videt oculus spiritus igneos, qui sunt in sale nitro, in sulphure & carbone componentibus pulverem pyrium; sed intellectus occulum supplet, & illos admittit sciens non posse flammam, in quam pulvis pyrius emicat, componi nisi ex spiritibus igneis qui præfuerint in eo, sive quod idem est, in mixtis, ex quibus unis compactus est.

XII. Proponitur argumentum.

Argumentabor adhuc ad hominem in hunc modum, mi Pazzi. Non videt oculus in illo pulvere pyrio sal nitrum, sulphur, carbonem; sed an eapropter nihil in eo salis nitri, nihil sulphuris, nihil carbonis est? imo hæc tria in eo sunt: sed commixta sunt, & ideo sub sua seorsim specie apparere non possunt. Sic etiam in his tribus, licet commixtis, sunt suæ particulæ componentes, inter quas contendo plurimas igneas reperiri; sed quæ seorsim, donec mixtæ sunt, comparere non possunt, antequam extricentur, & confluant in copiam hujusmodi sufficientem, sensibilem ac micantem, quam vocamus *flammam*. An adhuc, Domine mi Pazzi, apud te intellectus non supplet visum? an adhuc non intelligis co[illegible]puscula ignea, quæ aiebam.

PAZZIUS. Hoc tantùm intelligo, mi Rocchi, te nihil omittere, quo efficias ut corpuscula illa vestra intelligam: atque in hoc cum Palanco condolendum esse mihi arbitror Atomistis, qui mire ac horrende torquent sua ingenia, *ut explicare valeant, quod breviter & satis clare Aristotelici describunt per transmutationem materiæ in varias formas substantiales & accidentales.* Ecce pulvis pyrius accenditur & rarefit mirum in modum: ad id explicandum, Aristotelicis sufficit affirmare quòd forma talis pulveris transmutatur in formam ignis, cui tam mira raritas connaturalis est.

ROCCHIUS. Hoc Aristotelicis sufficit, quibus pro plerisque rebus physicis explicandis mera verba sufficiunt: sed mera hæc verba in contemptu & horrore sunt genio atomistico: quærimus res in verbis, & ideo altiùs profundiùs que ultra requirimus tum causas physicas, tum modos physicos tam instantaneæ accensionis, tam dilatatæ rarefactionis. Inde ridemus vestra illa elementa terrea pulveris pyrii, & eorum in formam ignis tam celerem conversionem, pro qua efficienda non sufficeret una æternitas. Tam non potest elementum unum vel ex parte in aliud, quàm totus hic Mundus in alium commutari. XIII. Mos Atomistarum est quærere causas physicas rerum.

PHILALETHES. De hac incommutabilitate formali ac substantiali rerum aliarum in alias nimis multa, quæ alibi à te dicta sunt, nisi te continerem, forsan repeteres. Sine illa, precor, & condona ut interponam mirari me quomodò non attendas ad id, quod ad te toties ex Palanco repetitur de terreis elementis, ex quibus compactum esse pulverem pyrium affirmavit: quomodò à Pazzio non requiras quid post Palancum intelligat per illa terrea elementa. Novi ab Aristotelicis admitti elementum illud, quod vocant *terram*, & unum est è vulgaribus quatuor; sed mihi nova sunt plura illa terrestria elementa, quæ, ut audio, veniunt in temp[...]m præfati pulveris: unde inferri debeatur mixta pariter materialia & densa, quæ ad alias species pertinent, componi ex aliis specie terreis elementis.

Sed tum si sunt plura terrea elementa, quare non erunt plura aquea, plura aërea, plura ignea? An Aristotelici jam inclinant in id, quod Atomistis verisimile videtur de multis elementorum millibus admittendis? Doce nos, mi Pazzi, quid intellexerit Palancus per illa sua terrea elementa. XIV. Quæritur quid sint terrea elementa.

PAZZIUS. Novum esse fateor, Domini mei, apud Aristotelicos modum illum loquendi: neque probarem

illum, nisi coniicerem noluisse Authorem nostrum quicquam innovare in doctrina solita, quæ affirmat non esse nisi quatuor elementa proprie dicta. Itaque quando inducit in compositionem pulveris pyrii, seu tormentarii elementa quædam terrea, intelligit elementa improprie dicta, sive late accepta, non utique pro primariis, sed pro secundariis & ideo non simplicibus, miscibilibus, quæ *terrea* vocat ob id, quod è sinu terræ proveniant: uti revera sal nitrum & sulphur, ex quibus pulvis ille compingitur, mineralia quædam sunt, ac proinde mixta quædam terrestria, quæ comparative ad alia mixta magis composita, pro elementis haberi potuerunt & in hoc sensu respectivo *elementa* vocari. Et hæc est interpretatio mea.

XV. Item quid sit plus materiæ & plus formæ.

ROCCHIUS. Hæc etiam mea fuit, mihique spem fecit fore ut Aristotelici, qui de elementis atomistice loqui incipiunt, de illis tandem atomistice sentiant. Quare à Pazzio nihil requisii, Domine mi Philaletes, de illis *terreis elementis*, licet in hoc genere loquendi adverterem novam Aristotelicam locutionem. Sed mihi reservabam hoc alterum rogandum ab illo, quid nempe intelligat per illud plus materiæ & minus formæ, item per illud plus fomæ & minus materiæ, de quo hîc frequenter Palancus loquitur, tanquam de principio certissimo maximeque idoneo ad explicandas elementares rarefactiones.

PAZZIUS. Atqui saltem Aristotelicus hic loquendi modus, mi Rocchi, tibi novus non est, tibi, aio, qui si credimus tibi, nostra omnia calles mysteria.

XVI. Qualiter intelligatur illud plus materiæ aut formæ.

ROCCHIUS. Novus utique non est; sed mihi certe, tibique forte incomprehensus est. Itaque si vobis creditur, terra respectu aquæ multum habet materiæ & parum formæ. Aqua similiter respectu aëris habet multum materiæ & parum formæ. Tum aër respectu ignis habet eodem modo multum materiæ & parum formæ. Sed tum si retrogredimur, ignis respectu aëris habet multum formæ, pa-

rum materiæ : quod pariter verificatur in aëre respectu aquæ, & in aqua respectu terræ. Atque ita quando ista elementa minùs immediate, seu magis remote comparabuntur, uti terra cum igne, comprobabitur terram habere multò plus, uti centies plus materiæ quàm ignem, & ignem habere centies plus formæ, quàm terram. Resilisne, mi Pazzi, ab hac hypothesi.

PAZZIUS. Non resilio.

ROCCHIUS. Igitur pergo & hinc infero esse in elemento terræ centum partes intelligibiles materiæ cum una sola parte intelligibili formæ; ut è contra in elemento ignis esse centum partes intelligibiles formæ cum una sola parte intelligibili materiæ. Quia verò istæ partes intelligibiles realitate sua non carent, aliàs reale non esset illud materiæ ac formæ plus aut minus, de quo loquimini; hinc rursus infero esse in elemento terræ fere centies aliquid materiæ sine forma, ut è contra in elemento ignis fere centies aliquid formæ sine materia. Vide autem, mi Pazzi, quomodo jam poteris conciliare hanc innegabilem illationem cum illa fundamentali vestra doctrina de inseparabilitate materiæ à forma, & formæ à materia. Atque ut clariùs videas difficultatem, qua laboro circa illud plus aut minus materiæ vestræ ac formæ, sumo ex una parte molem bipalmarem cubicam terræ, & ex altera molem bipalmarem cubicam ignis. Ac tum attendo ad singula loca intelligibilia illius spatii cubici bipalmaris, de quibus quæro an in singulis, in quibus terrestris illa moles habet aliquid materiæ, habeat aliquid formæ, & iterum an in singulis, in quibus illa ignea moles habet aliquid formæ, habeat aliquid materiæ.

XVII. Agitur contra illud plus materiæ aut formæ.

Si respondes affirmative : neque terra plus materiæ quàm formæ; neque ignis plus formæ quàm materiæ obtinet : quod arguit falsitatis vestrum istum loquendi modum. Si negative : assignantur illico loca multa, in quibus

XVIII. Et argumentum est insolubile.

materia est seorsim ab omni forma, & forma seorsim ab omni materia, quod est contra vestram illam fundamentalem doctrinam de illarum inseparabilitate reciproca. Macte animo, Domine mi Pazzi, & clarifica mihi, si vacat, res istas.

PAZZIUS. Vos Domini Atomistæ, mi Rocchi, descenditis semper ad minutias, à quibus usus noster abhorret. Quando Palancus ad explicanda omni meliori modo physico experimenta rarefactionum elementarium aut aliarum, de quibus agitur, supponit quod terra *plus materiæ habet quàm aqua*, & quòd aqua *plus materiæ continet quàm aër*, & quòd aër *plus materiæ habet quàm ignis*: & è contra quòd ignis *inter omnia elementa quàm minimum habet de materia, quàm maximum autem de forma, &c.* quid supponit, nisi quod Aristoteles expressissime scripsit, nisi quod in scholis nostris familiare ac tritum est: hoc totum nimis clarum est, quàm ut in eo elucidando teri tempus hoc nostrum debere arbitrer. Ais, mi Rocchi, nosse te omnia doctrinæ nostræ mysteria, & hæc ignoras.

Dial. 56. n. 476.

ROCCHIUS. Non ignoro hujus mysterii sonum; sed rem ignoro, hanc, si me amabis, illustra.

XIX. Quæ itur explicatio præsentis doctrinæ Aristotelicæ.

PHILALETHES. Mihi quoque pergratum feceris, Domine mi Pazzi, si rem istam dignaberis illustrare. Etenim constringunt me difficultatis ejusdem compedes; neque plane capio, si de forma substantiali sermo est, qualiter sive illud plus materiæ & minus formæ, sive illud plus formæ & minus materiæ accipi debeant: præsertim quia stando in principiis rigidis Aristotelicis nihil est materiæ, quod careat sua forma, id est, forma sibi debita, sibi proportionata, sibi coæquata; & reciproce nihil est, formæ, quod materiam pro subjecto suo non habeat, id est, materiam sibi debitam, sibi proportionatam, sibi coæquatam. Unde parem ubique utriusque quantitatem esse necesse est; ut non adjiciam notionem, quam secum afferret alicujus

reciprocæ

reciprocæ separationis, defectus ille proportionis inter materiam & formam, quando non esset eadem quantitas utriusque.

XX. Proponitur alia difficultas.

Occurrit etiam hæc alia difficultas: quatenus si quæ densa sunt, magis habent materiæ & minus formæ: & è contra quæ rara sunt, plus habent formæ, minus materiæ, quid fiet quando una & eadem aëris moles modò rarefiet, modò densabitur? Cùm enim una & eadem in utroque statu rarefactionis & condensationis esse supponatur, nihil hìc in materia, nihil hìc in forma variabitur. Unde arbitror falsò afferri sive illud plus materiæ & minus formæ, sive illud plus formæ & minus materiæ pro condensationibus & rarefactionibus in vera Physica exponendis: & maxime si sermo est de forma substantiali, quam Aristotelice loquendo non est possibile augeri aut minui, quando materia nec minuitur, nec augetur. Atque hæc est præcipua difficultas quæ me premit: solve illam, si placet.

XXI. Affertur explicatio quæsita.

PAZZIUS. Hæc difficultas, fateor, quæ ex insperato venit, etiam me premit, tentabo tamen illam solvere confugiendo, ut soleo, ad Palancum, quem illud plus aut minus formæ puto intellexisse non de forma substantiali, sed de forma illa, quæ est accidentalis quædam activitas rei. Siquidem postquam dixit, ut supra retuli, *Et è contra descendendo ignis inter omnia elementa, quàm minimum habet de materia, quàm maximum autem de forma*, addit, *ideoque minùs materialis maximeque formalis & activus est.* Ac tum comparando aërem cum igne dicit, *Aër verò plus habet de materia, quàm ignis minusque de forma; & ideo magis materialis minùsque formalis & activus est, quàm ignis*, &c. Ex quibus verbis patet nostrum Palancum per ignem magis formalem non intelligere, nisi ignem magis activum, & per aërem minùs formalem, nisi aërem minùs activum.

PHILALETHES. Ad quid ergo utuntur Aristote-

lici vocibus tam æquivocis?

PAZZIUS. Noli conqueri, si æquivocationem omnem jam abstuli; quid superest?

XXII Quæ sit causa physica rarefactionis. ROCCHIUS. Hoc superest, Domine mi Pazzi, quod præcipuum est, ut tandem suadeatis neque majorem illam raritatem ignis pendere à majori forma, seu ab ulla majori activitate, neque minorem aliam aëris raritatem procedere à minori forma, seu ab ulla minori activitate; sed tantùm illam quidem majorem ignis raritatem à majori dissociatione locali, istam verò raritatem minorem aëris à dissociatione locali minori particularum, seu corpusculorum, ex quibus respective constat utriusque moles. Atque ita generatim absque ope ullius formæ, aut ullius activitatis, aut cujusvis alterius qualitatis accidentalis corpora omnia generatim sunt rara & densa plus minusve per hoc unum, quod partes, ex quibus constat eorum moles, magis minùsve uniuntur, magis minùsve distant ab invicem. Quare deinceps quando aliquod corpus aut è denso fit rarum, aut è raro fit densum respective, non alia hujus phænomeni causa physica quæri debet, quàm illa una, quæ respective illius partes aut dissociat, aut consociat magis, neque aliter unquam rarefactum, aut condensatum aliquid fuit.

XXIII. Ostenditur Aristotelicos non loqui philosophice de illa. Cæterùm, Domini mei, offert sese cogitationi meæ res, quam non tacebo circa modum lachrymabilem philosophicum, quo Aristotelici se gerunt in explicandis plerisque rarefactionibus, & condensationibus. Esto exemplum aquæ rarefactæ in æolipilis, sive follibus æneis habentibus tubulum adjunctum, in cujus cuspide foramen est perexiguum: (meminit Palancus unius id genus follis à se visi:) quando itaque reddenda est ratio & proferenda causa physica talis rarefactionis, illam explicant, (Palancum audite pro suis loquentem) *per transmutationem substantialem vi caloris factam ex aqua in vapores, seu aë-*

Dial. 56. q. 478.

rem natura ſua minus materialem & magis rarum & extenſum, & propterea violenter exeuntem ad quærendum ſpatium ſibi proportionatum. Quod omnino idem eſt, ac ſi diceret aquam rarefieri, quia mutatur in aërem: at aqua mutata, in aërem jam non eſt aqua, quid ergo rarefit? Eſto aliud exemplum, de quo jam toties dictũ eſt, pulveris pyrii rarefacti per accenſionem. Itaque rarefactionem iſtam Palancus, ut Ariſtotelicis mos eſt, explicat dicendo quòd ille pulvis *tranſmutatur in formam ignis, cui maxima raritas innata eſt.* Hoc eſt, ille pulvis fit ignis; quando autem factus eſt ignis, jam non eſt pulvis ille, quem ſupponitur rarefieri & de quo quæritur, quomodo rarefiat. *Ibid. n. 475.*

XXIV. Ariſtotelici fugiunt difficultatem.

PHILALETHES. Placet, mi Rocchi, tua hæc obſervatio, per quam adverto Ariſtotelicos ſubtiliter effugere difficultatem, quæ in caſibus iſtis proponitur. Quæritur cauſa phyſica, per quam igne ſuppoſito aqua in ſupradicto folle æneo incluſa dilatatur & ampliatur localiter, ſicque dilatata & ampliata cogitur violenter egredi per foraminulum obvium, atque ita particulatim dividi ac diſpergi per aërem: & reſpondent Ariſtotelici aquam illam fieri aërem. Iterum quæritur cauſa phyſica, per quam pulvis pyrius admoto igne patitur ſui ſubitam diviſionem, & eruptionem ita vehementem, ut in inſtanti flammeſcat abeatque in auras: & reſpondent Ariſtotelici pulverem illum fieri ignem. Atqui nec quæritur an & qualiter aqua illa fiat aër; nec quæritur an & qualiter iſte pulvis fiat ignis: imo verò ſupponitur aquam illam & iſtum pulverem non aliter mutari, quàm per dilatationem ac diſperſionem localem. Sicque valde propendeo, ut de hac utraque rarefactione ac de utriuſque cauſa paulò ante tacta tecum conſentiam.

XXV. Nihil magis ſolito extenditur niſi apparenter.

Valde quoque propendeo in hoc, quòd tecum opiner neque id quod rarefit magis extendi, neque id quod condenſatur minùs extendi, niſi ad ſenſum & reſpective ad li-

mites ſpatii, intra quod vel diſſociantur partes rei, quæ rarefieri dicitur, vel aſſociantur partes alterius rei, quæ dicitur condenſari. Vide, ſi placet, an hæc ſit tua mens in hiſce rebus inter vos controverſis. Agebatur hoc mane, Domini mei, de ſtabilienda vel eliminanda quantitate illa, quam Ariſtotelici dicunt eſſe realem ac phyſicam entitatem, ſubjecto ſuo inhærentem, illud extendentem, & ab illo realiter ac phyſice ſeparabilem. Hanc probare aggreſſus eſt Pazzius his antemeridianis horis, & his pomeridianis perrexit ab experimento rarefactionis.

XXVI. Refertur vis argumenti Ariſtotelici. Et tota vis ratiocinii in eo fuit, quòd dum aliquid rareſit, acquirit extenſionem majorem, quamvis non acquirat materiam majorem: quod ſignum eſt extenſionem à materia diſtingui: extenſio autem aut eſt effectus quantitatis, aut eſt quantitas ipſa. Unde ſæpius concluſit quantitatem, qualem Ariſtotelici admittunt, comperiri revera in omni ſubſtantia corporali, ſcilicet tanquam entitatem realem inhærentem, extendentem, & ab illa proinde realiter ſeparabilem. Cujus concluſionis vim adhuc majorem infirmavit ab experimento condenſationis oppoſito: etenim in condenſatione materia non minuitur, minuitur tamen illius extenſio, ſive quantitas. Et hoc iteratum ſignum eſt quantitatem à materia diſtingui, ea videlicet diſtinctione reali & phyſica, de qua eſt ſermo, & ſufficiente ad ſeparationem realem & phyſicam, de qua pariter eſt ſermo. Agone bene perſonam tuam, Domine mi Pazzi?

PAZZIUS. Agis optime.

XXVII Tum oſtenditur inefficaria ejuſdem argumenti. PHILALETHES. Et nihilominus cum tua bona venia dicam argumentum illud tuum apparere mihi valde inefficax. *Primò* quia ſupponit rem probandam: ſupponit ſiquidem in rarefactione quantitatem majorem, in condenſatione minorem: at hoc nunquid eſt ſupponere quantitatem, de cujus reali exiſtentia diſputatur? *Secun-*

do quia si quæ esset hujusmodi quantitas, esset invariabilis perinde ac materia, cujus esset quantitas, cùm indifferens esse materia non possit ad hanc vel illam quantitatem. Tertiò tandem ac præsertim, quia si non ad sensum, sed ad rei veritatem respicitur, neque res quæ rarefit majorem; neque res quæ condensatur, minorem de novo locum occupat, licet in rarefactione accidat partes rei quæ rarefit, in loca disjunctiora transferri, & ex adverso redigi ad conjunctiora partes rei, quæ condensatur. Etenim hæc loca sive sint magis conjuncta, sive sint magis disjuncta, non eapropter sunt majora, vel minora in se ipsis: & sic area tota localis, quæ concipitur conflari ex illis omnibus ac singulis particularibus locis, est prorsus eadem. Sic mille nummi per arcam sparsi non occupant majus spatium, quàm si collecti fuerint in crumenam: sic titionis accensi fumus per domum sparsus spatium non occupat majus, quàm antequam flueret, occuparet in titione nondum accenso. Sic stilla olei effusa super pannum palmarem ac per totum imbibita non eapropter est in spatio majori quàm antè, dum esset in globum coacta. Sic paululum illud atramenti, quod reddente pennâ sufficit ad tres quatuorve lineas scribendas, non ideo est in loco majori, quia locus ille multiplex, in quo reperitur per has lineas distributum, si mensuretur, non superabit aream illius unius totalis loci, quem occupabat in pennæ acumine, antequam redderetur. Nec addo plura.

XXVIII. Opponitur infinitudo partium contra factam hypothesim.

PAZZIUS. Sed neque opus est ut addas; satis enim clare intelligo, quòd si aliquid antequam rarefiat, habet mille partes conjunctas in mille locis proportionatis, non habebit, quum rarefiet, nisi easdem illas mille partes disjunctas in mille aliis locis, sed proportionatis similiter; ex quibus si adunarentur, non fieret nisi locus unus totalis alter æqualis primo. Atque hæc est tua mens, Domine

Philalethes: neque non mea esset, si non obstaret falsa illa tua hypothesis de mille partibus, ex quibus tantummodò constet id, quod supponitur rarefieri: nosti enim quomodò non admittimus substantiam corpoream ullam adeò modicam, quæ non coalescat ex partibus potentiâ infinitis, & ideo non redigibilibus ad ullum calculum.

XXIX. Rursus ille est valde inutilis.

PHILALETHES. Do tibi, mi Pazzi, do tibi falsam esse meam hypothesim: do tibi veram esse opinionem, quam sectaris de partibus potentiâ infinitis: do tibi adhuc liberaliter partes illas actu infinitas: neque tamen hoc totum quod tibi do, tibi sufficit ad evasionem. Ratio est: quia si res locata habet partes utcunque infinitas, locus illi adæquatus habet partes pariter infinitas: atque ita erit semper eadem proportio inter rem locatam & locum, sive finitæ sint, sive infinitæ sint partes rei locatæ. Habesne, Domine mi Pazzi, impedimentum aliud veniendi ad opinionem Atomisticam de rarefactione, quæ omnino fit, eo scilicet modo quo fit, sine ope quantitatis novæ ullius accidentalis Aristotelicæ, cujus probationem susceperas?

XXX. Deridentur vacuola atomistica.

PAZZIUS. Est sane aliud ac longe indissolubilius, quod Rocchio jam objeci de vacuolis, quibus Atomistæ ad plerasque rarefactiones explicandas uti conpelluntur: istum verò ad talia vacuola recursum vocat Palancus *desperatum confugium*, quod ait se perlegisse *in celeberrimo ac ingeniosissimo Atomista*: & addit, *Sed inde urgentissime colligo quàm falsus sit Atomismus, qui ad vacuola citra miraculum admittenda coëgit ingeniosissimum præ omnibus Atomistam, cùm tamen certissimum sit Naturam universalem vacuum omnino refugere & abhorrere.* Celeberrimum ac ingeniosissimum illum Atomistam, de quo loquitur Palancus, suspicor, mi Rocchi, esse te aut Maignanum.

Dial. 56. n. 480.

ROCCHIUS. Si alter nostrûm est, Maignanus est, *cujus non sum dignus procumbens solvere corrigiam calceamentorum ejus*; At quisquis ille sit, verum ait, non tan-

Marci 1. 7.

tùm si dixerit contingere in plerisque rarefactionibus debito modo acceptis nova quædam vacuola; sed si etiam affirmaverit nullum esse corpus vel mediocriter rarum, quod non abundet plurimis interceptis vacuolis, quando vel in ipsis corporibus, tantùm non infinite densis, debere satis multa intercipi facilè demonstratur. Et hæc mea demonstratio est. Sumo pumicem & quæro an partes illius aliæ aliis omnes conjunctissime uniantur? suppono autem te nosse hoc lapidis genus.

PAZZIUS. Genus est lapidis ignotum nemini: lapis est levis & cavernosus, & aquis innatans. Jam verò respondeo illius partes non esse conjunctissime unitas, propter illos videlicet sinus, qui etiam ad visum patent, & interceptum habent aërem quo replentur.

ROCCHIUS. Sumo iterum cotem patis omnino molis: & quæro similiter an partes illius aliæ aliis omnes conjunctissime uniantur? lapidem nosti.

PAZZIUS. Lapidem novi, & hujusmodi est quo cultri ut plurimum acuuntur: & iste quidem nec levis, nec cavernosus est, nec aquis innatat. Nollem tamen affirmare conjunctionem partium illius ita esse immediatam, ut non admittat intermedia quædam foraminula: sed quid inde? an non aliquo aëre replebuntur? non video quò me tua hæc interrogata perducant.

ROCCHIUS. Perducent te, si Deus me juverit, ad notitiam veritatis probandæ. Si enim pumicis, quia rarus est, partes intervalla quædam admittunt; an aëris utique rarioris intervalla illa replentis partes non admittent aliqua pariter intervalla, pro quibus replendis jam non est, quò confugias? Nec aliter discurretur de aëre alio replente foraminula illa quæ ais, seu parvula intervalla, quæ saltem aliquas cotis, ob id quòd densissimus non sit, partes dissociant, ut fateris: atque in hunc modum vacuola erunt pauciora quidem in cote, plura in pumice. Sustine adhuc

XXXI. Ostenditur omnia corpora habere poros.

me, si placet. Pumex innatat aquis, cos immergitur: cur? nisi quia cùm in pumice plura sint partium intervalla quàm in cote, patet pauciores esse partes pumicis quàm cotis: & hinc progredior ad dicendum, quòd si par aquæ moles jam accipiatur, obtinet quia rarior est cote, pauciores partes quàm ille: & quia densior est pumice, partes plures quàm ille. Quæ est ratio, propter quam cos immergitur, siquidem densior simul ac gravior, & ideo gravior, quia densior: pumex autem innatat, quia rarior est simul ac levior, & ideo levior, quia rarior. Juxta quam legem quoties duo corpora in æquali mole accepta, sunt inæqualis gravitatis aut levitatis, ratio inæqualitatis hujus non aliunde petenda est, quàm ex inæquali numero partium uni certæ æqualium.

PAZZIUS. Nobis autem, mi Rocchi, non est computandus ille numerus partium: res ista faciliùs conficitur per accidentia gravitatis & levitatis, quæ ex natura rerum gravium & levium consequuntur; & id quidem independenter à numero partium majori scilicet, aut minori.

XXXII. Unde procedunt gravitas & levitas.

ROCCHIUS. Atqui hoc impatientissime à te audio. Erunt igitur ejusdem gravitatis nummus integer & nummus dimidius; nam utriusque natura eadem est? aut si utique gravitatis ejusdem non sunt, quis id non referet ad integri partes plures, & ad dimidii pauciores? In his non immoror, ut redeam, mi Pazzi, ad vacuola quæ ridebas, & quæ nihilominus ad veram & physicam notionem omnis raritatis & rarefactionis, omnis densitatis & condensationis omnino attinent. At memini non debere à me omitti solutionem unius alteriusque instantiæ à te sparsim hîc ex Palanco propositæ contra hæc vacuola. Prior est, quòd Natura fugiat & abhorreat illa: posterior est, quòd si quæ essent, utique in corporibus rarissimis essent valde multa, & ita visui paterent, quod falsum est. Vide, mi Pazzi, dissimulare me nihil de difficultatibus, quas opponis.

PHILALETHES.

PHILALETHES. Sed tu quoque, mi Rocchi, vide Solem ruere in occasum & jubere finem hujus colloquii. Quare, oro te, aut differ ad hæc respondere, aut omni, qua potes, breviloquentia utere.

ROCCHIUS. Faciam imperata tua, Domine Philalethes. Nec dicam nisi Naturam non posse fugere & abhorrere ea, sine quibus esset tota plane iners atque immota: nam apud Atomistas demonstratio non una est, (sed nullam hîc referre vacat, ut video,) non una, inquam, est convincens nullum sine vacuis & vacuolis fore motum localem. Unde nihil foret vitæ ac respirationis, nihil alterationis, nihil generationis, nihil etiam discriminis inter corpora rara & densa, inter levia & gravia, inter mollia & dura, &c. nihil denique omnium, à quibus experimur pendere constitutionem, seriem, ordinem, varietatem atque pulchritudinem Universi: & hanc synopsim, quum occasio dederit, dilatabo. Tum neque dicam, nisi non videri seriò dictum à Palanco, quòd saltem in corporibus rarissimis vacuola quæ inessent, visui paterent. Ecce aër corpus est quoddam rarissimum; sed cùm nec aër ipse videatur, quomodo illius vacuola viderentur?

XXXIII. Sine vacuolis non fieret ullus motus localis.

PAZZIUS. Igitur non advertis, quòd eximia raritas aëris id à principiis vestris exigit, ut affirmetis plura esse in aëre vacuola, quàm partes: atque ita visibiliora essent, quàm partes: unde seriò conjici potuit quòd viderentur, licet aër non videatur.

ROCCHIUS. Adhuc seriò non agis, mi Pazzi, nam dato quòd aër esset millies rarior, quàm sit, in quo casu haberet vacuola millies plura, non tamen viderentur, quando nec vacuitas totius spatii aërei videretur. Quomodo itaque non luditis id dicendo? an vacuum patere potest visui? Vide an patere possit auditui; nam æque necesse est ut utrique, aut neutri pateat. Itaque Palancus aut id non dixit, aut lusit.

XXXIV. Non est possibile vacuola videri.

PAZZIUS. Id equidem expresse non dixit de vacuolis aëris; sed id saltem dixit expresse de illis igneis, quæ videlicet essent in flamma illa, in quam pulvis pyrius transmutatur: sic enim loquitur, ut supra retuli. *Cùm pulvis pyrius transmutatur in flammam, tunc vacuola essent longe plura vel majora, quàm corpuscula in spatio illo majori: ac per consequens in flamma illa progenita ex pulvere magis apparerent vacuola, quàm corpuscula, cùm essent longe majora & plura, cujus contrarium ad sensum apparet evidenter; nam in flammula illa nulla vacuola ad sensum apparent, sed tantummodò flamma continua.*

XXXV. Et de omnibus id pariter verificatur.

ROCCHIUS. Id dixit Palancus: igitur non lusit. Non valet, mi bone Pazzi, hæc consequentia; & ego quidem in gratiam illius malo credere quòd luserit, quàm quòd seriò dixerit. Etenim vacuola sive sint inter partes aëris, sive sint inter partes ignis perinde sunt vacuola, & ideo perinde incorporea, ac proinde invisibilia perinde, nullique omnino sensibilitati obnoxia. Præterea nunquid vacuola, quæ essent inter partes flammæ accensæ, replerentur aëre, qui pulverem pyrium ambiebat? Nisi diceres aërem illum uno eodemque instanti fuisse simul cum pulvere illo in ignem conversum & in aërem reversum; quod esse impossibile nemo non videt. Et ita quæstio rediret de vacuolis aëris, de quibus si adhuc sustines, quòd visibilia forent, nihil habeo quod addam.

PHILALETHES. Quid posses addere? ego certe si pro Palanco responsurus essem, nescio quà evaderem.

PAZZIUS. Consulam tamen apud Palancum, quà fieri possit evasio.

PHILALETHES. Dabo tibi tempus otiumque id consulendi, Domine mi Pazzi, nam mihi à vobis indulgendum rogo, Domini mei, triduum aut quatriduum, quo exacto ero juris vestri, ut antè. Sed quod solemus, nondum condiximus materiam secuturi colloquii.

ROCCHIUS. Amo ut condicatur, nolens, mi Pazzi, venire imparatus ad te, in quo totus Palancus est, vir eruditionis plenissimus, suaque in eruditione fortissimus. Tu itaque jam, si placet, quæstionem agitandam determina.

PAZZIUS: Selegit Palancus inter accidentia cætera figuram accidentalem, pro cujus realitate stabilienda & multa sunt & multùm urgent argumenta, quæ affert: de illa, si annuitis, erit quæstio. XXXVI. Proponitur agendum de figura.

PHILALETHES. Annuimus, & hæc sit clausula. Ecce favet cœlum, Domini mei, nostro reditui ad urbem; videte ut præter spem fruimur vespera, quæ mire serena & tranquilla est.





DIALOGUS DECIMUS.

QUAM MALE SENTIANT *Aristotelici de figura.*

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, ROCCHIUS, PAZZIUS.

I. Proluditur ad concertationem de figura.

PHILALETHES. Fui apud te statim à prandio, Domine mi Rocchi, mihique ibi renunciatum est quòd cum Domino Pazzio, qui te convenerat, exiisses domo & eo, quem conjiciebant, animo exeundi urbe ad suaviùs fruendum zephiro spirante hujus diei. Ego verò hinc ultra conjeci sortis meæ fore, ut vos reperirem in hoc recessu nobis jamdiu familiari: & ecce eras in potestate vestra me habebitis, Domini mei; & ibo quò & quando jubebitis ad audiendam disputationem, quam condixistis.

ROCHIUS. Tuo igitur præter spem omnem conspectu hodierno hîc fruimur; nam si bene meminimus, inducias tridui totius, aut quatridui poposcisti.

PHILALETHES. Res, quam ominabar quatridui fore, bidui fuit.

PAZZIUS. Gaudemus supra modum omnem de hoc compendio, Domine Philalethes; sed adhuc plenius erit hoc gaudium, si hac horâ ceperis nos audire. Flat zephirus, Sol est in nubilo, ripa hæc Garumnæ perpulchra est ad ambulandum, nec longe ab illa gramen est ubi sedeamus, si quiescere oportebit: ne hanc gratiam transfer in crastinum. Unum quod hîc deesse poesset pro texti-

bus referendis ac perpendendis ad literam, ut solemus, Palancus est; sed in pera mihi est, mihi non ceditur, mihi non dormitur, mihi non editur, mihi non vivitur sine illo; quare si tantummodò Rocchius noster ab his votis meis non resilit, poterit hîc à nobis coram te materia, quæ condicta est, agitari.

ROCCHIUS. Imo tuis votis inhæreo totus atque incumbo. Igitur quia, ut video, Domine Philalethes, præbes te humanissimè illis propitium, opus est ut quod contendere cepimus, ex quo paulo plus quàm ante semissem horæ accessimus, tuo judicio supponamus. Videbatur mihi Palancus fuisse non satis religiosus in Aristotelica doctrina, quando formam cum figura confudit, quando vere bimembrem esse noluit, sicut cæteras, hanc ultimam speciem qualitatis. Audi verba quibus Atomistam suum interrogat, *Quid sentis*, inquit, *de forma & figura, quam Aristoteles pro quarta specie qualitatis constituit? Est ne realiter distincta à substantia materiali.* In quibus utique verbis forma omnino cum figura confunditur; quamquam si Aristoteles non erravit in assignandis speciebus bimembribus qualitatis, non est cur distingui voluerit minùs formam à figura, quàm habitum à dispositione, potentiam ab impotentia, & passionem à patibili qualitate. Respondebat autem Pazzius præfuisse Palanco plures atque insignes Aristotelicos, qui hac in parte ab Aristotele deflexerunt; quare hîc potuit sine scrupulo sese istis adjungere, ut alibi aliis se adjunxit, quando asseruit in sua Metaphysica durationem non esse accidens realiter distinctum à re durante. Et ego quidem hac responsione placatus fui.

II. Non debuit confundi forma cum figura.

Dial. 57. n 483.

PHILALETHES. Ego verò miror fuisse te hac responsione placatum: miror quòd saltem non intuleris Palancum hac rescissione durationis accidentia relationis, actionis, passionis, ubicationis cæteraque omnia rescidis-

III. Non debuit etiam duratio rejici è numero accidentium.

ſe : cùm doctrinæ Ariſtotelicæ cohærentia id ita ferat, ut vel omnibus, vel nullis accidentibus propria ſit ſua entitas, ſua inhæſio, ſua diſtinctio, ſua ſeparabilitas à ſubjecto.

ROCCHIUS. Id olim intuli: nunc tacui; mihi tamen reſervato jure id iterum inferendi, quum opus foret.

PAZZIUS. Sed pace dixerim, mi Rocchi, tam falsò iterum id inferres, quàm olim falsò id intuliſti: contendit enim Palancus non eſſe hîc paria utrinque jura. Jus noſtrum eſt, inquit, ut ſi vel unius accidentis realitas probabitur, par realitas omnium cenſeatur probata: ſed Atomiſmus veſter non admittitur ad hæc jura; nihil enim à vobis proficitur, niſi ſeorſim pro ſingulis hac realitate ſpoliandis ſingularis ratio afferatur. Refero verba noſtri Authoris, *Et hoc quidem maxime veſtrum ſyſtema infirmat, quandoquidem ad illud penitus evertendum ſatis erit Peripateticis vel unum tantùm accidens intrinſecum ſubſtantiæ, & ab ea realiter diſtinctum oſtendere. Cujus contrarium vobis contingit, quibus opus eſt omnia probare realiter à ſubſtantia eſſe indiſtincta; adeò ut ſi in unius tantùm probatione deficiatis, ſyſtema veſtrum ruere opus erit.* Ac tum addit, *Et ut ad præſens loquamur, ſi de ſola figura per vos non conſtet eſſe realiter indiſtinctam à ſubſtantia figurata, noſque illam realiter adjectitiam & diſtinctam oſtenderimus, actum erit penitus de veſtro ſyſtemate, noſtrumque firmiter prævalebit.* Vides hîc, mi Rocchi, jurium, de quibus aiebam, imparitatem.

Ibidem.

IV. Opponitur probari debere ſeorſim nullitatem accidentium.

ROCCHIUS. Hanc imparitatem non video, mi Pazzi; ſed neque tu videres, niſi prava tua hæc conſuetudo eſſet, ut nihil ponas diſcriminis inter rem à Palancò dictam & rem ita ſe habentem. Palancus ait, ſi unum accidens eſt, omnia ſunt: nos dicimus, ſi unum accidens non eſt, nulla ſunt. Jam verò tu ais, vos male infertis; Palancus autem bene infert. Quærimus rationem diſcriminis, & reſ-

spondes, *Refero verba nostri Authoris*, qui videlicet rem ore suo & authoritate sua ita determinat. Tum Dominus Pazzius suspicetur saltem videre me vestrum effugium: accidentia vestra fere sunt infinita, quæ ideo seorsim persequi nemo possit, nemo seorsim nullitatis convincere: si autem manet unum de nullitate non convictum, dicitis hanc non convictionem de nullitate unius esse convictionem pro veritate omnium satis idoneam.

Si probavero seorsim nullitatem quantitatis, supererit nullitas gravitatis seorsim probanda; uti similiter erit probanda seorsim nullitas actionis, passionis, relationis, ubicationis, motûs, quietis, caloris, &c. in infinitum. Quare nihil unquam obtinebo, quia fas non est persequi omnia: ut in hoc casu, si tantum à me non probatur nullitas figuræ, de qua est sermo, istud accidens omnino erit reale, cæteraque omnia paris erunt realitatis. Si verò hæc nullitas à me probabitur, quid obtinebo, si vobis creditur? pene nihil; quatenus à primo ad ultimum id omnino idem probari de universis ac singulis oportebit: & hæc fuga vestra pudenda est. V. Detegitur effugium male quæsitum.

PAZZIUS. Itaque ut fugam non exprobres, faciamus paria esse jura. Si ostendero realitatem figuræ, dabis mihi omnia accidentia: si è contra ostenderis nullitatem hujus realitatis, fatebor tibi omnium nullitatem. Vide ac memoriâ tene, quam propono, quam accipis conditionem.

PHILALETHES. Nulla æquior proponi, nulla æquiùs accipi potest conditio: nulla simul proponi periculosior, aut accipi periculosiùs potest, quando hinc apertissime secutura est Thomi sinitotius, aut totius Atomismi ruina. Si quæ unquam, hodie res hæc contra è diametro agitur; quando in proximo est, ut sciatur utrum philosophiæ veteri, aut recentiori palmam veritatis & honoris post tot controversias ac per tot sæcula tam publice, tam dubie agitatas adjudicari atque proclamari oporteat. Ete- VI. Hæc concertatio supremi momenti est.

nim utraque fere tota est in probandis, aut negandis accidentibus, quæ in usum Naturæ veniant, aut utique non veniant pro effectibus continuis, quos producit. Ergo agite, Domini mei: & tu quidem, Domine mi Pazzi, aggredere probationem, nempe claram & evidentem illius singularis realitatis accidentalis, quam *figuram* vocatis.

PAZZIUS. Parebo libentissimus; sed non antè aggrediar, quàm rogaverim Rocchium nostrum, an legerit demonstrationes, quas ab initio dialogi hujus quinquagesimi septimi refert Palancus suo in cursu philosophico sparsas pro stabilienda reali existentia relationis, actionis, passionis, ubicationis, &c. Nam plerique Atomistarum, ut noster Author conqueritur, aut spretas non legunt, aut lectas dissimulant: hoc autem *ingentis ruditatis signum est* inquit, *velle systema aliquod stabilire dissimulatis, seu spretis omnino innumeris pene rationibus contra illud militantibus*: ratioque rogandi est, quia si legisset, figuræ realitas, de qua jam sermo est, suaderetur ei faciliùs.

Dial. 57. n. 482.

VII. Satis est si probetur hic realitas figuræ.

ROCCHIUS. Imo, mi Pazzi, nisi legissem, suaderet faciliùs; Sed quid tum? Finge nihil scriptum, nihil lectum, nihil dictum aut auditum unquam de accidentibus cæteris: nunquid pactum nostrum hoc est? si figuram suadebis, omnia suasisti.

PAZZIUS. Itaque supponit Palancus figuram, seu imaginem aliquam artificiosam impressam ceræ: ac tum sic *primò* argumentatur. *Illa figura & imago, sive quod idem est, artificiosa illa & pulcherrima partium ceræ dispositio re ipsa non erat in cera antecedenter, modoque in illa intrinsece reperitur & conspicitur evidenter: sed id pulcherrimum & ingeniosissimum, quod antè non existebat realiter & modo existit realiter intrinsece in cera, realiter entitative distinguitur à cera ipsa quoad substantiam, fitque de novo in ipsa substantia ceræ: ergo illa figura & partium dispositio est novum aliquid factum in cera realiter distinctum*

Dial. 57. n. 484

ab

ab ipsa cera quoad substantiam. Ergo est aliqua realitas, entitas & actualitas substantiæ realiter superaddita. Ad quod argumentum, si bene attendis, ibi habes unde pleniſſime suadearis sine ope cæterorum, quæ addit.

VIII. Aperitur redundantia verborum in argumento.

ROCCHIUS. Ut meliùs atque distinctiùs attendam, mi Pazzi, antè spoliabo illud multa, qua laborat, redundantia verborum. Ad quæstionem enim non spectat, quòd figura illa ceræ impressa, sit pulchra vel fœda, ingeniosa vel fatua, & juxta vel contra leges artis disposita. Ad quæstionem rursus non spectat, an figura ceræ impressa afficiat illam intrinsece; nam licet illam afficeret tantùm extrinsece, dummodo ab illa distingueretur realiter, id sufficeret ad notionem accidentis quæsiti. Hinc non video cur in hoc argumentum insinuari debuerit, quòd hujusmodi figura intrinsece reperitur in cera: vel taceri debuit quod sequitur, *& conspicitur evidenter*; cùm utique repugnet aliquid intrinsecum conspici evidenter. Nisi quòd dum agitur de figura rei, de illa utique agitur, quæ apparet: quæ autem est intra rei crassitiem, non apparet: & ita sufficit ad figuram, de qua præsens controversia est, quod afficiat superficiem rei. Venio jam ad argumentum, *cujus* totam vim ad hæc pauca verba redigi manifestum est. Figura, quæ realiter non erat in cera ante impressionem, est realiter in ea post impressionem. Atqui id quod antè non erat aliquid reale, & postea est aliquid reale, est utique aliquid reale de novo. Igitur figura est aliquid reale de novo in cera: ac proinde aliquid de novo productum in ea, scilicet aliquid reale, entitativum, distinctum & separabile, ut erat probandum. Et hoc quidem argumentum totum admittimus usque ad posteriorem consequentiam, quæ falsa est, & de cujus probatione satagendum est Palanco. Figura est aliquid reale in cera, figura est aliquid reale de novo in cera: hoc utrumque admittitur. Igitur res est, quæ seorsim suam entitatem habet factam atque productam;

hoc tertium negatur; tibique sive tuo Palanco probandum est.

IX. Proponitur aliud argumentum. PAZZIUS. Audi secundum argumentum, & in eo reperies probationem, quam postulas. Sic itaque interrogat. *Illa partium dispositio ingeniosa, seu quod idem est, illa imago est nihil superadditum substantiæ, vel aliquid?*

ROCCHIUS. Jam semel responsum est, mi Pazzi, figuram illam ceræ inpressam & esse aliquid reale, & esse aliquid reale de novo afficiēs ceram: sed non eapropter esse aliquid factum & productum, ut fieri & produci solent res, quæ seorsim sunt alicujus omnino distinctæ ac separabilis entitatis.

PAZZIUS. Patienter te habe, mi Rocchi, & dic quâ fronte possis hanc responsionem afferre. Figura illa, ut ais, non est aliquid factum: igitur nihil fecit artifex, quando illam ceræ impressit: cujus consequentiæ falsitatem copiose ac eleganter manifestat Palancus dicendo. *Nunquid pro nihil efficiendo in cera tantùm laboravit ingenium? tam exquisito labore manus desudavit? Nunquid cera quæ antè informis praexistebat, vel sub forma rudi, nihilo omnino illi superaddito, nec immutato intrinsece, quæ priùs deformi figura attentionem minime conciliabat, postea attentionem conciliat, intuentes delectat, curiositatem omnem suspendit? nunquid opus tanti ingenii nihil omnino est reale? Quis talia dicat, nisi Atomista?* (*Ib. n.* 485.)

X. Satisfit argumento adhibita distinctione. ROCCHIUS. Nemo sane nisi Atomista id dixerit, quia cæteris datum non est ad rei veritatem loqui; satis est si loquantur ad sensum & applausum vulgi. Audite itaque, Domini mei, rationes quæ nos ad ita loquendum movent. Agitur de figura ceræ impressa; & hæc quidem duobus præsertim modis imprimitur; scilicet aut per impositionem sigilli: quod utique fit sine arte ulla; nam ars tota in sigillo est; aut per leges quasdam artis sculptoriæ, seu statuariæ. Et certe non dubitandum quin Palancus loquatur de figura, seu statura quadam cerea integræ, aut dimidiatæ emi-

nentiæ & ex vero expressa elegantissima, in qua videlicet supponit laborasse ingenium, manum desudasse ad attentionem conciliandam, ad intuitum delectandum & ad curiositatem omnem suspendendam. Ad quid autem id supponit, nisi quia ubi plus laboris erit, ibi putat rem fore aut majorem, aut magis factam atque productam; & id falsò putat. Ergo si de figura secundi generis sermo est, sciat Palancus artifices statuarios cum suis baccillis ad instar scalpellorum planis, aut acutis aliud nihil præstare, quàm è massa cerea rubicata & ad resistentem mollitiem temperata paulatim abjicere modò istas, modò illas cum ista & illa, quâ opus est, proportione partes: quibus abjectis patet & eminet figura, cui formandæ illaborabant.

XI. Ostenditur qualiter figuræ non sunt res productæ.

Nunc autem vulgus putat Artifices illos fecisse ac produxisse realitatem talis figuræ; nos autem aliter loquimur & dicimus illos tantùm discooperuisse talem figuram, quando per cæterarum partium abjectionem fecerunt ut appareret, quæ utique involuta erat sub illis. Et revera id præcise quod est abjicere partes alias ab aliis non est aliquid facere aut producere, sive in partibus abjectis, sive in partibus retentis; atque ita nullæ figuræ qualitercunque in hunc aut similem modum elaboratæ fiunt aut producuntur attentâ rei veritate, licet Aristotelici cum plebe affirment illas fieri & produci. Deinde si respicitur ad figuram primi generis ceræ impressam, quæ utique fit per solam impositionem, sive applicationem sigilli, perinde patet quòd in hoc casu talis figuræ de novo apparentis & exhibitæ in cera nihil vere ac proprie fit, nihil vere ac proprie producitur. In hoc quippe casu quid accidit, nisi quòd dum partes sigilli prominentes impelluntur in crassitiem ceræ, aliæ ejusdem sigilli partes profundæ, sive incisuræ replentur cera? & ita sigilli prominentia incisuram, incisura verò prominentiam facit in cera: quo pacto sigillum repræsentatur in cera.

XII. Affertur in exemplũ figura ceræ impressa.

Hoc totum autem ad quid reducitur, nisi ad hoc quòd partes prominentes sigilli partes ceræ aliquas, eas videlicet, quæ subjacent, premunt ac deprimunt? id autem præcise, quod est deprimi, non magis importat aliquid vere ac proprie factum, quàm id præcise, quod est deprimere; unde sicut in partibus sigilli deprimentibus nihil fit, ita quoque nihil fit in partibus depressis, quibus utique utrisque nihil accidit per talem depressionem hinc activam, illinc passivam, nisi quòd istæ movent, illæ autem moventur deorsum. Unde superest in cera talis impressio, quæ figura est: sed talis impressio non est res vere facta, vere producta, cum nihil importet præter motionem localem, per quam non magis fit aliquid in moto, quàm in movente. Et ita ut in sigillo nihil fit per applicationem activam, ita in cera nihil fit per applicationem passivam, quæ est nova ceræ impressio passiva seu figura, quæ vulgo equidem dicitur fieri, sed philosophice tamen loquendo nihil habet, quod vere ac proprie factum productumque sit. Atque hoc tandem est, Domini mei, quod aiebam agens pro Atomistis, figuram ceræ impressam esse aliquid reale, ac de novo reale; sed esse tamen nihil vere & proprie factum atque productum.

XIII. Approbatur ratio adducta.

PHILALETHES. E multis, quæ cursim dixisti, Domine mi Rocchi, hoc nondum audieram, nempe artifices statuarios non conficere figuras, quas vulgo dicimus ab illis fieri: neque non mihi probatur ratio, quam attulisti, videlicet figuram illam talem omnino qualis est, & totam quanta est præfuisse in mole seu massa, circa quam laboratum fuit. Etenim Artifices illi statuarii nullas hujusmodi partes, quæ figuram componunt; sed neque ullarum ordinem mutaverunt, ubi erant ibi sunt: quot erant tot sunt; quales erant tales sunt, unde nihil illis agendum erat in ista figura, nihil actum est: tantùm reiici debuerunt, tantùm rejectæ sunt partes obvolventes talem figuram.

Quare deinceps quando mihi populariter loquendum erit, dicam statuas à statuariis fieri; sed quando philosophice de illis sentiendum erit, tecum apud me illas reputabo non fieri. Neque tamen eapropter mihi videtur idem esse generatim sentiendum de omnibus figutis, uti de illis quæ fiunt per mixtionem & additionem, quales sunt figuræ quæ pinguntur, atque ita componuntur ex variis coloribus temperatis & in telam translatis, ac per luces & per umbras distinctis, sicut ars præcipit: nam in istis saltem figuris ita depictis videtur à pictoribus aliquid fieri. Quare saltem hîc tibi limitate loquendum erit de figura, de qua nimis generatim dixisti nihil in ea vere fieri ac produci.

XIV. Aliter Philosophus, aliter vulgus loquitur de figura.

ROCCHIUS. Imo, Domine Philalethes, nihil hîc limitate loquar: nam sicuti per rejectionem nihil fit sive in partibus rejectis, sive in retentis; ita per additionem nihil fit sive in partibus additis, sive in partibus præsuppositis. Ita rursus per mixtionem nihil fit in partibus mixtis, cùm tam in mixtione, quàm in additione nihil intercedat, nisi motus quidam localis: atque in hunc modum intelliges tam à pictoribus, quàm à sculptoribus, quantumvis diu ac diligenter elaborantibus, nihil vere fieri & produci. Sed non morabor, si placet, hac in re, quæ postea in sermonem redibit: nolo enim abrumpere seriem argumentorum, quæ Pazzius noster ex Palanco afferre cepit. Veni, si placet, Domine mi Pazzi, à secundo ad tertium.

PAZZIUS. Argumentum est cui adhuc minùs facilè satisfieri à te possit, quàm cæteris. Itaque sic argumentatur Palancus. *Dum illa imago & figura est in mente artificis ideata precellenti ingenio, negare audebis ideam illam importare veram realitatem objectivam excogitatam mente & ingenio artificis in abstracto?* Tum post hanc propositionem sibi ab Atomista collocutore suo conces-

XV. Affertur tertium argumentum. Dial. 57. n. 486.

ſam ſic pergit. *Sed nunquid dum ipſemet artifex ingenioſo labore vel in ære vel in cera ipſam realitatem objectivam exprimit & imprimit, nullam omnino realitatem in materia de novo efficit?* & poſt hæc concludit. *Certe hoc evidenter falſum eſt; nam eandem realitatem & formam, quam objective in idea formavit, eandem in cera ſubjective exiſtentem jam facit, & phyſice apparentem ad ſenſum, &c.* An aliquid aliquando, mi Rocchi, evidentius audiiſti?

ROCCHIUS. Ita eſt; & nihilominus volo illud, ſi potero, adhuc evidentius reddere, advocatâ in ſubſidium omni meliori formâ ſyllogiſticâ: & nota interim bonam indolem, qua feror ad quærendam in ore ipſo mei Adverſarii veritatem. Forma itaque omnis melior, ad quam totum illud ratiocinium redigi poteſt, hæc eſt. Si idea figuræ eſt aliquid reale, figura erit pariter aliquid reale: atqui conſtat ideam figuræ eſſe aliquid reale: igitur figura eſt aliquid reale. Igitur adhuc quando artifex elaborat aliquam figuram, efficit & producit in ea veram ac realem entitatem ſupperadditam rei figuratæ & ab ea ſeparabilem. Ita ne, mi Pazzi?

PAZZIUS. Ita omnino, mi Rocchi: niſi quòd Palancus meminit, tu verò obliviſceris figuræ ideatæ ab artifice habenre præcellentiam quandam ingenii pro idea formanda, & induſtriæ pro illa in praxim accurratiſſimam redigenda. An id fruſtra cavet Palancus? non credam; ſed ad rem, ſi placet.

XVI. Non intereſt ad rem pulchritudo figuræ.

ROCCHIUS. Cavet id omnino fruſtra: pone fatuiſſimum artificem, fatuiſſimam ideam, fatuiſſimam figuram, quid inde? An ſyllogiſmus meus, ſive potiùs veſter, non procedit de omni idea, & de omni figura?

PAZZIUS. Sed ad præmiſſum ſyllogiſmum ſive tuum, ſive noſtrum quid jam reſpondes?

ROCCHIUS. Admitto præmiſſas & conſequentiam

unam, quæ prima est; sed alteram nego, quæ secunda est, & de qua sola quæstio tota est. Explico me. Idea sumitur hîc vel formaliter pro præcognitione figuræ laborandæ, vel objective pro figura ipsa præcognita, ad quam respicit artifex, velut ad directricem sui laboris. Itaque sub hoc utroque respectu idea figuræ realis est: & ejusdem proinde realitatis est figura ideæ: atque ita evidentissime infertur per præmissum syllogismum realitas omnis figuræ.

XVII. Figura est realis; sed non ideo est vere facta.

Sed hîc sisti debet; non autem procedi, ut Palancus processit ad alteram illationem de realitate, quæ fiat & producatur ab artifice in figura. Nam si de tali realitate facta & producta in vero ac proprio philosophico sensu sermo est, illam omni ideæ denegamus; & ita nihil hujusmodi ex idea inferri poterit pro figura. Vel si Palancus aliquid hujusmodi concludere voluit in gratiam figuræ, antè debuit duo hæc probare valde improbabilia. *Unum* est, quòd idea quocunque pacto accepta sive formaliter, sive objective, habeat per se sibique propriam entitatem factam & productam & separabilem, aut separatam à mente: quod ideis Platonicis ab Aristotele, vere an falsò, imputatum est. *Alterum* est, quòd talis entitas transferri possit ac debeat ex idea in rem ideatam, sive figuram, de qua jam agitur. Tibi de cætero liberum est, mi Pazzi, ut probes hæc duo, quæ Palancus improbata reliquit: audiam te libenter.

XVIII. Ex idea non probatur, nisi realitas objectiva figuræ.

PHILALETHES. Et ego pariter te audirem ex animo, nisi mallem non interrumpi seriem argumentorum, quæ affers ex Palanco, & quibus utique meliora ulla totus Aristotelismus non habet; unde nihil illi debet imputari, quando affert talia, quæ non convincunt, & in quorum numero esse valde suspicor illud, quod ultimò agitastis. Et ratio suspicandi est, quia realitas ideatum, ad quas artifices respiciunt, quando & quoties operantur,

alia esse non potest, quàm mere objectiva, id est, mere mentalis, mere intelligibilis, & ita nihil habens vere entitativum, vere factum, vere productum, vere distinctum ac seperabile à mente, per cujus solam considerationem est totum id, quod est. Unde si alia non est realitas rei ideatæ, quàm ideæ, quid erit nisi realitas pariter mere objectiva, mere mentalis, &c.? Nisi quòd mere objectivum est, ac meræ considerationis quidquid pertinet ad transferibilitatem realitatis ex idea in rem ideatam; quandoquidem totum consistit in similitudine objectiva, quam postmodùm artifex reperit inter opus suum, & præviam illam objectivam sui operis cognitionem, ad quam dum operaretur, respiciebat. Ut non addam, quòd si figura præcise ut figura est, per se seorsim habet entitatem sibi propriam factam & productam & distinctam & separabilem à re figurata, id perinde omni figuræ conveniret, ac proinde tam omnibus figuris quæ fiunt casu, quàm cæteris quæ fiunt arte: unde ad thesim probandam videtur insufficiens argumentum hoc ductum ex ideis figurarum. Sicque tandem intelligo, Domine mi Pazzi, præmisisse te argumenta minoris roboris & distulisse robustiora, quæ modò audiemus.

XIX. Affertur alius & multiplex discursus.

PAZZIUS. Sane robustissima sunt quæ sequuntur, & multa; sed quæ libuit Scriptori nostro coacervare in unum, ita quòd omnium sit una vis, quam puto invictam. Hæc autem in hoc maxime posita est quòd si figura non est aliqua singularis entitas facta & producta & distincta prorsus ab entitate rei, cujus figura est, id generatim affirmari pariter deberet de omnibus formis ac figuris visibilibus rerum omnium, ex quibus hic Mundus coalescit; atque ita Deus præter materiam, ex qua Mundus coaluit, nihil fecisset, quando illum secundùm ideas suæ sapientiæ ordinavit & efformavit in hunc modum spectabilem, quem miramur. Hinc etiam tota illa pulchritudo, quæ apparet in

in lapidibus, metallis, gemmis, plantis, animalibus, syderibus, &c. nihil esset præter materiam elementarem, quam Atomistæ admittunt. Ac tandem nunquid est perfectior Mundus propter hanc tot rerum varietatem ac pulchritudinem, quàm esset, si Deus materiam reliquisset omnino informem? Quis id neget? Igitur produxit Deus & superaddidit materiæ informi elementari entitates innumeras, quæ sunt innumeræ illæ perfectiones Mundi tanta rerum varietate distincti atque ornati. Perspicisne, mi Rocchi, vim hujus multiplicis argumenti?

ROCCHIUS. Nondum satis perspicio, mi Pazzi.

XX. Roboratur prædictus discursus.

PAZZIUS. Et nihilominus vis hæc tam ex se ipsa patet atque urget, ut Palaneus sentiat non posse aliter, quàm temere contrariam sententiam propugnari: hinc ad suum Atomistam conversus ait, *Audebisne dicere Deum ad extra nihil fecisse secundùm prædictas ideas præter materiam antè creatam sub forma elementorum?* Et rursus, *Audebis item dicere Universum istud præter materiam ..... nihil prorsus importare?* Ac deinde, *Audebisne asserere hoc factum fuisse absque omni entitate, realitate, actualitate, aut forma realiter distincta & superaddita ad materiam rudem & informem præexistentem? &c.* Dial. 57. n. 487.

ROCCHIUS. Sed quid pro veritate audendum non est? sane audendum est pro illa contradicere & Palaneo & tibi, & omni Genti Aristotelicæ. Audendum est affirmare Deum in opificio hujus Mundi nihil aliud præstitisse, quàm quòd combinavit, ordinavit, movit, conjunxit, disposuit in numero, pondere, & mensura omnes particulas materiæ elementaris, prout continebatur in ideis sapientiæ suæ: & ideo non aliter, aut ex aliis principiis fecisse cœlum & terram, & omnia quæ insunt atque interjacent. Audendum est affirmare omnem varietatem specificam rerum in illa particularum elementarium combinatione, in illa ordinatione, mobilitate, conjunctione,

XXI. Contradicitur prædicto discursui.

dispositione positam esse. Audendum est affirmare nullam aliam esse pulchritudinem, proportionem, figuram externam rerum, quàm quæ pendet ex particulis præmissis elementaribus ita combinatis, ita ordinatis, ita mobilibus, ita conjunctis, ita dispositis.

XXII. Affertur ratio contradicendi. Et ratio audendi hæc est, quia in systemate vestro de formis quibuslibet & figuris cogimini perinde recurrere ad combinationem, ordinem, &c. partium materialium, quatenus sine aliqua determinata talium partium dispositione tum interna, tum externa, essent otiosæ inutiles, insensibiles vestræ illæ formæ ac figuræ, siquidem per se non habentes quidquid ad speciem, ad pulchritudinem, ad varietatem, ad figuram requiritur. At è contra juxta leges nostri systematis nihil formis illis vestris ac figuris tribui potest in ordine ad species & pulchritudines & figuras rerum, cujus non sit omnino capax materia nostra elementaris, scilicet ut par est, combinata ad tales effectus.

XXIII. Hic contendi tantùm debet de figura. PHILALETHES. Sistite, si placet, Domini mei, & audite mihi non probari, quòd ubi sermo tantùm est de figura rerum, id est, de forma illa rerum externa, quam *figuram* vocamus, retrotrahitis sermonem ad priores contentiones vestras de materia prima, de forma substantiali, de formis accidentalibus generatim, &c. Nunquam dirimerentur controversiæ præsentes, si semper ad veteres rediretur: sufficit vobis malitia jurgii hodierni, quod si annuitis ita decernam, ut ad extraneas controversias non possit diffluì.

ROCCHIUS. Audietur cum voluptate decretum quod polliceris; sed interim, Domine mi Philalethes, ne mihi saltem irascaris, qui debui argumento, licet nimis vago satisfacere, ne viderer habere nihil, quo satisfierer. Notavi tecum extraneitatem illius: de cujus tamen vi, si quam è recto vel obliquo habet, oro ne taceas; & pro

more tuo lauda, vel vitupera quod respondi.

PHILALETHES. Parce precibus, mi Rocchi, ne verbum referes; ut reus non fiam similis repetitionis. Malo vos illico revocare ad tramitem, à quo deflexistis. Agitur de figura; itaque circulum eligo è figuris planis, globum è solidis: & de utraque opto scite an sit aliquid reale & entitativum & factum & productum, & distinctum & separabile à re, quæ talem accipit figuram. Atque ut clariùs procedam suppono superficiem chartæ adhibito circino rotundatam in circulum, & massam eburneam adhibito torno rotundatam in globum. Habemus hîc circulum & globum, de quibus si quid rectè ad rem præsentem definietur, id generatim de superficierum & solidorum omnium figuris universis pro definito habendum erit. Dic tu prior, Domine mi Pazzi, clare ac luculenter quid de hac utraque figura sentias. XXIV. Proponitur agendum de circulo & globo.

PAZZIUS. Non hærebo, uti neque Palancus hæreret dicere figuram circularem ab illa charta, & globosam ab illa massa eburnea realiter & entitative distingui, atque in hunc modum ut iste globus & ille circulus sint aliquid vere factum atque productum, neque non vere separabile à suis respective subjectis. Ad quod utrumque affirmandum rationes superiores me movent; nempe quòd tales figuras suis respective subjectis accidisse constat; neque minùs constat esse factas; ne dicamus nihil fecisse, qui circino usus est ad priorem, aut qui torno ad posteriorem. Si chimeræ non sunt istæ figuræ, res sunt: si autem res sunt, aut antè fuerunt contra hypothesim, aut de novo factæ sunt juxta veritatem, quam tueor.

PHILALETHES. Tune jam hæres dicere, mi Rocchi? quid subrides, aut quid miraris?

ROCCHIUS. Miror Aristotelicos factores rerum. Mihi millies contigit, optime Philalethes, æquare longitudinem diei cum perpetua delineatione figurarum recti- XXV. Ostenditur nihil vere fieri, quando formatur circulus in plano.

linearum & curvilinearum omnis generis; cumque ad vesperam pervenissem, putabam me fecisse nihil: & in eadem opinione fui, quoties olim exercui me animi gratia in globis, in pyxidibus, in annulis, &c. torno conficiendis. Aristotelici autem diebus singulis ac horis singulis vel tantùm deambulando, aut jocando, aut etiam otiando res grandes, & innumerabiles atque incredibiles faciunt. Sed jam redeo ad circulum & ad globum. Quando immoto uno circini pede alterum circumduco super planitiem chartæ, quid ago? Duco unam illam lineam curvam, qua circulus continetur, & quæ *peripheria*, sive *circumferentia* circuli dicitur: ille autem ductus lineæ hujus circularis non est, nisi circularis quædam annotatio, seu pressio punctorum omnium, quæ in orbem sunt ad certam & æqualem à centro distantiam. Jam itaque puncta illa per talem annotationem, aut pressionem non mutantur intrinsece; nec intrinsece mutatur illud, quod pro centro assumptum est; multòque minùs sic mutatur tota quantitas, sive area circuli tota, quæ prorsus intacta est. Igitur circulus, qui est totum id quod dixi, non est res ulla, quæ à me aut à circino vere fiat, aut vere producatur. Unde infero generatim nullam figuram planam esse quid vere factum atque productum.

XXVI. Item nihil vere fieri, quando globus torno conficitur.

Rursus quando globus ex ebore aut ex alia materia torno conficitur, quid accidit, nisi quòd massâ informi appositâ super utramque torni cuspidem, resecantur variis scalpellorum generibus partes omnes, quæ sunt extra superficiem illam, quâ globus ad certam diametrum tornandus, comprehenditur: & hîc quidem non apparet, nisi talium partium resectio, quæ utique non est aliquid factum atque productum. Unde in genere pariter verum est nullam esse figuram solidam, in cujus elaboratione contingat aliquid vere fieri ac produci. Atque hîc, Domini mei, demum notabitis, me etiam non monente, quantum

discriminis sit inter rei veritatem, & vulgares de illa locutiones. Juxta locutionem vulgarem, quâ nos Philosophi æque utimur, prout quis plus minusve per diem laborat, dicitur plus minusve facere: & ita plus dicitur facere qui diem terit in scindendis lignis, quàm qui tranquille deambulat: plus qui destruit domum, quàm qui complicat chartas; plus qui pugnat, ferit & occidit, quàm qui sedet legendo: &c. Et nihilominus quando rei veritas attenditur, comperitur non plus ab illis vere fieri, quàm abistis, imo nihil vere fieri ab utrisque.

PHILALETHES. Et hinc sine mora illaturus eras, Domine mi Rocchi, nisi obstaret interlocutio mea, Philosophos Aristotelicos nimis cum plebe se confundere, quando non solum cum illa loquuntur de figuris rerum, tanquam de rebus vere factis & productis, & distinctis & separabilibus à suis respective subjectis figuratis; sed etiam cum illa pariter sentiunt tales figuras esse res vere factas & productas & distinctas, &c. De cætero parces, ut precor, interlocutioni meæ, cujus in causa fuit, quòd eminus videam, nisi mea me fallunt lumina, par amicorum, qui ad nos veniant & grandibus & æquis passibus. Proditi fuimus, Domini mei; fuit à quo rescierint nos hîc esse. An tu, mi Pazzi, qui visu polles, deprehendis qui sint? XXVII. Philosophi nimis vulgariter loquuntur.

PAZZIUS. Unus eorum mihi notus est: alterum ignoro: is notus est qui ripæ propior est, & perbene loqueretur de figuris istis; totus enim deditus est geometricis studiis.

ROCCHIUS. Etiam novi; sed nescio an æque bene sentiret quoad rem physicam, de qua sermo est: unus enim eorum est, mi Pazzi, qui nondum ab Aristotele discesserunt. De cætero bonum est, ut pro salute illius oret tota Gens vestra: rara quippe avis est inter vos, homo Geometra. Sed quid agimus, Domine Philalethes? clare jam videmus amicos esse, in quorum occursum ire debea- XXVIII. Proponitur prosequi eandem materiam in dialogo sequente.

mus: & ideo fas non eſt proſequi cœptam materiam. Cras apud te illam, ſi annuis, proſequemur; ego & Pazzius ad te ibimus circa ſecundam, vel tertiam à meridie: tantum provide ut reputeris abeſſe, & ut nemo præter nos ad te admittatur.

PHILALETHES. Ita fiet, Domini mei, ſicut diſponitis. Et ecce jam fere adſunt, ac ſubridere ceperunt. Paremus nos jocis: nam, ut noſtis, faceriſſimi ſunt, neque parum aſpernantur res philoſophicas, pro quibus agitandis jurabunt nobis quæſitam fuiſſe hanc ſolitudinem.





DIALOGUS UNDECIMUS.

QUAM BENE SENTIANT Atomistæ de figura.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

ROCCHIUS, PAZZIUS, PHILALETHES.

ROCCHIUS. Diu nobis pro ingressu pugnandum fuit, Domine Philalethes, ad ostia domûs tuæ. Non aderas; non pranseras apud te; vix pransus exieras domo; summo mane abieras in villam; hæc & similia responsa tulimus; & quod mirum est; etsi tam valde contraria essent, quid quilibet respondisset, id si opus esset, aiebat se cum juramento affirmaturum. Adfuit vetula, quæ nobis audientibus submussitabat esse fortè nos, de quibus Herus dixisset, quòd uni admitteremur. I. Proluditur ad inquirendum quid sit figura.

PAZZIUS. Certe sine ope illius vetulæ, quæ ad hoc saltem bonum servata est, remittebamur, perjeratque hodiernus dialogus. Creditum est illi, rogata fuerunt nomina, dedimus, adfuisti. Ride, si placet, eventum istum.

PHILALETHES. Imo doleo de mora, quam ridendus ille conflictus attulit fruitioni meæ conspectûs vestri. Imperaveram, ut nemo admitteretur præter vos, quos expressi satis; sed satis non attenderunt: hinc ne me adirent quos nollem, dare aditum nemini, puto, decreverant. Quid agam, Domini mei, parcite, oro, crassitiei hominum; atque ut amissi temporis jactura resarciatur, missum facio eventum magis ridendum, cujus narrationem

præmissurus eram isti colloquio. Itaque perpendebam apud me hoc mane seriem totius vestræ disputationis hesternæ de figura, quàm memini à nemine vestrûm definitam fuisse: atque ita deprehendi mirum non esse, si venire in nullam de illa concordiam potuistis. Quid apud Aristotelicos est figura, mi Pazzi? Quid apud Atomistas est figura, mi Rocchi? Hinc aggredi heri debuimus: hinc hodie saltem aggrediamur.

11. Affertur definitio figuræ ex Palanco.

PAZZIUS. Non definiit expresse figuram in his suis dialogis noster Palancus; sed supposuit illam à se alibi definitam, scilicet in Metaphysica tractatu sexto, quæstione septima, numero duodecimo, ubi sic loquitur, *Quarta species qualitatis est forma, sive figura, quæ in præsenti sic definitur*, Est qualitas resultans ex terminatione quantitatis, *v. g. figura circuli, quæ resultat ex eo quòd quantitas undique terminatur per unicam lineam sphæricam & circularem: & figura quadrati, quæ resultat ex eo quòd quantitas terminetur per quatuor lineas rectas mutuò se contingentes.*

ROCCHIUS. Hîc adhuc expressiùs adverto, quod supra aiebam, scilicet formam cum figura confusam in opprobrium quartæ illius speciei bimembris. Ac tum expressissime video, quàm impossibile sit stando in terminis præfatæ definitionis figuram esse de genere rerum, quæ vere ac proprie fiunt ac producuntur, ut heri à me contendebatur.

PHILALETHES. Atqui non rogavi te, Domine Rocchi, quid in tali definitione figuræ Aristotelica vel adverteris olim, vel nunc primùm advertas; sed quæ sit definitio illius Atomistica: ut videlicet his definitionibus inter se comparatis dijudicetur, utra prævaleat alteri, sitque oportunior ad decisionem difficultatis præsentis circa identitatem aut non identitatem realem figuræ cum re figurata: hoc unum enim est quod heri agitatum est & oportet hodie definiri.

ROCCHIUS.

ROCCHIUS. Condonandum est aliquid fervori disputationis: ecce jam parco. Figura apud Geometras ac proinde apud Atomistas est quantitas, *quæ sub aliquo vel aliquibus terminis comprehenditur*, id est, continetur, ambitur, limitatur: qua ratione linea infinita non ponitur inter figuras, quia nullis terminis ambitur, licet aliàs duobus punctis, quæ sunt termini lineæ, uno hinc, & inde altero terminetur. Sed de cætero quantitas omnis, quæ superficies est, aut soliditas, figurata evadit per terminum, aut per terminos, sub quibus comprehenditur: sub uno comprehenditur circulus, ellipsis, sphæra, sphæroides, &c. sub pluribus comprehenditur triangulum, quadratum, cubus, pyramis, conus, &c. Sic explicant se Geometræ, qui præterea dividunt figuram in planam & solidam, prout est vel solius superficiei, vel totius corporis, quod *solidum* vocatur. Taceo cæteras divisiones ad rem præsentem non attinentes. Jam verò, Domine Philalethes, quid adhuc jubes. III. Quid sit figura apud Atomistas.

PHILALETHES. Jubeo nihil, mi Rocchi. Tua jam in potestate sit de præfatis divisionibus agere cum Pazzio nostro, & illas ad apices juris perpendere, ut ex earum altera, quæ prævaluerit, veritas materiæ propositæ eruatur. Age itaque tu prior, quia tuæ hodiernæ partes sunt exponere quid Atomistæ sentiant de figura; & qualiter & quare affirment illam nullius esse singularis ac sibi seorsim propriæ entitatis realis. IV.

ROCCHIUS. Itaque hìc repeto præmissam figuræ definitionem Aristotelicam his verbis expressam. Figura est *qualitas resultans ex terminatione quantitatis*; id est, ex terminatione passiva, quatenus ad quantitatem pertinet terminari: quo pacto corpora, sive *solida* terminantur per superficies, & superficies per lineas, & lineæ per puncta. Ut autem hæc definitio distinctiùs expendatur, suppono superficiem aliquam tribus lineis in totidem angulos coëuntibus terminatam: & quæro, an hujusmodi Notio figuræ nullam importat qualitatem resultantem.

terminatio sit figura, vel non sit figura; nam si non est figura, quomodo qualitas ex illa resultans erit figura? si verò est figura, quomodo rursus figura erit qualitas, quæ resultat ex illa. Ubi de cætero certum est talem terminationem per se solam ita omnino figuram esse, videlicet triangularem, ut quidquid præter illam excogitari potest, sit extraneum ad illam. Ad quid igitur Aristotelici audent inducere in definitionem figuræ qualitatem illam resultantem? An terminat, an terminatur qualitas illa resultans? neutrum haud dubie: hinc ergo adhuc magis extranea est ad figuram quæ nihil est, nisi terminatio quantitatis. Et revera Geometræ, qui nihil prætermittunt ex omnibus, quæ spectant ad notionem, ad compositionem, ad multiplicitatem, ad mensuram & ad valorem figuræ, nullam ullibi agnoscunt, aut nominant qualitatem hujusmodi resultantem. Si quid ad hæc responsi habes, interpone illud pro jure tuo, mi Pazzi, aut pergam.

V. Aristotelici attendunt ad notionem metaphysicā figuræ.

PAZZIUS. Dico Geometras non facere mentionem qualitatis hujusmodi resultantis, quia è finibus suis non exeunt ad figuram metaphysice considerandam. Nos autem è contra illam metaphysice magis, quàm geometrice consideramus: & ita magis atendimus in ea, quòd sit qualitas, quàm quòd sit quantitas terminata: nostrumque fundamentum hoc est, quia una & eadem omnino immutata substantia subit varias figuras; unde liquet figuram esse accidentalē substantiæ, sive qualitatem accidentalem illius. Quòd autem secum afferat hanc vel illam terminationem quantitatis, id se habet materialiter ad figuram; sed quòd sit qualitas, id se habet ad' illam formaliter; unde non est mirum, si Aristotelici Metaphysici antè meminerunt in definitione figuræ qualitatis resultantis, quàm quantitatis terminatæ.

VI. Sed hîc agitur de

ROCCHIUS. Sic per verba semper, mi Pazzi, ut potestis, evaditis; sed mera verba sunt. Nam hîc non

agitur an ab homine Metaphysico considerari possit in figura, & in figura quidem non pure geometrica, sed physica, ratio quædam abstracta qualitatis: agitur an figura physica constituatur physice per rationem illam qualitatis abstractam, aut per realem & physicam terminationem quantitatis, seu magnitudinis figuratæ. Ad id opus fuit respondere: hæc determinanda fuit disjunctio. Sed vim difficultatis dissimulas, & ais licere homini Aristotelico Metaphysico considerare in figura rationem abstractam qualitatis. Considera in figura rationem illam quandiu quotiesque volueris; an aliquid ad veram & physicam entitatem figuræ confert illa consideratio? An ideo quòd hæc figura physica subire possit notionem metaphysicam qualitatis resultantis, definiri per qualitatem resultantem debet? Audi hanc paritatem. Humanitas considerari, ut qualitas potest: sed si de constitutivo physico humanitatis ageretur, & ego quærerem quid in sensu ac statu physico sit humanitas, responderetur autem humanitatem esse qualitatem resultantem ex conjunctione corporis & animæ; quid diceres? An non opponeres superfluam hìc esse mentionem qualitatis resultantis? Nam quòd illa qualitas resultet, aut non resultet, quid inde? dummodo conjunctio illa sit, satis est ad humanitatem physice acceptam.

figura physica.

VII. Et ideo non debet attendi, ut qualitas resultans.

Neque res se habet aliter in hoc casu, in quo quæritur, quid in sensu ac statu physico sit figura; & respondetur figuram esse qualitatem resultantem ex terminatione quantitatis, quando utique nihil præter terminationem istam pertinet ad statum physicum, seu realem figuræ. Sino tandem, Domini mei, hanc difficultatem, & propono aliam urgentiorem. Agitur an figura, præcise ut figura est, sit alicujus seorsim propriæ ac singularis entitatis factæ ac productæ & superadditæ suo subjecto, quod est res figurata. Nos id negamus: id vos affirmatis, mi Pazzi, & affertis ad id probandum hanc figuræ definitionem,

Figura est qualitas resultans ex terminatione quantitatis; Quæ definitio, si bene attenditur, ex adverso probat figuram nihil esse factum productumque seorsim in se realiter, nihil reale superadditum rei figuratæ, nihil reale à re figurata separabile, ut asseritis. Nam utique illa qualitas non resultat, ut pila è muro, in quem projecta est; quare si resultat, non aliter quàm considerabiliter resultat: sic autem resultando, non fit. Nisi quòd si fieret illa qualitas, fieret ut plurimum ab artificibus: quis verò artificem unquam rogavit sibi ab eo fieri qualitatem aliquam resultantem? Quis artificum aliquando cogitavit de facienda qualitate hujusmodi resultante?

VIII. Attributa figuræ non convenirent qualitati resultanti.

Et nihilominus artifices attentissime cogitant de figura, quam elaborandam suscipiunt: non est igitur illa qualitas idem, quod figura: hæc ope aut calami, aut penicilli, aut cœli, aut circini, aut normæ, &c. potest fieri; illa fieri nullis id genus instrumentis potest. Ultimò si figura recte definiretur per hoc quòd est *qualitas resultans ex terminatione quantitatis*, omnia & singula figuræ attributa essent pariter attributa qualitatis illius resultantis: quod apertissime falsum est atque ridiculum. De figura dicitur quòd alia sit plana, alia solida; dicine pariter potest qualitatem resultantem, &c. esse aliam planam, aliam solidam? De omni triangulo dicitur, quòd tres illius anguli semper sint æquales duobus rectis. Quis tali qualitati resultanti tribuere auderet angulos cujusvis numeri, aut valoris? Et sic de cæteris. Quare servet sibi Palancus suam figuræ definitionem à nemine Geometra, à nemine Physico approbandam.

IX. Aliud est vere fieri, & aliud resultare.

PHILALETHES. Multa hîc una serie perpetua opposuisti, mi Rocchi, & adeò incitate dixisti, ut fere hoc unum ponderare potuerim; scilicet hæc duo *fieri* & *resultare* esse valde diversa. Quare tecum consentio qualitatem illam, quam vocant *resultantem*, non esse aliquid vere ac

proprie factum, ſeu productum, hoc uno titulo, quòd non aliter fit, quàm reſultando. Jamdiu ſcimus nihil vere ac proprie fieri,ſeu produci,quod non habeat cauſam ſui materialem, ex qua fiat, & efficientem à qua fiat: hujuſmodi autem cauſam materialem & efficientem non habent entia illa Ariſtotelica, quæ mere reſultantia dicuntur: ex quo fiant, neſcitur; à quo fiant, adhuc mahis neſcitur, ut in hoc caſu. Ducuntur tres lineæ coëuntes in triangugulum:an componitur qualitas,de qua ſermo eſt,ex tribus lineis & tribus angulis?an fit ab illo,qui exarat triangulum, & de illa non cogitat?nemo id dixerit. Et ideo valde propendeo ad affirmandum nihil in figura ſive ſit ſola terminatio quantitatis, ut Atomiſtis placet, ſive ſit qualitas quædam reſultans ex terminatione quantitatis, nihil, inquam, in figura occurrere vere factum atque productum, unde inferri poſſit figuram rei figuratæ ſuperaddere veram aliquam entitatem realem, & ab illa ſeparabilem. Quid agis, mi Pazzi, an reſponſum non affers.

PAZZIUS. Quæro illud, ut videtis Domini mei,apud Palancum, apud quem memini legiſſe me illud valde idoneum: excidit locus è memoria; ſed in illum non tarde incidam.

ROCCHIUS. Interim pergam, Domini mei: & qui non poſſum viſui, repræſentabo tamen intellectui veſtro mille millia qualitatum reſultantium ex terminatione quantitatis; & ubi creditis? ſuper hoc unum, quod præ manibus habeo papyri folium. Etenim in prima hujus folii papyracei ſuperficie ſunt figuræ innumerabiles, & ſaltem multò plures,quàm delineatæ ab omnibus Geometris hucuſque fuerint, aut à pictoribus, aut ab aliis artificibus ullis. Vis circulos? an ibi non ſunt ſecundùm varios orbes puncta conſtitentia lineam illam unam, qua quilibet circulus continetur. Vis figuras trilateras, quadrilateras, multilateras omnes generis? ibi etiam ſunt puncta

X. Eſſent in una charta innumeræ qualitates reſultantes.

per quæ, & à quibus ductæ lineæ illas efformant. Vis pyramides, prismata, sphæras, conos, cylindros, cubos, &c.? ibi etiam non desunt puncta pro ducendis per ea lineis ad talium figurarum exarationem necessariis. Tum ibi adsunt omnes linearum inflexiones & proportiones convenientes formis ad vivum expressis, hominum, animalium, arborum, florum, fructuum, herbarum, lapidum, &c. item urbium, propugnaculorum, domorum, navigiorum, &c.

PAZZIUS. An nondum finis, mi Rocchi? Dic in ea charta esse figuras rerum omnium, & conclusisti. Sed cui suadebis, si placet, ubi nulla figura sit, hîc omnes esse. Exarari quidem in ea charta possunt multa genera figurarum; sed adhuc nulla sunt: ideoque nondum resultant illæ qualitates, de quibus sermo est, ex quantitatis terminatione, quæ nondum est.

PHILALETHES. Clarum est, Domini mei, quòd è diametro pugnatis. Alter ait omnes figuras esse in ea charta delineatas, alter nullam adhuc in ea delineatam esse affirmat: & ego mi Rocchi hac in opinione sum, qui perinde ac Pazzius nullam in ea figuram video.

XI. Ostenditur qualiter sint innumeræ figuræ in una charta.

ROCCHIUS. Non promisi vos illis vestris pupillis visuros hac in charta figuras, quas aio: at intellectu, quod satis est, illas videbitis, si me auditis. Assumo normam, & acceptâ cretâ signo triangulum, quod jam videtis. Sed nunquid jam pariter intelligitis illas ipsas superficiei chartaceæ partes, quæ sub creta jacent, suum ordinem non mutasse; igitur erant pariter dispositæ in triangulum, & constituebant triangulum, licet visus triangulum illud non distingueret: atque in hunc modum illud ipsum triangulum, quod nunc adhuc minus visui patet, quia creta obductum est, intelligitis vel inviti. Si delineavero sphæram, si pyramidem, si cubum, si domum, &c. intelligitis has omnes figuras similiter præfuisse. Si scripsero in ea

hebraïce, arabice, græce, latine, &c. nec etiam dubitabitis, quin talium characterum figuræ omnes præfuerint. Atque uno verbo quidquid delineari potest in hac charta visibiliter, est in ea, licet invisibiliter, anticipatè delineatum: neque hoc totum nunc non intelligitis, ut promiseram, delineatum actu & revera.

XII. Est etiam delineatio omnium figurarum in qualibet superficie.

Sed ite mecum ultra, si placet, & omnes hujusmodi figuras, quas constat esse actu delineatas super hanc chartam, intelligite adhuc delineatas super omnem primam faciem corporum omnium, atque in hunc modum comparebunt innumeræ illæ, quas aiebam figuræ, in infinitum multiplicatæ. Quæ omnia licet tam aperte verificentur de figuris planis, id est, de figuris in superficie corporum omnium delineatis, noveritis, Domini mei, quòd adhuc apertiùs verificantur de figuris solidis æque innumerabilibus intra crassitiem omnium corporum constitutis.

PHILALETHES. Nescio quid non sis probaturus, mi Rocchi, quando rem probasti, quæ nobis tam incredibilis videbatur.

PAZZIUS. Quis unquam simile quid audivit de figuris intra crassitiem corporum constructis? Quis illas construxit? nunquid illas construi ab artificibus opus est? Nihil ego efficit statuarius, quando multo plurium mensium aut annorum labore suam artem exercet circa massam marmoream, ut illam conformet in extantem effigiem Alexandri.

XIII. Figuræ solidæ tam sunt innumerabiles, quàm planæ.

ROCCHIUS. Certe nihil habet efficiendum: nam effigies Alexandri & ad vivum quidem expressa, tota est in massa illa marmorea: at effigies illa jacet & latet sub multis hinc & inde hujus marmoreæ massæ portionibus, in quibus nec pluribus, nec aliunde quàm oporteat rescindendis, suam omnem collocare debet statuarius artem & operam. Ibi est effigies Alexandri stantis, sedentis, equitantis, pugnantis, convivantis, &c. Et quod mirum est, vixit

nemo, aut victurus est, cujus necesse non sit expressissimam effigiem esse in illo præfato marmore : in quo, ne prolixior sim, adhuc sunt formæ rerum tam non viventium, quàm viventium omnium: tantùm rescindat ex illa mole artifex quidquid opus fuerit, & unde opus fuerit, & ecce quidquid voluerit, habebit expressum. Quare si artifici statuario aliqua statua non succedit, imputet sibi, non quòd non produxerit aliquid, sed potiùs quod non destruxerit quod debuit per rescissionem idoneam. Jam verò transferte, Domini mei, ad omnem molem corpoream quidquid modò de hac mole marmoris audiistis, & videbitis figuras solidas tam innumerabiles esse, quàm planas.

PAZZIUS. Nondum me convicisti, sed finge, si volueris, convictum; & dic quid tandem ad rem præsentem inferre paras ex multitudine tam innumerabili figurarum, quas tibi repræsentas in superficie atque in crassitie corporum omnium.

XIV. *Figuræ sunt ad huc plures in corporibus viventibus.*

ROCCHIUS. Nihil aliud inferre paro, mi Pazzi, quàm parem multitudinem qualitatum resultantium ex illa quantitatis terminatione, quæ apud nos tota figura est, apud vos autem tota non est; quia, ut affirmatis, nulla figura esset, nisi qualitas aliqua resultaret: sed neque vere resultaret, nisi vere fieret ac produceretur. Unde apud vos sequitur quot sunt figuræ, tot entitates esse vere factas atque productas: quo major autem multitudo hæc est, eo incredibilior est: & ob id maxime quòd assignari non possint causæ materiales & effectrices illarum; ut probatum est. De cætero autem nondum eò perveneram, quò ire volui pro declaranda innumerabiliori multitudine figurarum in corporibus vita fruentibus. Nam hæc corpora, præter tempus modicum quo consistunt, crescunt aut decrescunt semper : neque incrementum hoc aut decrementum fit aliter, quàm per aliquam immutationem quantitatis; ac proinde per novam quantitatis terminationem;

tionem, quæ nova quædam figura est. Quia verò partes organicæ corporis viventis crescunt aut decrescunt omnes ea proportione, qua totum, hinc apprehendite, Domini mei, si potest fieri, multitudinem ac multiplicitatem figurarum, quæ momentis singulis innovantur in tot corporibus & in tot partibus rerum viventium, uti hominum, animalium, plantarum, metallorum, lapidum, &c.

PAZZIUS. Valde præceps es in loquendo, mi Rocchi: & lapsum linguæ interpretor quod dixisti devita lapidum.

ROCCHIUS. Et ego, mi Pazzi, lapsum mentis interpretor quod negas devita illorum. Sed materia hæc extranea est, & de qua proinde non est cur contendatur. Cæterùm non solemus ad disputationes ita exteras digredi. Nihilominus, si vellet Dominus Philalethes, nobis præter morem aliquam hac de re digressiunculam indulgere, posset ipse testificari quid postquam de illa olim diu ac sæpe litigavimus, decrevimus tandem esse sentiendum. XV. Insinuatur lapides esse qui vivunt.

PHILALETHES. Sentiendum decrevimus, Domine mi Pazzi, si breviter id audire volueris, illos saltem lapides, qui crescunt secundùm eandem figuram, vivere: atque illos præsertim, in quibus est aliqua particularis figura, seu interna, seu externa proportionaliter crescens. Et ratio evidens est, quia mera juxtapositio materiæ, per quam augerentur, figuram illam quæ præfuisset, potius turbaret aut tegeret: aliunde autem patet materiam juxta positam, si crasse spectetur, nihil habere simile cum lapidibus illis crescentibus.

Unde intelligitur illam nihil conferre ad tale incrementum, nisi per exilissimas sui particulas, quæ simul cum variis humoribus insinuant se per eorum poros & internos meatus, in quibus digeruntur, & per quos distribuuntur, ut par est, in totam molem crescentem, & ita XVI. Affertur ratio, propter quam lapides vivunt.

dum moles crescit, crescit etiam figura illius; quod est crescere vitaliter. Hujusmodi autem lapides crescentes secundùm eandem figuram, aut in quibus certæ quædam figuræ inscriptæ, aut insculptæ proportionaliter crescunt, innumeri sunt. Sunt in quibus inscripta, aut insculpta est figura hominis, canis, felis, piscis, ranæ, arboris, cucurbitæ, peponis, larvæ, ostreæ, crucis, &c. & eorum schemata sunt apud Aldrovandum, apud quem videtur etiam schema marmoris mathesi multa ornati, seu figuris multis, uti trigonis, tetragonis, pentagonis, &c. itaque, mi Pazzi, omnes lapides qui sic crescunt, vivunt, & hoc nuper coactus sui fateri Rocchio nostro, postquam illi non raro, ac non parum contradixissem.

XVII. Accedit mira curiositas lapidis exquisite stellati.

ROCCHIUS. Lapidem illum omittis, quo tuam contradictionem tandem contrivi: illum aio, quem exhibui tuis oculis paulò grandiorem nuce, cujus dorso insculpta est stella cælaturæ paululum eminentis. Is sub se umbilicum habet, per quem videlicet excipit alimentum idoneum: & si bene meministi, reperitur hoc lapidum genus satis frequenter in fossis castri Blavii non valde à Burdigala dissiti versùs Oceanum. Sed jam si condonaretur mihi dilatare modice digressionem, quæ cœpta est, dicerem datum mihi nuperrime fuisse aliud lapidis stellati genus ac mire curiosius: neque fas est Datorem tacere. Is est Reverendissimus nostri Ordinis Præpositus Generalis Syrus Joseph Vicus, Vir quem pietas & Mathesis genuerunt: adeò in utramque totus & pariter & unice ardet. Ergo lapillus ille, qui altitudine semilinealis, & latitudine bilinealis est habet radios quinque separatos distinctissimos, quos inspiciens per microscopium reperi habere singulos hinc & inde duodecim incisuras: ac deinde mihi visa est tota substantia valde porosa & instar pumicis, nempe ad admittendos succos & humores per quos nutritur.

Tum illi lapilli ab initio conjuncti sunt & in cylindrum assurgunt; sed quando ad certam magnitudinem pervenerunt, aut, ut ita loquar, ad certam maturitatem, disjunguntur & fiunt stellæ separatæ. Hæc verò lapillorum genera, ut audivi, reperiuntur circa locum villarem *stellæ* dictum, & ab illis sic dictum, prope Arborosam in Comitatu Burgundiæ. Venio jam ad rem & dico talium lapillorum structuram esse ita mirabilem atque ita subtilem ut necesse sit eos crescere per intussusceptionem ac proinde vivere. Atque hîc quidem, Domini mei, digressionem quam nobis mutuò condonabimus, claudamus. Et dic, mi Pazzi, bona fide, an non magis sanam Physicam sapiat quod dicimus figuram non esse, nisi terminationem ipsam quantitatis, quàm quod dicitis figuram esse qualitatem resultantem ex terminatione quantitatis, ob impossibilitatem multam, quæ est in assignandis perpetuis atque infinitis causis physice productivis talium qualitatum sic resultantium.

XVIII. Describitur dicti situ figura præmissi lapidis.

PAZZIUS. Quidquid dixeris, nullam hujusmodi impossibilitatem hîc fatebor, difficultatem tamen aliquam fatebor. Ac præsertim in casu figuræ, quæ v. g. fit in cera per applicationem sigilli; quia vix intelligo in hoc casu causam productivam entitatis factæ & productæ, qualem esse dicimus figuram ceræ impressam: hîc enim non apparet nisi mera sigilli applicatio, in qua præcise ut applicatio est, concipitur quidem vis repræsentandi sigillum in cera, sed non apprehenditur vis activa & productiva entitatis ullius, cui conveniat esse qualitatem resultantem ex tali repræsentatione, quæ est tantùm certa quædam terminatio quantitatis. Eapropter, Domini mei, si mihi relictus fuissem, suscepissem potiùs probandum aliud accidens, quàm figuram, cujus entitas singularis difficiliùs ostendi potest quàm illa, quæ est accidentium cæterorum. Sed videbam Palancum magis in figura, quàm in cæteris

XIX. Proponitur disputandũ potiùs de calore accidentali.

accidentibus confidentem; sicque laxavi recte in verbo illius.

XX. Sed calor non magis producitur, quàm figura ROCCHIUS. Atque hìc tandem intelliges, quàm mihi tecum generose ac liberaliter agitur. De figura nihil aliud prosequamur, quoniam in illius entitate singulari ac seorsim propria, de qua sermo est, probanda fateris te difficultatem aliquam experiri, converte te ad accidens quodcunque aliud & de illo renovemus conditionem hesternam: si probaveris realitatem illius, dabo tibi accidentia vestra omnia; si nullitatem talis realitatis ostendero, erunt mihi tibique accidentia vestra universa pro nullis. Quale itaque est accidens illud, quod ex arbitrio tuo potiùs suscepisses probandum?

PAZZIUS. Calor est; & hujusmodi quidem accidens est, in quo etsi Palancus fiduciam multam posuerit, ponere majorem potuit, nisi fallor, ac præsertim majorem, quàm in figura. Quapropter hesternâ conditione, ut vis, renovatâ, & dummodò placeat Philalethi Moderatori nostro, faciamus rursus in hoc calore accidentali aut Thomismi, aut Atomismi totius ruituri periculum.

XXI. Debuisset continuari disputatio de figura. PHILALETHES. Totum hoc mihi minime placet, Domine mi Pazzi, neque tibi decorum est: tota colluctatio vobis esse debuit hodie de figura, & de illa pactum conventumque inter vos fuit, quòd si realitas illius probaretur, accidentium cæterorum realitas censeretur probata; & è contra quòd si non probaretur, nulla pro realibus censerentur. Standum in conditione fuit & antè debuit colloquium solui, quàm thesis mutari; vel præsertim quia scio vobis Aristotelicis non deesse altius eo, quod rationis est, refugium fidei pro accidentibus vestris stabiliendis. Habetis Sacramentum Eucharisticum, in quo accidentia vestra stabilire soletis, & ad quod, si ratio deficit, non est indecorum refugere.

PAZZIUS. Hæc est, ut nosti, Domine Philalethes,

arx nostra inexpugnabilis; sed antequam in eam me reciperem, imitari debui Scriptorem nostrum, qui non aggreditur probare accidentia nostra in dial. 64. per Sacramentales Eucharisticas species, nisi postquam in sexagesimo tertio præcedente ultimum rationis conatum exeruit in stabiliendo accidente caloris. Et sic vel ob unam istam imitationis necessitatem debui deserere figuram ad dicendum aliquid de calore, quamvis evidentius non esset, præ accidentibus cæteris, illum consistere in aliqua entitate reali, vere facta & producta, & distincta, & separabili à subjecto suo, sive naturali quod est ignis, sive extraneo quod est aqua, vel quidvis aliud calefactum. Da veniam itaque ut adhuc de illo aliquid disputetur, quo fulciri accidentium aliorum ex occasione istius realitas possit. Permitte ut ioterrogetur à me Rocchius noster iisdem verbis, quibus Palancus Atomistam suum invadit, ***Dic mibi qualiter aqua calefit.***

XXII. Cur a·i etiam debuerit de calore

Dial. 63. n. 540.

ROCCHIUS. Parceres tuæ interrogationi, mi Pazzi, si te non cepisset oblivio modi physici, quo rarefactionem aquæ in olla nuper, quum de tali materia tractaretur, exponebam per corpuscula ignis insinuantia se in poros ollæ, & excitantia, & dissociantia, & attollentia partes aquæ usque ad exundationem: scis exosam mihi esse rerum semel dictarum iterationem.

XXIII. Opponitur qualiter aqua non posset calefieri.

PAZZIUS. Nolo vel unam syllabam à te repeti; sed ecce hodie apud Palancum invenio nova duo solidissima ratiocinia, quæ invicte militant contra id, quod tunc aiebas de tuis illis poris & corpusculis, & ideo nolo esse prætermissa, quia forsan ad tui convictionem pro calore Aristotelico admittendo proficient. Unum est, quòd ignis non potest intra aquam admitti & non illico extingui, & ita non calefaceret aquam, licet intra illam admissus. Alterum est, quòd ignis ille non afficeret aquam intrinsece, & ideo aqua no vere calefieret, quia maneret ab intrinse-

co frigida, ut antè. Sed quia istæ difficultates sui totius splendoris non sunt in ore meo, volo, si annuitis, Domini mei, referre illa ex ore nostri Scriptoris. Ad illam interrogationem, *Qualiter aqua calefit*, Atomista respondet. *Non quidem entitalulâ illâ, quam vos* calorem *appellatis, sed corpusculis igneis tenuissimis & mobilissimis, quæ aquam invadunt, & commovent, & in vapores dissolvunt, & sic aquam calefaciunt.* Palancus contra sic instat. *Miror quòd horum corpusculorum igneorum aquæ intromissorum fabulas credas: qualiter enim in medio aquæ intromittetur & subsistet atomus ignea, ignis naturâ servatâ; quando vel carbo ignitus, si in medio aquæ mittatur, statim naturam ignis amittit, & ignis extinguitur? Quomodo tenuissima illa ignis particula, undique circumjectâ aquâ, aquæ resistet & indemnis conservabitur in esse ignis?* Tum addit, *Quis vos fascinavit ut talia credatis, quæ nullo sensu percipitis, imo sensibus omnibus repugnantibus?* Et hæc est prior difficultas.

XXIV. In quo consistat lucor ignis.

ROCCHIUS. Et hæc est prior, quæ facillime solvetur. Agiturne hîc, mi Pazzi, de una scintilla vel atomo ignea, quæ invadat aquam ad illam calefaciendam? fortè putas quòd si unica est, mutabitur in aquam, falleris: res omnes quoad entitatem suam quidquid semel sunt, semper sunt. Agitur de corpusculis plurimis igneis, quæ aquam illam invadunt, & intra illam retinent activitatem ignis, licet ignis lucorem non habeant; quia lucor ille consistit in fluxu libero & satis copioso talium corpusculorum. At aqua impedit liberratem copiamque illam fluendi, qualiter etiam impediuntur fluere corpuscula carbonis igniti, quando mergitur sub aquis & sic extinguitur.

XXV. Ignis non perit, quando extinguitur.

Sed tamen ignis ille non perit, imo tenaciùs recolligitur, ut deinceps patet ex facilitate ac constantia igniendi. Nisi fortè putes carbonem illum sub aqnis mersum obtinuisse ab illis hanc dispositionem igniendi & facilè & cons-

tanter. Si tale quid putas, risibilior erit hæc fabula, periculosius erit hoc fascinum. Sed non videmus, inquit Palancus, illa corpuscula per aquam insinuata, quid agendum? efficiat ut videamus omnia quæ sunt, & corpuscula illa videbimus. An videt ipse suas illas formulas figuræ, caloris, relationis, actionis, &c. Admittit formulas, quas non videt: & corpuscula non vult admittere hoc uno titulo, quòd non videat: an intellectus non præstat visui? Vel certe si asserere Philosopho non licet nisi quod videt, arduum non erit felem in Philosophum commutare. Erit haud dubie, mi bone Pazzi, posterior difficultas multùm urgentior.

PAZZIUS. Sic videtur: & ecce ut Atomistam suum interrogat. *Deinde à te rogo. Nunquid Atomus illa ignis afficit intrinsece totam aquam, cui intromittitur?* *Ibid. n.541*

ROCCHIUS. Id interrogari posset, si quis nostrûm aliquando dixisset totam aquam, videlicet in aliqua olla contentam calefieri ab una quadam atomo ignis in illam intromissa. Non adverto rationem sic interrogandi; sed perge. XXVI Interrogatio fit, quæ deberet omitti.

PAZZIUS. Pergo, & ecce responsum Atomistæ. *Quamvis*, inquit, *supponatur existens intra partes sui subjecti, non tamen est intra partem ullam illius ejusdem subjecti; & sic nullam illius partem afficit intrinsece: ergo nec afficit intrinsece suum subjectum, quandoquidem subjectum nihil est præter omnes partes, ex quibus constat.* Tum addit Palancus, *Sic ad literam præfatus Atomista.* An nosti, mi Rocchi, Atomistam illum? An ad literam ita est?

ROCCHIUS. Ad literam ita est: & Atomistam illum novi, sed non bene, quia nondum novi bene me ipsum. Verba hæc citat Palancus ex opusculo meo de accidentibus profligatis quæst. 1. art. 8. n. 65. ubi agens de activitate accidentium aio, quòd sicut unum corpus non potest afficere intrinsece aliud, ita neque unum corpusculum XXVII. Nulla res materialis afficit aliam intrinsece.

afficere aliud intrinsece potest : est etenim par ratio. Unde postea infero falsum esse quòd Aristotelici aiunt posse subjectum quodcunque materiale affici, videlicet intrin ece ab ulla hujusmodi entitalula materiali ac proinde corpusculari, quam vocant qualitatem, aut formam accidentalem. Hoc sensu corpuscula ignea, quæ sunt intra molem aquæ, non afficiunt illam, si proprie loquimur, intrinsece, cùm intrinsece non afficiant ullam aquæ particulam : at moles illa coalescit ex omnibus suis particulis, nec est in se aliquid præter omnes. Sic aiebam ibi, & idem hîc aio.

PAZZIUS. *Optime quidem* : & hæc est instantia nostri Scriptoris : *ergo licet plures atomi ignis intromittantur atomis aquæ, nulla atomus aquæ intrinsece afficitur ab atomis ignis, nec intrinsece immutatur : ergo nec intrinsece calida fit per atomos ignis : ergo tota aqua, quæ nihil aliud est præter omnes sui partes & atomos tam frigida manebit intrinsece, ac erat antea. . . . Ad quid ergo illæ atomi ignis pro aqua calefacienda* ? Sic Palancus. Ego verò addo, quòd in vestro systemate aut aqua non calefit contra hypothesim ; aut est calida simul & frigida, quod est contradictionis, vel certe contrarietatis plenissimum.

XXVIII. Qualiter aqua calefiat.

ROCCHIUS. Aqua illa est ab intrinseco frigida, & est ab extrinseco calida ; ubi est jam, mi Pazzi, plenitudo illa contradictionis, aut contrarietatis ? Error vester est in hoc quòd creditis, quòd aqua non esset calida, nisi ab intrinseco calida esset ; & rursus quòd nisi ab intrinseco calida esset, non posset jam calefacta calefacere aliquid; quasi verò ad hoc ut calefiat & calefaciat non sufficiat ei societas ignis cum ipsa permixti. . .

XXIX. Calor aquæ non est nisi calor ignis permixti.

PHILALETHES. Et ego quidem, Domini mei, si datis veniam loquendi & imponendi metas hodierno colloquio, dicam ingenue fuisse me diu in hoc errore vulgari, juxta quem creditur vim ignis calefactivam intrinsecam communicari aquæ in hunc modum, ut ei pariter fiat intrinseca

intrinseca; & rursus ut ea pariter calefaciat deinceps ab intrinseco, si quid illi apponitur, aut immergitur. Sed tum puduit me abiisse in errorem illum, quem neque novi, nisi ex quo mihi ab Atomistis demonstratum est rem unam non posse fieri ab intrinseco aliam: ac proinde activitatem intrinsecam unius rei non posse fieri activitatem intrinsecam alterius. Hinc autem intellexi aquam non posse magis ab intrinseco fieri calidam aut siccam, quàm ignem ab intrinseco frigidum aut humidum. Unde mihi jam certissimum est illum aquæ calorem, de quo jam agitur, non esse nisi calorem ignis, qui sese corpusculatim inter partes aquæ permiscuit ac implicuit; & ideo aquam non esse nisi denominative calidam, nisi denominative calefacientem; quia nunc nihil caloris magis illi ab intrinseco inest, quàm antè, dum nihil caloris habere reputabatur.

Sed de cætero ad quid opus est, ut aqua fiat ab intrinseco calida, & ab intrinseco calefactiva? Ad nullum naturalem effectum id opus est; quandoquidem ignis per aquam insinuatus & cum illa permixtus id totum præstat, quod aqua præstaret, si ab intrinseco calefieret, & calefaceret. Itaque, Domine mi Pazzi, quando manum mergis in aqua calida, ne putes aquam esse, quæ te calefacit, sed ignem aquæ immixtum: quando manum admoves ferro ignito, ne putes ferrum esse quod te urit, sed ignem ferro imbibitum. Uti quando aqua salsa palato molesta est, non id aquæ, sed sali aquam imprægnanti tribuitur: quando aqua, cui quis cicutam infudit, hominem necat, non id ad aquam, sed ad cicutam refertur. Id ego à quibusdam annis sic arbitror, & consulo ut arbitreris. Consulo etiam ut à ratione, quæ infallibilis non est, procedas ad authoritatem infallibilem fidei, si quam habes pro stabiliendis accidentibus universis & singulis hactenus controversis.

XXX. Aqua fieret inutiliter calida ab intrinseco.

PAZZIUS. Sed nunquid sines, Domine Philalethes, opponere me adhuc Rocchio pauca, sed magni ponderis, quæ hoc ipso in loco Palancus Atomistis opposuit.

XXXI. Opponuntur multa, sed quæ nullius momenti sunt.

ROCCHIUS. Parcam, mi Pazzi, tuo labori: ecce substantiam totius opositionis. Opponit quòd si nulla particularis atomus aquæ invaderetur intrinsece ab aliqua particulari atomo ignis, nulla utique solveretur in vapores: quasi ad solutionem & abitionem alicujus atomi aqueæ in vapores non sufficiat, quòd dissocietur & propellatur ab atomo ignea pone instante. Opponit etiam quòd nulla atomus aquæ in vapores abiret, quia nulla esse potest plus minusve extensa; quasi ad abeundum in vapores aliud requiratur, quàm sejungi ab atomis cæteris & in sublime attolli. Opponit adhuc aquam organo molendinario circumagitatam frigidam esse, atque ita calorem aquæ non consistere in commotione; quasi verò ullus Atomista vel somniando cogitaverit calorem aquæ consistere in commotione illius alia, quàm quæ fit per ignem, à cujus consortio calida dicitur. Et hæc quidem ac similia ita levia sunt, ut eorum mentio potuisset facilè prætermitti; sed, Domine mi Pazzi, volui servire desideriis tuis, & nihil tacere omnium, quibus credidisses posse tuas partes defendere. Jam ergo valedicamus Domino Philaleti & abeamus.

XXXII. Clodius margaritas apponebat palato.

PHILALETHES. Imo Domini mei sponte, vel invite manebitis apud me hac nocte. Cænatiuncula mihi est, quam tripartiemur: videte fiduciam ac ingenuitatem erga vos meam. Non probabitis in mea, ut olim in mensa Clodii probatum est, quid in gloria palati sapiant margaritæ: at hospitis voluntatem probabitis omni sapore meliorem.

ROCCHIUS. Jam non semel illam probavimus.

PAZZIUS. Obtemperandum est tuæ jussioni, Domine Philalethes, quæ cæterùm hoc titulo præter pluri-

mos est acceptissima, quòd dum honorem offers nocturnæ hujus apud te permansionis, gratiam polliceris aurium tuarum pro disputationum nostrarum serie non longiùs, quàm in crastinum differenda.



DIALOGUS XII.

QUAM MALE PROBENT Aristotelici accidentia ex speciebus Eucharisticis.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

PHILALETHES. Non est datum homini, uti advertiris hac horâ, Domini mei, suis ducere vitam auspiciis & sponte sua componere curas. Anteluculo surrexi, fuique compulsus egredi ad officia sollicitudinis alicujus domesticæ. Cæterùm putabam me illico rediturum; sed repentina & personarum & rerum turba obstitit; & ecce nona imminet, quum me habetis reducem. An renunciatum vobis non fuit de mea egressione inexpectata? An appositum vobis non fuit, unde robur accederet jejuno stomacho? Utrumque jusseram.

I. Agitur de accidentibus probandis per species Eucharisticas.

PAZZIUS. Et in utroque tibi fuit obtemperatum, Domine Philalethes: fuitque simul à nobis animadversum prætermittere te nihil omnium, quæ placere ac gratificari tuis hospitibus possint.

ROCCHIUS. Animadvertimus & laudavimus, Opti-

me Philalethes: sed cui laus nulla placet, tibi nostra tacebitur. Jam verò noveris nos ab una & altera hora tuo in hoc musæo multa volvisse animo&lingua de rebus Eucharisticis, quâ parte spectant ad accidentia Aristotelica, quæ Pazzius quidem per eas admitti debere affirmat, ego verò per eas profligari oportere pronuncio. Hæc est hodiernæ disputationis materia, sed quæ de cætero tot secum ambages trahit, ac protrahit in tot contentiones, ut nunquam antehac magis, quàm hodie nobis tuo moderamine opus fuerit ad nihil inordinate aut superflue disputandum.

II. Palancus eadem argumenta affert, quæ Gennarus.

Vellem, si fieri posset, nihil hîc repeti ex omnibus quæ te audiente ac definiente, inter nos olim sufficienter agitata sunt circa materiam istam, quando enitebar vindicare Maignanum ab impugnationibus Gennari. Tum, ut nosti, juris publici feci nostros dialogos sub titulo *systematis Eucharistici*, è quo hodiernus Adversarius noster Palancus transtulit in opus suum hoc contra Philosophiæ Novatores dialogisticum argumenta omnia Gennari, eadem fere ac sola; sed pro ingenio forti ac subtili, quo pollet, sæpe mutata in pulchriorem formam & urgentiorem. Notabitis etiam per parenthesim, Domini mei, & ad pœnam libri, si vultis, videbitis nihil quoad vim& substantiam objectionum hîc à Palanco dictum, nihil à Gennaro præoccupatum, quod anticipate non scripserit & non abunde solverit Maignanus in sua præsertim quinta appendice ad Philosophiam Sacranm: adeò nihil ille de speciebus Eucharisticis affirmaverat, quod nesciret esse inexpugnabile, quia omnes impugnationes prævenerat, quæ deinde menti Adversariorum suorum occurrere possent aut ex Scriptura, aut ex Conciliis, aut ex Patribus, aut ex canonibus, aut ex suffragiis Theologicis, aut ex inventis philosophicis, &c.

III. Cavebitur,

Claudo parenthesim, & redeo ad id quod aiebam fo-

re in votis meis, si posset fieri, abstinere ab omni superflua repetione sive rationum, quibus firmata satis fuerit alibi nostra opinio, sive solutionum quæ satis ibidem infirmaverint opinionem oppositam. Nam quia plurima sunt & voluminis non unius, quæ in hunc modum & probata & soluta sunt, si probanda iterum & solvenda resumerentur, non unius diei, sed anni disputationem exigerent. Itaque tu equidem, Domine Philalethes, si quid in antiqua illa, cujus bene meministi, concertatione mea cum Pazzio propugnante opus Gennari, mihi non satis in hac materia probatum aut solutum fuit, id suggere ut hìc, si potero, adimpleam quæ illic desunt. Tu verò, Domine mi Pazzi, qui agis hodie pro Palanco restaurante pugnam Gennari, & iisdem ac fere solis armis utente, in hoc si placet, totus incumbe, ut ejus nomine non proponas, nisi quod magis invictum ac demonstrativum videbitur: ac proinde leves ictus, si quos tulit, tace ne rideantur; sed fortes si quos tulerit, loquere ut seriò retundantur.

ne quid repetatur ex systemate Eucharistico.

PAZZIUS. Rem difficilem postulas; quia enim Palancus ex omnibus, quæ de suo aut de alieno afferre poterat, selegit quidquid fortius ac virilius, quidquid altius ac subtilius ipsi videbatur, nihil reliquit hìc meo delectui. Obtemperabo tamen, ut potero.

IV. Quæritur notio physica specierum sensibilium.

PHILALETHES. Ego pariter video tentari me supra id quod possum: noveris enim, mi Rocchi, non esse me tenacissimæ ejus memoriæ, cujus aliquando fui; & ita in potestate mea non esse, ut hoc in ipso temporis puncto recitem unâ serie observationes à me olim factas circa id, quod in vestris hinc & inde pugnis veteribus & ad præsentem materiam spectantibus dubitationi relictum est ob insufficientiam aggressionis, aut defensionis. Confido tamen non earum paucas & eas saltem quæ momenti majoris fuerint, in animum esse recursuras paulatim & quas, ut occurrerint, communicabo. Tum inde accipietis con-

filium oportunius ad nihil prætermittendum quod dici debeat, & ad dicendum nihil, quod debeat prætermitti. Itaque hoc primum memini à me observatum fuisse quòd non satis fuisset agitata inter vos & elucidata notio physica specierum sensibilium generatim: nam hinc maxime ac fere unice pendet veritas, aut falsitas opinionis, quam alter vestrûm impugnat, alter propugnat de accidentibus Aristotelicis intelligendis per eas species, quas post substantiarum panis & vini transmutationem definitum est in Eucharistia remanere. Capite, si placet, mentem meam. Ad hoc ut verificari possit accidentia Aristotelica quantitatis, gravitatis, coloris, figuræ, &c. intelligi debere per species, quas definitum est remanere post consecrationem panis ac vini, oportet ut ante utriusque consecrationem fuerint veræ species utriusque: siquidem remanere non possunt, nisi quales præfuerint.

V. Et qualiter accidentia possint esse species.

Hinc opto ut hoc primum examini vestro subjiciatis, an accidentibus Aristotelicis generatim loquendo conveniat esse veras species substantiarum, quarum sunt accidentia. Etenim si res ita est, hoc ipso quòd definitur species panis & vini remanere, eadem definitione statuitur accidentia prædicta panis & vini remanere: quia verò remanere non possunt nisi præfuerint, vi ejusdem definitionis patebit accidentia hujusmodi præextitisse. Sed tum si res aliter haberet, id est, si accidentibus Aristotelicis non conveniret esse veras species suarum respective substantiarum, nihil ex remanentia specierum panis & vini concludi posset in gratiam talium accidentium panis & vini: sicque omnino esset incertum an remanerent, imo an præextitissent. Tandem ut advertitis, Domini mei, pendet tota decisio theologica vestræ hodiernæ disputationis ex decisione philosophica, quam aperui & præoccupandam proposui circa veram notionem sensibilium specierum pendentem, aut independentem ab accidentibus Aristotelicis.

PAZZIUS. Placet admodùm, Domine Philalethes, iste disputandi ordo, quem proponis; & hinc magis placet quòd noster Palancus in hoc ex professo incubuit, ut probaret species Eucharisticas esse vera accidentia, quod utique probat in dialogo septuagesimo secundo, cujus hic titulus est, *Explicantur species sensibiles in Sacramento per vera accidentia, &c.* Unde mihi non arduum erit eruere veram notionem specierum sensibilium, & ostendere illam propriissime convenire accidentibus Aristotelicis ad repræsentandas substantias, quibus inhærent.

ROCCHIUS. O te beatum, mi Pazzi, si poteris ex dialogo illo, quem sæpius legi, eruere veram illam, quam quærimus, notionem specierum sensibilium & earum propriissimam convenientiam cum accidentibus Aristotelicis, de quibus sermo est. Neutram in illo invenire potui. Da, si placet, librum & legam, & fortè intelligam, si te habuero pro interprete. Ecce Atomista sic interrogat. *Sed quid rei physica est hujusmodi repræsentatio realis & sensibilis?* illa scilicet repræsentatio, per quam panis consecratus apparet panis, ut antè. Palancus sic respondet. *Est sane ipsa species realis & sensibilis, quam panis praferebat formaliter in se ipso.* Tum Atomista quærit insuper, *quid est hujusmodi species*, quam videlicet panis præferebat formaliter in se ipso? & Palancus respondet. *Non est quidem aliqua species intentionalis, aut intelligibilis, prout species sunt in intellectu, aut in sensu: nam sic non posset constituere sacramentum reale re ipsa positum, & existens extra sensum & intellectum. Nec item est species virtualiter & per modum motûs aut qualitatis transeuntis, qualiter sunt species in diaphano, vel in aëre transeunter tantùm. Sed est species realis, realisque apparentia sensibilis, qua panis sensibiliter apparet panis, &c.*

VI. Quid intellexerit Palancus per speciem sensibilem.

Dial. 72. n. 613.

Breviùs dixisset speciem, quæ in quæstione posita est, non esse speciem receptam, non esse speciem transmissam,

VII. Potuisset breviùs ex-

ponere suam mentem.

sed esse speciem subsistentem. Cùm igitur de ista sit quæstio, de ista debuit reputare se interrogatum, & de ista respondere quid esset. Interrogatus quid sit species panis consecrati, respondet quòd eadem sit ac species panis non consecrati: interrogatus deinde quid sit species panis non consecrati, respondet quòd est species, qua panis apparet panis. Quod est respondere, ac simul non respondere.

PAZZIUS. Debuisti legere quod sequitur, mi Rocchi, & vidisses claritatem ac dignitatem responsi absoluti. Lege tria hæc loca, quæ affert ex sacris paginis, *species mea immutata est in me*. Ac tum *specie tua & pulchritudine tua* Et deinde *ne circumspicias speciem alienam*: quæ loca, inquit, *plane significant speciem realem corporum.*

Dan. 10. Psal. 44. Eccli. 9.

ROCCHIUS. Sed neque adhuc respondet, mi Pazzi; nemo negat speciem realem corporum; quæritur quid sit illa species realis: ad hoc quæsitum debuit responderi.

VIII. Exponitur aliter quid sit species realis corporum.

PAZZIUS. Sed, mi Rocchi, habe, oro, patientiam & audies quid sit illa species realis. *Species igitur realis*, inquit, *relate ad omnes sensus formalissime est ornamentum illud coloris, figuræ, extensionis, odoris, saporis, suavitatis, mollitiei, aut duritiei, & aliorum hujusmodi, quibus substantia corporea constituitur formaliter sensibilis, &c.* Paulò post addit, *Plane intelligitur speciem corporis, aut substantiæ corporeæ nihil rei physicæ esse, nisi ornamentum substantiæ ex omnibus illis accidentibus constans, quibus formaliter se præsentat aut repræsentat in actu primo sensibus.* Tum concludit, *Constat ergo speciem panis esse cumulum accidentium prædictorum, sive ornamentum ex illis coalescens in substantia panis.* An adhuc tibi satisfactum non erit? Nulla est substantia, quæ sua non habeat accidentia: hæc collige & hæc intellige esse speciem illius. Sic igitur pani, ut rebus cæteris, sua sunt accidentia, quæ sunt species ejus: & ideo post transsubstantiationem vera ejus species manet, si accidentia manent; sed aliter manere, quàm istis

manentibus

manentibus non potest. Atque ita id, quod definitum fuit de solis ac duntaxat speciebus panis & vini post consecrationem remanentibus, reputari debet pariter definitum de solis ac duntaxat accidentibus utriusque. Quid ais, mi Rocchi? estne lux ipsa clarior hac consequentia?

ROCCHIUS. Aio nullas in luce tenebras esse: & in hac consequentia multas esse, scilicet ortas ex tenebris præmissarum. Vide jam igitur, mi Pazzi, tenebras istas. Tenebræ sunt in hoc quod affirmatur accidentia repræsentare substantias: nam sine aliqua similitudine nulla repræsentatio est: at inter substantias & accidentia similitudinis nihil est. Rursus similitudinis nihil est inter accidentia omnia unius substantiæ, unde si fortè substantia uni accidentium suorum esset similis, dissimilis esset aliis omnibus; & ideo ista non concurrerent ad repræsentationem illius: qua ratione cumulus accidentium tam dissimilium ineptissimus est ad repræsentandam substantiam. Cæterùm hîc supponitur substantias repræsentari per accidentia: quid hoc est? repræsentari ad visum, ad auditum, ad gustum vel alium sensum? Atqui non magis videmus, aut audimus, aut gustamus rerum substantias quàm essentias, aut subsistentias, aut potentias, &c. Istæ siquidem formalitates nulli sensui corporeo patent, soli intellectui reservantur. Quid ergo est quod dicitis substantias per accidentia sensibiliter repræsentari, quando nulla unquam ulli aliquando sensui patuit?

IX. Declaratur multiplex obscuritas præmissæ expositionis.

Tenebræ sunt in hoc quod dicitur substantias ornari per accidentia, & hoc ornamentum accipi debere pro specie, qua repræsentantur. Nihil aliquando magis metaphoricum audivi: nam quòd accidentia ornent, aut non ornent substantiam, perinde accidentia sunt: & res fœdissimæ ac omni ornatu destitutæ, perinde ac pulcherrimæ & ornatissimæ, habent & exhibent speciem sui. Quid hoc igitur est substantias ornari per accidentia? An accidentia sunt

X. Falsum est substantias ornari per accidentia.

veluti quædam vestes sericæ ac deauratæ substantiarum? Sed si substantiæ & accidentia se habent penetrative ad invicem, ut Aristotelicorum doctrina hæc est, non potiùs substantiæ ab accidentibus, quàm à substantiis accidentia induuntur: quamquam si nihilominus tribuitur accidentibus vestire substantias, non illas utique repræsentare, sed occultare tribuitur; qualiter vestes non repræsentant corpus, sed occultant. Tenebræ sunt in hoc quòd dum providetur repræsentationi substantiarum per accidentia, veluti ornamenta ipsarum, non providetur repræsentationi accidentium: nam accidentium perinde ac substantiarum debet esse aliqua species, & ea quidem realis: quare sciendum superest quid sit hæc species realis accidentium.

XI. Assignari deberent suæ species singulis accidentibus.

An etiam accidentibus propria sunt ad ipsorum repræsentationem aliqua ornamenta? An se invicem ornabunt, ut se invicem repræsentent? Non puto tamen repræsentari posse figuram ab odore, aut odorem à mollitie, aut mollitiem à sapore, &c. Cuilibet talium accidentium sua singularis competit species, sine qua non potest ulli nostrorum sensuum exhiberi. Dic igitur, mi Pazzi, quid sit species odoris, quid sit species mollitiei, quid sit species saporis, &c. aut donec id dixeris, dicam tenebras esse in vestra illa doctrina de speciebus sensibilibus corporum. Dicam in particulari valde obscurum esse quod aiebas esse tam clarum de identitate inter species panis & accidentia panis, & unde inferebas species panis post ejus consecrationem superstites esse illa ipsa singula & omnia accidentia, quæ olim panem præsentem repræsentabant, & adhuc repræsentant, licet absentem.

XII. Respondet ir accidentia esse sensibilia per se ipsa.

PAZZIUS. In hunc modum quo agis, mi Rocchi, tenebras ubique reperies. Ad quid opus est tam minutim, tam curiose res istas perscrutari? Quæsiisti quid sit species realis corporum, & dixi illam speciem consistere in cumulo accidentium, quæ investiunt & adornant substantiam. Tu

verò postquam jocos fecisti & ista vestimenta & ista ornamenta substantiæ, iterum quæris quid sit species realis accidentium, paratus ad quærendum & tertiò & quartò & sine fine quid sit species speciei, quam assignabimus. Quare ut his quæsitis metas impertransibiles figam, pronunciabo speciem substantiæ accidentia esse, ut declaravi, accidentium verò speciem nullam esse, sed esse sensibilia per se ipsa.

ROCCHIUS. Sed sic respondere, mi Pazzi, nunquid est in desperationem abire? Memento, si sapis, te personam hîc agere doctissimi, simul ac juratissimi Aristotelici, qui nunquam id sensit, qui è contra sensit accidentia omnia egere ad sui sensationem efficiendam speciebus propriis & distinctis. Quid, Domine mi Pazzi, si hoc sensit de luce, an dubitabis quin de accidentibus cæteris ita senserit?

PAZZIUS. Non erit dubitandi locus; quia lux per se valde sensibilior est ob ingenitum splendorem, quàm accidens ullum è cæteris.

ROCCHIUS. Suppono, Domine Philalethes, habere te in hoc tuo magnifico Musæo Palancum.

PHILALETHES. Habeo plane opera illius omnia & Theologica & Philosophica: & hîc utraque sunt ad manum.

ROCCHIUS. Itaque Palancus in libro secundo de anima, quæstione tertia, quæ est *de potentia visiva & ejus objecto ac subjecto*, inter varia quæsita inquirit septimò, *An lux per se videri possit*, & isti quæstioni tripliciter respondet; sed omissis duabus prioribus responsionibus, quæ minùs sunt ad rem præsentem, lego sic tertiam. *Respondeo tertiò*, inquit, *lucem adhuc in corpore luminoso non videri per se absque specie distincta, sed per speciem aliquam à se distinctam.* Et addit, *Patet* ex d. Thoma q. 10. de veritate art. 8. ad 10. ubi sic ait. *Ipsa enim lux, quæ est in Sole,*

XIII. Ostenditur Palancum liber sensisse.

non videtur à nobis, nisi per similitudinem ejus in visu nostro existentem : & concludit, *Non ergo per suam speciem absque specie distincta*. Reddo librum.

XIV. Cur Adversarius dissimulaverit hanc opinionem.

PHILALETHES. Potuisti, mi Rocchi, parcere labori hujus lectionis: nam Pazzius noster, si voluisset, locum illum recitasset memoriter; adeò parum ignorabat Palancum in hac opinione fuisse. Sed maluit hanc opinionem dissimulare, ut se liberaret ab importunis quæstionibus, quibus se à te præsentiebat exagitandum circa species, per quas fateretur accidentia sensus nostros afficere. Prævidebat quòd si fateretur lucem Solarem videri per speciem à se distinctam, illico quæsiturus eras quid sit species illa lucis in luce ipsa; quid sit illa species in medio quod pertransit; quid sit in subjecto, in quo recipitur: ac deinde quæsisses modum physicum, quo multiplicatur, quo propagatur, quo recipitur, ut mittam cætera. Sed neque pro jure, quo me voluisti apud te valere, permisissem hunc dialogum distrahi ad hujusmodi difficultates, quas memini jam semel fuisse olim à te propositas Pazzio, quando inter vos certatum fuit, *An non verius per atomos, quàm per formas exponatur quidquid pertinet ad sensationes corporeas efficiendas*?

Syst. Euch. t. 1. dial. 5.

PAZZIUS. Memini etiam illius nostri certaminis; quod hic superflue restauraretur. Sed jam vicissim an non veniam dabis, mi Rocchi, quærendi per quas species tu vides substantias & accidentia.

XV. Nec substantiæ nec accidentia videntur.

ROCCHIUS. Valde me intricas, mi Pazzi; ego neque substantias, neque accidentia unquam vidi, & quæris à me quæ sint species, per quas & illas & ista video. His oculis non vidi hactenus nisi corpora, quæ nec sunt substantiæ, nec accidentia; tantùm in corporibus illis concipio formalitates substantiarum & accidentium: & istæ quidem formalitates sunt res, quæ objiciuntur menti, sed non sunt res, quæ subjaceant visui. Corpora sunt quæ cor-

poraliter videntur; & hæc quidem corpora sunt extensa, gravia, figurata, colorata, rara, mollia, lævia, &c. neque non talia videmus aut alio sensu corporali percipimus; sed tum non videtur, neque ullo sensu percipitur id formale ac præcisum, per quod illa corpora sunt extensa, & quod vocamus *extensionem*: id formale ac præcisum, per quod sunt gravia, & quod vocamus *gravitatem*: id formale ac præcisum, per quod sunt figurata, & quod vocamus *figuram*: atque ita de cæteris.

Quo pacto extensio, gravitas, figura, &c. non sunt nisi formalitates intelligibiles in corporibus hujusmodi extensis, gravibus, figuratis, &c. Neque obstat isti veritati vulgaris loquendi usus, juxta quem sermo fit de formalitatibus illis, de qualitatibus illis abstractis perinde ac de rebus, quæ suam seorsim propriam ac singularem entitatem corporalem haberent; nam non sic veritas pendet ex sermonibus vulgi. Loquitur ac sentit vulgus de extensione corporis, uti de re corporea superaddita corpori: tum accedit Philosophus, & disquirit quid sit illa extensio, reperitque illam aliud esse nihil, quàm positionem partium talis corporis extra partes, & ideo aliud nihil esse, nisi partes ipsas non penetratas; unde concludit extensionem præcise acceptam, sibique uni seorsim intelligibili relictam nihil habere corporeæ entitatis. Atque in hunc modum accidentia cætera persequerer; sed intelligentibus pauca. XVI. Qualiter accidentia non habeant propriam realitatem.

PHILALETHES. Si persequi cœpisses, Domine mi Rocchi, rogaturus eram non persequi. Nam nunquid nuper inter vos pactum conventumque fuit judicandum esse per existentiam aut non-existentiam realem cujusvis assignabilis accidentis de existentia aut non-existentia reali omnium? Nisi quòd jam satis intelligimus atomismum tuum, juxta quem præter corpora ipsa, seu præter partes corporum integrantes, nihil omnino est in corporibus illis, quod XVII. Quæritur quid sint species in sensu atomistico.

non videtur à nobis, nisi per similitudinem ejus in visu nostro existentem : & concludit, *Non ergo per suam speciem absque specie distincta.* Reddo librum.

XIV. Cur Adversarius dissimulaverit hanc opinionem.

PHILALETHES. Potuisti, mi Rocchi, parcere labori hujus lectionis: nam Pazzius noster, si voluisset, locum illum recitasset memoriter; adeò parum ignorabat Palancum in hac opinione fuisse. Sed maluit hanc opinionem dissimulare, ut se liberaret ab importunis quæstionibus, quibus se à te præsentiebat exagitandum circa species, per quas fateretur accidentia sensus nostros afficere. Prævidebat quòd si fateretur lucem Solarem videri per speciem à se distinctam, illico quæsiturus eras quid sit species illa lucis in luce ipsa; quid sit illa species in medio quod pertransit; quid sit in subjecto, in quo recipitur: ac deinde quæsisses modum physicum, quo multiplicatur, quo propagatur, quo recipitur, ut mittam cætera. Sed neque pro jure, quo me voluisti apud te valere, permisissem hunc dialogum distrahi ad hujusmodi difficultates, quas memini jam semel fuisse olim à te propositas Pazzio, quando inter vos certatum fuit, *An non verius per atomos, quàm per formas exponatur quidquid pertinet ad sensationes corporeas efficiendas*?

Syst. Euch. p. 1. dial. 5.

PAZZIUS. Memini etiam illius nostri certaminis, quod hîc superflue restauraretur. Sed jam vicissim an non veniam dabis, mi Rocchi, quærendi per quas species tu vides substantias & accidentia.

XV. Nec substantiæ nec accidentia videntur.

ROCCHIUS. Valde me intricas, mi Pazzi; ego neque substantias, neque accidentia unquam vidi, & quæris à me quæ sint species, per quas & illas & ista video. His oculis non vidi hactenus nisi corpora, quæ nec sunt substantiæ, nec accidentia; tantùm in corporibus illis concipio formalitates substantiarum & accidentium: & istæ quidem formalitates sunt res, quæ objiciuntur menti, sed non sunt res, quæ subjaceant visui. Corpora sunt quæ cor-

poraliter videntur; & hæc quidem corpora sunt extensa, gravia, figurata, colorata, rara, mollia, lævia, &c. neque non talia videmus aut alio sensu corporali percipimus; sed tum non videtur, neque ullo sensu percipitur id formale ac præcisum, per quod illa corpora sunt extensa, & quod vocamus *extensionem*: id formale ac præcisum, per quod sunt gravia, & quod vocamus *gravitatem*: id formale ac præcisum, per quod sunt figurata, & quod vocamus *figuram*: atque ita de cæteris.

XVI. Qualiter accidentia non habeant propriam realitatem.

Quo pacto extensio, gravitas, figura, &c. non sunt nisi formalitates intelligibiles in corporibus hujusmodi extensis, gravibus, figuratis, &c. Neque obstat isti veritati vulgaris loquendi usus, juxta quem sermo fit de formalitatibus illis, de qualitatibus illis abstractis perinde ac de rebus, quæ suam seorsim propriam ac singularem entitatem corporalem haberent; nam non sic veritas pendet ex sermonibus vulgi. Loquitur ac sentit vulgus de extensione corporis, uti de re corporea superaddita corpori: tum accedit Philosophus, & disquirit quid sit illa extensio, reperitque illam aliud esse nihil, quàm positionem partium talis corporis extra partes, & ideo aliud nihil esse, nisi partes ipsas non penetratas; unde concludit extensionem præcise acceptam, sibique uni seorsim intelligibili relictam nihil habere corporeæ entitatis. Atque in hunc modum accidentia cætera persequerer; sed intelligentibus pauca.

XVII. Quæritur quid sint species in sensu atomistico.

PHILALETHES. Si persequi cœpisses, Domine mi Rocchi, rogaturus eram non persequi. Nam nunquid nuper inter vos pactum conventumque fuit judicandum esse per existentiam aut non-existentiam realem cujusvis assignabilis accidentis de existentia aut non-existentia reali omnium? Nisi quòd jam satis intelligimus atomismum tuum, juxta quem præter corpora ipsa, seu præter partes corporum integrantes, nihil omnino est in corporibus illis, quod

habeat vel quid minimum alicujus corporeæ entitatis. Sed tum per sensus deprehenditis, sicut cæteri hominum, corpora illa esse extensa, gravia, figurata, colorata, &c. neque id deprehenderetis, nisi ad tales sensationes sui efficiendas objective concurrerent: ad illas autem sic efficiendas concurrunt per correspondentes sui repræsentationes, & istæ repræsentationes vocantur *species*. De istis saltem speciebus Pazzio respondebis quid sint: & id libenter ambo audiemus; nec inutiliter ad aliam observationem circa res istas olim à me factam & hoc ipso momento sese meæ memoriæ offerentem.

XVIII. Species sunt repræsentationes ipsæ.

ROCCHIUS. Quæris quid sint species, dum tu ipse quæstioni respondes, Domine Philalethes, & ita quidem ex integro, ut nihil respondendum supersit. Species sunt illæ repræsentationes, per quas objecta ad sui sensationes efficiendas concurrunt: illæ autem repræsentationes sunt activæ, aut passivæ, & ita reducuntur ex parte objectorum ad id unum, quod est agere aut pati: & ecce Philosophiam omnem atomisticam de speciebus sensibilibus corporum.

PAZZIUS. Habetis hîc Philosophiam mire brevissimam, mi Rocchi; sed illam, nisi dignaberis aliquantulum dilatare, non capio. Dic, si placet, quid sit species corporis quanti, quid sit species corporis gravis, quid sit species corporis colorati, quid sit species corporis figurati: ac tum de cæteris speciebus quid sint conjiciam ex istis quatuor.

PHILALETHES. Dic etiam, si placet, quid sit species corporis lucidi, sapidi, odori & sonori: ex quibus quatuor istis specierum generibus patebit clariùs veritas atomisticæ hujus Philosophiæ de speciebus; sed dic quàm brevissime poteris: prævideo enim magnam copiam rerum, quæ hodiernæ vestræ disputationi se offerent.

XIX. Exponitur

ROCCHIUS. Utriusque voluntati ut paream, dico corpus, quod est quantum, sive extensum sufficienter se

tale repræsentare per hoc, quòd offert visui & tactui plures sui partes seorsim videndas atque tangendas. Atque in hunc modum illa repræsentatio tum activa, tum passiva partium extra se positarum est vera & sola species corporis quanti, sive extensi, juxta notionem communem extensionis consistentis in positione partium extra partes. Deinde suppositâ notione gravitatis consistentis in descensu, aut in nisu ad descensum, corpus per hoc unum sufficienter se repræsentabit grave, per quod exhibebit se ita descendens, aut enitens ad descensum: & ideo præter hanc exhibitionem sive activam, sive passivam quærenda non est alia species corporis gravis. Sic etiam quærenda non erit alia species corporis colorati, quàm repræsentatio quæ fit per lumen reflexum illius extremæ perspicuitatis, in cujus apparente modificatione consistit color. Et cum figura in terminatione quantitatis consistat, quare alia quæreretur species corporis figurati, quàm actio illa vel passio, per quam corpus illud se repræsentat taliter terminatum: sic autem se repræsentat per hoc unum, quod habet & exhibet partes suas sub his aut illis terminis, seu locis ultimis comprehensas. Ecce, mi Pazzi, quid sint quatuor illæ species, de quibus à te rogatus fui.

de multis speciebus in particulari quid sint.

XX. *Aliæ quædam species exponuntur.*

Audi, mi Philalethes, quid sint aliæ quatuor, de quibus insuper me rogasti. Concipe corpus lucidum corpuscula lucis radiatim mittere aut remittere, quæ per se aut per fluida intermedia vim talium radiorum habentia feriunt oculum: Concipe corpus sapidum habere varios sales pungentes ac titillantes palatum: concipe corpus odorum corpusculari quodam effluvio nares afficere: concipe corpus sonorum ex vi percussionis admittere in se vibrationes, quæ repercutiuntur in aërem illas undulatim referentem ad auris tympanum. Hoc tantùm si concipis, deprehendes actiones & passiones, quibus corpora ista concurrunt ad præmissos effectus, esse veras ac solas spe-

cies,per quas repræſentantur lucida,ſapida,odora,& ſonora. Sed neque aliter omnino diſcurrendum eſt de omnibus generatim ſpeciebus,per quas corpora omnia ſe ſe cum diſcrimine pene infinito ſuis reſpectivè ſenſibus taliter,aut taliter repræſentant. Atqui, ut video, nondum expectationi veſtræ, Domini mei, ſatisfactum eſt; nam oportet adhuc, quod primarium eſt, oſtendere qualiter hæc Philoſophia transferri poſſit ac debeat ad ſpecies Eucharisticas ſolas ac duntaxat manentes poſt conſecrationem panis & vini.

XXI. Proponitur difficultas de ſpeciebus paſſivis.

PHILALETHES. Hoc opus, hic labor eſt, mi Rocchi; ſed nihil, quæſo, antè aggredere, quàm tibi communicaverim recordationem meæ cujuſdam alterius obſervationis antiquæ circa veſtram illam deſpeciebus generalem doctrinam ad caſum particularem de ſpeciebus Eucharisticis tranſlatam. Itaque intelligebam quod aiebas olim poſſe Chriſtum in Sacramento divinitus agere id omne, quod panis ageret, ſi adeſſet: ſed non intelligebam quomodo Chriſtus ſic poſſet pati quidquid pateretur panis, ſi adeſſet. Unde quia ſpecies panis naturalis aliæ in actionibus, aliæ in paſſionibus ipſum repræſentantibus conſiſtunt, ut mox dixiſti, hinc hodie adhuc minùs intelligo poſſe in Sacramento remanere omnes ſpecies panis, Chriſto ſcilicet valente quidem omnes actiones panis jam tranſſubſtantiati ſupplere, ſed non valente paſſiones illius in ſe admittere. Hæc difficultas olim me premebat, ut memini, & adhuc me premit.

XXII. Adverſarius hanc difficultem vocat urgentiſſimam.

PAZZIUS. Hanc difficultatem, Domine Philalethes, Palancus vidit, & inſuperabilem eſſe agnovit: quare ſecundo loco illam recenſuit inter *rationes urgentiſſimas*, *quæ*, ut converſus ad ſuum Atomiſtam aiebat, *per veſtras actiones objectivas eludi non poſſunt.* Hanc, ſi annuis, opponam Rocchio; non meis tamen, ſed ipſiſſimis verbis noſtri Authoris, ne fortè de illius vi aliquid pereat.

PHILALETHES. Sed cur, mi Pazzi, hanc ſecundam

dam urgentissimam rationem afferres primâ omissâ: hæc forsan erit, quæ Adversarium tuum urgebit acriùs.

ROCCHIUS. Affer, affer, mi Pazzi, utramque; amo urgeri: & si tertia quædam est pariter urgentissima, noli omittere.

PAZZIUS. Itaque audi Palancum. *Mitto alias rationes urgentissimas, quæ per vestras actiones objectivas eludi non possunt. Prima, quia actio formalis occupandi locum, seu spatium intra superficiem aëris ambientis hostiam, non est actio objectiva, sed actio formalis & physica. Debetis ergo vel dicere spatium illud vacuum realiter & physice manere, vel admittere quantitatem realem panis, quâ occupetur localiter & circumscriptive; nam per corpus ipsum Christi sic non occupatur, multoque minùs per actiones divinas formaliter indistinctas ab ipsa Divinitate.* Quid hinc superest, mi Rocchi, nisi ut eligas aut vacuitatem loci, in quo est hostia; aut quantitatem in loco illo, ad illum videlicet replendum. Elige. XXIII. Opponitur quòd locus, ubi est hostia, esset vacuus.

ROCCHIUS. Eligo, mi bone Pazzi, vacuitatem, quam vos vitare falsò præsumitis per vestram illam Aristotelicam quantitatem. Locum repleri per corpus, verum est; sed perinde repleri per solam quantitatem illius corporis, falsum est, nihilque magis chimæricum est. Quid est quantitas? est extensio, id est, positio partium extra partes: tolle jam partes, quid superest? positio. At hæc positio cum jam non sit positio partium, nullius rei positio est, & ideo nulla res est. Quod cùm ita sit, quis ille est mentis adeò parum philosophicæ, qui putet perinde ad locum replendum se habere positionem alicujus rei ac positionem nullius rei? Ac proinde vestra illa quantitas, quæ cum materia ex hypothesi locum repleret, illum sine materia non repleret: hinc falsò arguitis locum, ubi est hostia, fore plenum, modò ibi sit quantitas panis, licet absit materia panis. Amovete, quæso, à Vobis errorem tam turpem. XXIV. Talis vacuitas non est repugnans.

PAZZIUS. Sed saltem à nobis aliquatenus providetur plenitudini loci hujus, ubi est hostia, quando in eo supponimus quantitatem: vos autem nullatenus illi provideritis, quando in eo non supponitis, nisi actiones objectivas Christi divinitus operantis. Nisi quòd quantitas illa secum habet accidentia cætera materialia, quæ hoc titulo non sunt ut actiones illæ objectivæ spirituales, omnino ineptæ ad locum replendum.

XXV. Ad accidentia non pertinet replere locum. ROCCHIUS. Jam dixeras, mi Pazzi, quòd in eo loco supponeres quantitatem; sed si quantitas hæc, ut nullius rei quantitas est, ita res nulla est sive spiritualis, sive materialis, locus in quo hanc supponis, perinde vacuus est ac si non supponeres in eo, nisi chimæram: unde fit ut à vobis plenitudini ejus loci non aliter provideatur, quàm in speciem & verbo tenus. Nos autem bonæ fidei sumus, & eum locum fatemur vacuum, quia jam in eo corpus panis non est: & rursus quia Christi corpus, quod in eo est, nec extensum, nec circumscriptum est, ut ad replendum locum necesse est: qua ratione neque per objectivas actiones ullas repleri potest. De cætero pertinebit ad Deum, si voluerit, substituere substantiam aliquam corporalem pro panis substantia, quæ in corpus Christi mutata est: quamquam putamus tale vacuum etiam millies ac millies multiplicatum nullius detrimenti fore ad res Naturæ. Neque non Aristotelici compelluntur recurrere ad similem substitutionem, quia tandem illa quantitas, etsi locum repleret, nunquid illum vacuum relinqueret, quando cum cæteris accidentibus esse desineret?

XXVI. Vel præsertim ob id quòd se invicem penetrant. Quòd autem ad hæc accidentia cætera recurritis ad meliùs locum replendum, error idem est: nam si quantitas nullius rei res nulla est, ita gravitas nullius rei res nulla est, ita figura nullius rei res nulla est, &c. ac proinde accidentia hujusmodi etiam infinita non replerent locum, de quo est sermo. Ultra quòd accidentia id genus omnia,

ſtando in tricis Ariſtotelicis, ſe habent penetrative ad invicem; & ideo non magis per omnia, quàm per unicum prædictus locus, in quo eſt hoſtia, repleretur. Tandem ſi accidentibus Ariſtotelicis perinde ac corporibus convenit locum replere, ſuperflua ſunt ad Mundum replendum corpora: ſicque illæsâ plenitudine ſpatii totius mundani annihilari poterunt univerſa: quid ſimile fuit unquam à Poëtis fictum? Itaque mi Pazzi, non video Atomiſtas valde urgeri per primam illam *urgentiſſimam* rationem Veſtri Authoris. Ad ſecundam, ſi placet.

PAZZIUS. Pergo ſic legere. *Secunda. Nam ad veritatem Sacramenti non ſolùm requiruntur actiones objectiva panis, ſed etiam paſſiones aliqua accidentales: nam ſpecies Sacramentales re ipſa corruptibiles ſunt; alioquin fruſtra eſſet tanta cura in Eccleſia Sacramentum renovandi: iſtam autem corruptibilitatem Deus ut Deus, imo nec corpus Chriſti glorioſum per ſe ipſum formaliter ſupplere poteſt.* Hujus rationis vim quomodo declinabis, mi Rocchi? oportet enim ut hîc aſſignes aliquid corruptibile, ubi nihil eſt præter Chriſtum & accidentia panis: in Chriſtum autem cadere corruptibilitas illa non poteſt: igitur ut in accidentia cadat neceſſe eſt. Hujus rationis vim, iterum dico, quomodo declinabis, mi Rocchi? XXVII. Reſumitur difficultas de paſſionibus objectivis.

ROCCHIUS. Et quomodo tu, mi bone Pazzi, non advertis ſolutionem primæ illius *urgentiſſima* rationis eſſe ſolutionem iſtius pariter *urgentiſſima*? Dico quantitatem quæ nullius rei quantitas eſt, & ideo res nulla eſt, corruptibilem non eſſe: dico gravitatem, quæ nullius rei gravitas eſt, & ideo res nulla eſt, corruptibilem non eſſe; præſertim quia hîc ſermo eſt de corruptione ſubſtantiali, quæ per incuriam aliquando contingit, putredine ſacrarum ſpecierum degenerante in generationes vermiculorum. Itaque an iſti vermiculi non habent materiam & formam ſubſtantialem? An aliquod merum accidens tranſmutari- XXVIII. Oſtenditur nihil poſſe ex accidentibus generari.

in materiam & formam substantialem potest? Et materia quidem generabilis non est: non igitur fuit ex accidentibus genita: neque forma substantialis generari aliter, quàm ex materia potest, in cujus sinu præcontinetur, (loquor Aristotelice:) in sinu autem accidentium non præcontinetur: non igitur ex accidentibus gigni potuit forma hæc substantialis talium vermiculorum. Quid igitur superest; (& hæc est opinio, in quam Aristotelici hac ætate faciliùs eunt) quid, inquam, superest, nisi ut dicatur Deum ad occultationem mysterii & ad exercitium fidei suppeditare pro hisce generationibus materiam idoneam, & illam quidem suppeditare in illis ipsissimis circumstantiis rerum ac temporum, id quibus ex pane, si adesset, generationes id genus fierent.

XXIX. Aliàs hinc sequeretur superfluitas corporum in phænomenis Naturæ.

Atque hic est, modus, quo Christus plane incorruptibilis supplet divinitus agendo corruptibilitatem illam, quam objicitis, specierum sacramentalium, & pro qua supplenda, nobiscum, si sapitis, ad miraculum idem recurritis. Cæterum sicut pro solutione prioris rationis aiebam errorem esse in hoc, quod creditur apud Aristotelicos accidentia corporum perinde ac corpora ipsa idonea esse ad locum replendum, ita jam aio errorem peiorem esse in hoc, quod etiam credunt accidentia perinde valere ad agendum & patiendum quidquid patiuntur & agunt corpora, ut in hoc casu Eucharistico quidquid panis ageret & pateretur, si adesset, de accidentibus affirmant, quòd id totum agunt & patiuntur. Si res ita est: superfluum est, quòd creaverit Deus corpora; satis ei fuisset creare accidentia corporum; nam perinde mota fuissent, quievissent, genuissent, genita fuissent, &c. ac tandem perinde omnia Naturæ phænomena contigissent. Quis, mi Pazzi, vobiscum id unquam crederet? Et ideo rursus non video Atomistas valde urgeri per hanc alteram *urgentissimam* rationem. Si adest tertia pariter *urgentissima*, noli eam tacere.

XXX. Opponitur difficultas de sectione specierum. *Dial. 74. n. 639.*

PAZZIUS. Non tacebo; sed hoc pacto juris, quod mihi retineo, postea opponendi tuis responsionibus meas instantias. Pergo adhuc sic legere. *Tertia, quia Sacramentum evidenter frangitur, integro corpore Christi manente; actio autem divina ab ipso Deo indistincta frangi nequit. Sacramentum dividitur in particulas; sed Corpus Christi integrum perseverat & indivisum in qualibet particula. Id docet Ecclesia, dum ait, Fracto demum Sacramento, ne vacilles, &c.* Unde concludit. *Est ergo in Sacramento aliquid sensibile, quod in particulas dividitur.* Ac tandem ad abundantiam hujus rationis ait, *Mitto etiam alias passiones, quæ de Sacramento verificantur, ut calefieri, humectari, siccari, & alia hujusmodi, quæ Corpori Christi glorioso repugnant.* Vides hîc, mi Rocchi, plurimas passiones in speciebus Eucharisticis contingentes, quas utique supplere Christus non potest, quia non potest pati hæc omnia, quæ panis pateretur, si adesset. At saltem istam rationem non negabis urgentissimam esse: quomodo evades?

XXXI. Respondetur accidentia non posse frangi, calefieri, &c.

ROCCHIUS. Evadam facilè, opponendo nullis accidentibus vestris Aristotelicis, sive conjunctim, sive seorsim convenire posse istas apparentes passiones sacramentales divisionis, caloris, humoris, siccitatis, &c. & ideo recurrendum esse ad Christum, qui pro illis repræsentandis suppleat divinitus defectum panis absentis.

PAZZIUS. At hoc ipsum est, quod contenditur, mi Rocchi, Christum non posse supplere tales passiones, quia supplere illas nisi per consimiles passiones non potest: nullis autem passionibus hujusmodi potest subjacere in hoc Sacramento. Vel dic modum verum ac realem, quo supplere illas potest, & eris mihi magnus Apollo.

XXXII. Et afferuntur plures rationes.

ROCCHIUS. Dicam postmodùm, mi Pazzi; Sed antè dicendum quod ceperam, falsum esse quod creditis posse accidentia subjacere præfatis passionibus divisionis, caloris, humoris, siccitatis, &c. Imo nec fere dicendum,

ſed ex antè dictis recolendum eſt accidentia, quæ dum ſubſtantia erat, erant accidentia alicujus rei, ſublatâ ſubſtantiâ jam eſſe accidentia nullius rei: & hoc pacto ſicut non poteſt fieri, qnod ſupra dictum eſt, ut ſeparatim agant quidquid & qualiter agebant conjunctim, ita nec fieri poteſt ut quidquid & qualiter patiebantur conjunctim, id totum & ſimiliter patiantur ſeparatim: aliàs enim, quod omnino repugnat, ſubſtantia eſſet omnino inutilis ad patiendum in caſu iſto, ſicut in illo eſſet omnino inutilis ad agendum. Itaque licet Ariſtotelicis concederetur quantitatem, quæ in ſtatu ſuæ conjunctionis cum ſubſtantia erat poſitio partium extra partes illius ſubſtantiæ, diviſibilem eſſe, non concederetur tamen illam eſſe perinde diviſibilem jam ſublatâ ſubſtantiâ, ut ſupponitur: Etenim antè diviſibilis erat ratione partium, quarum erat poſitio aliarum extra alias, & ideo ſeparabilium aliarum ab aliis; ſed quia jam ſublata eſt ſubſtantia, nec ullæ propterea ſuperſunt partes ſeparabiles aliæ ab aliis, evidens eſt non manere niſi poſitionem in abſtracto; quis autem tale abſtractum putet eſſe perinde diviſibile ac concretum quantum & ſubſtantiale, quod præerat.

XXXIII. Afferuntur rationes urgentiores.

Tum verò ſi quantitas ſeparata non poteſt dividi ut antè, quomodò ut antè poterit calefieri, humectari, ſiccari, &c. niſi quòd inſuper attributa hæc omnino aliena ſunt à notione propria quantitatis, nec minùs quàm à notione propria gravitatis, figuræ, coloris, &c. Date adhuc veniam, Domini mei, ut aliud exemplum eruam è gravitate, cui ſi convenit aliquod pondus, non ejuſdem utique ponderis erit ſeparatim à ſubſtantia, cujus erat conjunctim cum illa: vel dicendum eſſet ſubſtantiam eſſe otioſam atque ſuperfluam ad pondus rei. Taceo itaque cæterorum accidentium exempla: ſatis ſit attuliſſe hæc duo, ex quibus ſatis utique patet accidentia qualiacunque Ariſtotelica poſt ſeparationem à ſubſtantia, cui ſupponeban-

tur inhætere, subire non posse passiones omnes, quas antè subibant, quando inhærebant, ut neque omnes actiones exercere possunt sine substantia, quas exercebant cum illa. Occurrit etiam, Domini mei, meæ menti ratio, qua satis efficaciter probatur accidentia Aristotelica, quando sunt à suis respective substantiis separata, non modò non posse agere ac pati, ut antè, id est, quantum & qualiter antè; sed agere omnino nihil aut pati posse: quatenus stando in principiis rigidis Aristotelicis, substantia est id quod agit & patitur *ut quod:* accidens autem est id, quod agit & patitur tantùm *ut quo*, quia est id, quo substantia agit & patitur.

In hunc modum ignis est id quod calefacit, & calor est id quo calefacit; ignis est id quod illuminat, & lux est id, quo illuminat: hinc calor non est calidus, nisi *ut quo*, & lux non est lucida, nisi *ut quo*: atque ita de cæteris accidentibus activis. In hunc etiam modum panis est id, quod extenditur & dividitur; quantitas autem est id, quo extenditur ac dividitur: panis est id, quod gravitat & ponderatur; gravitas autem est id, quo gravitat & ponderatur; hinc quantitas non est extensa, non est divisibilis aut divisa, nisi *ut quo:* & gravitas non est gravis, non est ponderabilis aut ponderata, nisi *ut quo:* atque ita de cæteris accidentibus passivis. Ergo sic adhuc magis verificatur, quòd accidentia illa panis Aristotelica, quæ post illius transsubstantiationem ex hypothesi remanerent, non possent præfatis illis passionibus, quas objicit Palancus, divisionis, caloris, humoris, siccitatis, &c. subjacere: quatenus jam nullum inter omnia est accidens, de quo affirmari possit, quòd dividatur, quòd calefiat, quòd humectetur, quòd exsiccetur, &c. XXXIV.

Idem probatur per ipsa principia Aristotelica.

PHILALETHES. Quiesce paulisper, Domine mi Rocchi; contine halitum, interim dum noster Pazzius nos docebit qualiter id, quod ex sua notione non est divi- XXXV.

Quæritur modus quo accidentia se-

parata possint agere & pati.

sibile, nisi *ut quo*, dividi possit *ut quod*, in Sacramento Eucharistico: qualiter in eo ponderari possit *ut quod* id, quod ex notione sua non est ponderabile, nisi *ut quo*: id est, qualiter quantitas possit esse quanta *ut quod*, & gravitas gravis *ut quod*, & figura figurata *ut quod*, & color coloratus *ut quod*, &c. Sic enim tuam difficultatem ad hoc deduxisti, ut non solùm contendas accidentia peripatetica Eucharistica minùs habitura esse actionis & passionis ob id, quòd sint separata omnino à suis respectivè subjectis, sed insuper ob istam separationem nihil omnino actionis, nihil omnino passionis fore habitura. Unde sequitur quòd recurrere pariter oporteret, licet illa remanerent, ad Christum divinitus agentem & patientem pro repræsentanda panis agentis & patientis præsentia. Doce itaque nos, Domine mi Pazzi, quomodo panis jam transsubstantiati absentia nihil de activitate accidentium vestrorum remanentium, nihil de illorum passivitate imminuit: imo etiam quomodo secum retinent totam activitatem substantiæ abeuntis.

PAZZIUS. Modus in promptu est. Elevat Deus supernaturaliter accidentia remanentia ad omnem vim activam & passivam substantiæ: atque in hunc modum agunt & patiuntur quidquid substantia, si cum illis simul adesset, pateretur & ageret.

XXXVI. Ostenditur qualiter nec divinitus hoc possit fieri.

PHILALETHES. Modum affers expeditissimum: sed estne, mi Pazzi, æque possibilis? Haud dubie tibi opponet Rocchius, quòd si accidentia separari à substantiis possunt, & seorsim ab illis operari & pati quidquid ipsum concretum ex substantiis & accidentibus potest, poterunt substantiæ separari ab accidentibus suis, & seorsim ab illis id totum agere, id totum pati, quod pati & agere conjunctim possunt. Hinc autem erui posset consequentia valde contra Philosophiam Aristotelicam periculosa: nempe quòd res Naturæ contingerent perinde omnes ac contingunt,

guat, si Deus ab initio substantias sine accidentibus, aut accidentia sine substantiis produxisset. Et hanc consequentiam dixi pro vestra Philosophia periculosam, quia quando res contingere perinde duobus modis possunt, ille quo contingant, nescitur; & ita nesciretur an pro rebus Naturæ ut. Deus voluerit, aut noluerit complexo ex substantiis & accidentibus: si quidem uti perinde pro illis potuit substantiis, aut accidentibus seorsim. Imo hinc præsumeretur Deum, aliàs effecturum per plura quod potuisset per pauciora, non induxisse in rerum Naturam, nisi substantias aut accidentia seorsim: & rursus præsumptio caderet in substantias: quâ viâ staret Atomismus & Aristotelisimus corrueret.

PAZZIUS. Nescio, Domine Philalethes, an Palancus tibi concederet posse substantiam etiam divinitus agere ac pati per se solam id omne, quod agit & patitur per accidentia: quia nempe accidentia sunt causæ formales actionum & passionum, quæ in rebus Naturæ contingunt: causæ autem formales non possunt suppleri. Unde substantia non posset occupare locum sine quantitate, non posset gravitare sine gravitate, non posset albescere sine albedine, &c. Et ratio negandi esset, quia neque Deus per se ipsum potest præstare formaliter id, quod præstant accidentia hujusmodi, unde probat necessitatem remanentiæ accidentium. Sic enim loquitur, ***Nunquid panis per se ipsum locum non occupabat circumscriptive? Ergo poterit Deus se ipsum nihilo producto eundem locum occupare circumscriptive, pane sublato? Nunquid non gravitabat panis & ponderabat pondere semiuncia v. g.? Ergo poterit Deus se solo gravitare & ponderare pondere semiuncia, &c.*** quibus verbis innuit causas formales accidentales esse necessitatis indispensabilis ad suos respective effectus. XXXVII. Opponitur indispensabilitas causarum formalium. *Dial. 71. n. 616.*

PHILALETHES. Equidem video, mi Pazzi, quod Palancus id non concederet; concedi tamen oporteret, XXXVIII. Arguitur

contra illam indispensabilitatem. quia non apparet, qualiter affirmare Aristotelicus possit substantias in agendo & patiendo magis ab accidentibus pendere, quàm à substantiis accidentia: qualiter affirmare iterum possit divinam efficientiam se solâ non sufficere ad eos effectus, quos contingere providit per concursum qualiscunque causæ secundæ sive substantialis, sive accidentalis. Sed nolo tecum in hanc controversiam ingredi: tempus est audiendi à Rocchio modum, quo Christus in Sacramento repræsentat & supplet repræsentationem hujusmodi passionum, quæ contingunt in speciebus Eucharisticis, quando scilicet, dividuntur, calefiunt, humectantur, exsiccantur, &c.

XXXIX. Accidentia non possunt elevari ad activitatem substantiarum. ROCCHIUS. Jam jam audietis, Domini mei; sed ante interrogandum habeo quid hoc sit, quod aiebat Dominus Pazzius elevare Deum accidentia remanentia ad omnem vim activam & passivam substantiæ, atque in hunc modum agere illa & pati quidquid substantia, si cum illis simul adesset, pateretur & ageret: & sumamus in particulari passionem illam divisionis, qua hostia frangitur in plures partes. Itaque Deus quantitatem remanentem, quæ per se dividi non posset, elevat supernaturaliter ad hoc ut dividatur: quid hoc est? nisi quòd Deus supplet impotentiam illam quantitatis per supernaturalem aliquem concursum. De isto igitur concursu quæro an sit activus, an sit passivus?

PAZZIUS. Passivus utique non est, quia Deus nihil tale pati à manu dividente potest: uti nec ab illa tale aliquid pati potest Corpus Christi gloriosum, qualiter est in Sacramento. Itaque activus est: sed quid hinc infers, mi Rocchi?

XL. Qualiter Christus possit repræsentare passiones spe- ROCCHIUS. Hinc infero universas non tantum actiones, sed etiam passiones specierum sacramentalium posse repræsentari facillime in Sacramento per actiones Dei, sive Christi divinitus operantis: atque ita concidere

tertiam illam *urgentissimam* rationem, quam ultimò attulisti ex Palanco his verbis, *Sacramentum evidenter frangitur, integro corpore Christi manente: actio autem divina ab ipso Deo indistincta frangi nequit: Sacramentum dividitur in particulas: sed Corpus Christi integrum perseverat, &c.* Jam in confesso erat, aut fere in confesso universas actiones panis posse suppleri ac repræsentari per actiones objectivas Christi divinitus operantis: difficultas supererat de passionibus ejusdem panis, scilicet divisi, calefacti, humefacti, exsiccati, &c. pro quibus repræsentandis non sufficit sola quantitas Eucharistica & ideo indiget elevari per concursum scilicet Christi facientis supernaturaliter id, quod quantitas per se solam non potest, talem autem concursum dicis esse activum. Ad difficultatem jam redeo, quam urgebas ex hoc capite quòd Christus, sive Deus non posset subjacere ullis hujusmodi passionibus, quæ sunt divisionis, calefactionis, &c. unde apud te inferebas, quòd saltem non posset repræsentare tales passiones, quia id non posset nisi per similes; Tum verò coactus fuisti concedere quantitatem indigere concursu divino extraordinario ad illas repræsentandas, & talem concursum fateris activum.

cietum in Eucharistia.

XLI. Non opus est similibus passionibus ex parte Christi.

Hinc itaque clarum est Christum, sive Deum posse absque eo quòd tale aliquid patiatur, repræsentare totum id, quod panis pateretur, si adesset: & id quidem posse sine illa vestra quantitate Aristotelica, quam ad effectum talis repræsentationis contenditis remanere. Cæterùm error est in hoc, quod ab initio putabas, mi Pazzi, passionem panis divisi non posse repræsentari, nisi per similem aliquam divisionem passivam. Potest aliquis repræsentare dolentem, quin doleat: potest repræsentare claudum, quin claudus fiat: & homo plane doctus potest repræsentare ignarum, absque eo quòd labem ullam ignorantiæ patiatur, &c. Quâ viâ passiones per solas actiones repræ-

sentantur: & hæc est via, quâ Christus in Sacramento divinitus operans potest sine ulla sui divisione divisionem panis repræsentare, & ita de cæteris passionibus, quas opponebas caloris, humoris, siccitatis, &c. Sicque randem non superest locus dubitandi ullus de potentia Christi in ordine ad repræsentandam in Sacramento præsentiam activam & passivam panis, licet omnino per vim consecrationis sublati. Et in his quidem repræsentationibus talis præsentiæ consistunt sufficienter species Eucharisticæ; quare pro istis explicandis nulla opus est accidentium remanentia.

VIII. Advertitur, quòd nihil remaneret, nisi accidentia remaneant.

PHILALETHES. His verbis, Domine Rocchi, meæ recordationi reddis aliam observationem, quæ à me olim fiebat, & cui nunquam satisfiebat, circa remanentiam specierum, quæ nulla esse mihi videbatur, si nihil panis remaneret. Ex hac igitur parte discurrunt saniùs Aristotelici quàm Atomistæ: admittunt enim aliquid quod remanet: accidentia scilicet, quibus tum adaptant, ut possunt, nomen specierum: vos autem nihil admittitis quod remaneat: & in hoc contradicitis definitionibus Conciliaribus de remanentia specierum. Ecce apertiùs mentem meam. Definitiones illas salvas intelligo, si pane sublato manet apparentia panis: tum intelligo quod jam ostendisti, posse à Christo divinitùs operante fieri, ut ubi panis omnino non est, ibi omnino appareat & extensus, & gravis, & figuratus, & coloratus, & divisus, & alteratus, & corruptus, &c. Sed deinde non intelligo remanentiam illius apparentiæ, quæ utique apparentia est omnino nova, quia de novo exhibita per operationes Christi repræsentantes panem existentem, agentem, & patientem, ubi nec agit quidquam, nec patitur, nec existit. Scio vos nihil realis distinctionis admittere inter apparentiam rei & rem apparentem: igitur si totus panis, qui apparebat, deperiit, etiam deperiit apparentia illius: si autem deperiit, quomodo remanet?

Hæc est, Domini mei, difficultas à qua nunquam me potui liberare: nec dubito quin Palancus illam alicubi reposuerit inter urgentiores magisque invictas.

PAZZIUS. Ita est, optime Philalethes; & illam fusissime proponit, & ad metas ultimæ convictionis perducit.

PHILALETHES. Propone illam, amabo, quàm primum: mihi etenim jam longum est videre, si fortè poterit Rocchius noster idoneam solutionem afferre.

PAZZIUS. Interrogat Atomistam suum Palancus, an actio illa multiplex objectiva, qua panis se repræsentabat quum aderat, esset distincta vel indistincta à pane: & Atomista respondente illam esse indistinctam, Palancus illico concludit, *Ergo ipsamet* (actio objectiva panis) *realiter permanere non potest, sublatâ tota substantiâ panis. Ergo vel non manet ipsamet actio objectiva panis, vel si manet, manet realiter substantia panis. Ergo si species panis est actio objectiva panis, vel non manet ipsamet species panis, vel si manet, manet substantia panis. En difficultatem* nostri Scriptoris, & quæ coincidit cum tua. Vis, Domine Philalethes, audire jam responsum Atomistæ.

XLIII. Roboratur præmissa difficultas.

Dial. 70. n. 605.

PHILALETHES. Volo audire responsum Rocchii, qui cum Atomista illo sæpissime non consentit. Audiamus, mi Rocchi, quomodo hanc trium consequentiarum seriem declinas?

ROCCHIUS. Tribus illis consequentiis & mille id genus aliis iter præcluditur, si respondetur quòd actio, qua panis se repræsentabat, erat utique species seu repræsentatio panis, & à pane quidem indistincta; & quòd nihilominus sublato pane remansit, non quidem ut actio, sed ut repræsentatio.

PAZZIUS. Sed, mi Rocchi, quid nisi terminos mutas responsionis, quam Atomista suus afferebat Palanco, dicens *non manere eandem numero actionem panis, mane-*

XLIV. Accedit nova ratio pro roboranda præmissa difficultate.

re tamen eandem actionem objectivam panis quoad speciem, seu simillimam; ac proinde manere eandem, seu similem speciem panis? Contra quam responsionem Author noster sic instat, *Ergo,* inquit, *tandem negas veram remanentiam specierum, quia remanentia vere non dicitur, nisi de eo ipso realiter & individualiter, quod praexistebat. Tu autem negas eandem actionem objectivam, seu eandem speciem panis revera permanere.* Neque hîc gradum sistit Palancus, sed ulteriùs solide impugnat præsumptam illam ab Atomistis actionum objectivarum, sive specierum similitudinem; siquidem actio panis erat corporea, quatenus à pane indistincta: actio autem divina eò quòd divina sit, spiritualis est, *Quo pacto igitur,* inquit, *persuadebis actionem Dei cum ipso identificatam, & re ipsa spiritualem, esse eandem in specie & omnino similem cum actione corporea panis cum pane identificata? &c.* Quibus verbis effugia vestra omnia præcludit, ut vides, mi Rocchi.

XLV. Ostenditur debilitas præmissæ rationis.

ROCCHIUS. Tuis oculis id viderem, mi Pazzi: meis è contra video instantiæ hujus debilitatem hinc procedentem, quòd à Palanco non capitur, qualiter non manente eâdem actione repræsentante, possit eadem repræsentatio manere ac fieri per aliam actionem. Quanquam hoc est captu facillimum, si advertitur quòd cùm Atomistæ aiunt actionem illam objectivam panis se se repræsentantis, & quam vocamus *speciem* illius, sive *repræsentationem*, esse speciem illius, sive repræsentationem activam, quæ terminatur ad repræsentationem passivam; & hæc est illa species, sive apparentia rei, de qua contendimus, quòd remaneat omnino eadem, nec tantùm similis, ut falsus ille Atomista respondet, Sed tum ecce, mi Pazzi, quomodo manet eadem: cessat actio panis repræsentativa panis, & in locum illius accedit actio Christi repræsentativa ejusdem panis: sic itaque una, eadem & individua manet repræsentatio, id est, species, seu apparentia panis. Jam

verò quòd actio panis esset corporea ob suam identitatem cum pane, & quòd actio Christi sit spiritualis ob suam identitatem cum Christo, id nullatenus impedit unitatem & identitatem individualem talis speciei, seu apparentiæ.

Possunt etenim duæ actiones diversissimæ ex parte principii, esse consonantissimæ ex parte termini, imo convenire in unam ex parte ejusdem termini: hoc sensu quòd esse potest unus & idem terminus diversissimarum actionum, id est, actionum à principiis diversissimis fluentium. Nunquid, Domini mei, admittitis causam primam concurrere cum secunda ad omnes naturales effectus? unde intelligitis nullum esse naturalem effectum adeò unum & individuum, qui non fiat per actiones, quæ licet valde atque in infinitum differant ex parte principii, nullatenus tamen differunt ex parte termini. Hac ratione nullus omnino naturalis effectus est, qui non possit unus atque idem continuari per solam actionem causæ primæ, cessante actione causæ secundæ: transferte jam, si placet hanc doctrinam ad casum nostrum, & deprehendetis illam, de qua sermo est, panis apparentiam unam & omnino eandem, ad quam antè Deus & panis concurrebant per suas respective actiones, posse pane cessante agere, perseverare per solam actionem Dei, sive quod idem est, Christi divine operantis in Eucharistia. *XLVI. Et affertur exemplum quo probatur oppositum.*

PHILALETHES. Facis ut in re tam obscura, mi Rocchi, videam aliquid. Nondum mihi tale aliquid auditum aut lectum fuerat de distinctione inter speciem activam & passivam. Quando itaque definitur solas ac duntaxat panis jam transsubstantiati species remanere, de quibus, si placet, id intelligitur definitum? Nunquid de passivis?

ROCCHIUS. De passivis plane, quæ sunt illæ ipsissimæ panis, quæ remanent sublato pane, & exercentur non jam per actiones panis, sed per actiones Christi di- *XLVII. Quales sint species, quæ remaneant.*

vine operantis & perseveranter agentis totum id, quod panis ageret, aut pateretur ad illas sui apparentias exhibendas, sui scilicet non solum ut extensi, ut gravis, ut colorati, ut figurati, &c. sed etiam ut alterati, ut divisi, ut corrupti, &c. Tantòque id facilius intellectu est, quantò certius est, quòd panis dum aderat, indigebat concursu divino ad illas sui apparentias exhibendas. Quid igitur pane sublato impedit, quominus Deus illas continuo exhibeat ubi & quandiu & qualiter essent sensibiles, si sublatus non fuisset panis? Atque in hoc sensu, Nos Atomistæ apparentias illas salvas post transubstantiationem panis & solas ac duntaxat manentes vocare solemus *panem apparentem*, cui vere tribuimus quidquid falsò Aristotelici tribuunt quantitati, aut accidentibus cæteris. Et ita panis ille apparens est, qui extensus est, figuratus, coloratus, translatus, divisus, fractus, &c. & qui proinde constituit totum esse sensibile Eucharisticum, ac statum omnem Christi Sacramentalem.

XLVIII. Quæritur quid sit panis apparens in Eucharistia.

PHILALETHES. Agnosco, mi Rocchi, te hac tua expositione depellere tenebras multas, quas patiebar; sed ecce illico redeunt, & in æternum patiar, donec mihi clare dixeris quid sit *panis* ille *apparens*: est ne aliquid reale, est ne aliquid chimæricum? est ne aliquid productum, est ne aliquid improductum? si de novo producitur, non manet; si manet, & est aliquid reale, non deperiit tota panis realitas, quod est contra vestram hypothesim: si autem manet & est aliquid chimæricum, chimæras in Sacramentum inducitis; quod esset impium.

PAZZIUS. His paucis verbis tetigisti, Domine Philalethes, plurimas difficultates, quas Palancus noster fuse attulit agens contra illud esse sensibile sacramentale per quod explicant Atomistæ species sacramentales, & quod aliter vocant *statum Eucharisticum, quem Christus*, inquiunt, *actionibus suis divinis efficit*, & quem, ut discimus à Palanco

Dial. 70. n. 608.

lanco

lanco *explicat ingeniosus Atomista exemplo Angeli moti, vel quiescentis.* Capis mi Rocchi, hanc explicationem tuam esse, à te scilicet datam agente contra Gennarum in Eucharistico tuo systemate parte secunda, dialogo tertio: & in qua explicatione implicationes manifestas multas deprehendit Palancus, quas hîc à me, Domine Philalethes, recenseri atque urgeri jam oporteret.

XLIX. Quid sit statu Eucharisticus.

PHILALETHES. Imo, mi Pazzi, parcere isti contentioni potes; quia ille *status Eucharisticus*, quem impugnat Palancus, & iste *panis apparens*, quem rogavit exponi unum & idem sunt. Ac proinde per idoneam aut non-idoneam panis hujus apparentis expositionem locus auferetur, aut dabitur dubitandi de implicationibus illlis: sæpissime quippe accidit, ut opinio, quæ dum in confuso est, summæ contradictionis arguitur, plana videatur & consonans, quando novis luminibus fuerit illustrata. Cæterùm ex imminente horâ prandii Conjicitis, Domini mei, pariter imminere horam matutini hujusce colloquii finiendi. Fac itaque breviter, mi Pazzi, ut clare ac sine ulla caligine capiamus quid sit ille *panis apparens,* quem rogo exponi. Agedum.

L. Qualiter aliud sit esse & aliud apparere.

ROCCHIUS. Agam quàm clarissime, quàm brevissime potero. Præsupponamus, si placet, Domini mei, *τὸ rem esse*, & *τὸ rem apparere* esse duo realiter diversa, quandoquidem multa sunt, quæ non apparent; & apparent multa, quæ non sunt: item multa sunt, quæ secundùm varios modos non apparent qualia sunt, aut apparent qualia non sunt. Neque hoc arduum intellectu erit Aristotelicis, apud quos aliud est esse, & aliud existere: aliud est esse, & aliud agere: aliud est esse & aliud quiescere: aliud est esse, & aliud est referri: &c. Quo igitur titulo negarent, quòd aliud sit esse, & aliud apparere, scilicet apparere cuivis sensui? Quem in modum aliud est esse, & aliud videri, aliud tangi, aliud audiri, aliud dividi, &c. Jam verò

panis quando erat, apparebat; quare postmodum non poterit non esse & nihilominus apparere, dummodo ex parte illius fiat pro illo quidquid ab illo fiebat ad apparendum? Imo dummodò id fiat, impossibile est quòd non appareat & adæquate appareat, id est, sub omni sensibilitate, sub qua appareret, si adesset. Cæterum posse à Christo divinitus operante fieri ex parte panis prædicti pro illo, quidquid ab illo fiebat ad apparendum, satis superque probatum est: sicque obtinebitur in Eucharistia pro pane vero ac reali, panis tantum vere ac realiter apparens.

LI. Proponitur alia difficultas. P H I L A L E T H E S. Hactenus bene, mi Rocchi; sed difficultas proposita subsistit, nec adhuc capio ad quod genus entis spiritualis aut materialis, producti aut improducti pertineat apparentia illa panis remanens post transsubstantiationem ejusdem panis. Ais enim apparentiam illam fieri per actiones Christi supplentes locum actionum panis sublati: & simul ais totum id reale, quod erat panis, sublatum fuisse: non igitur illa prior apparentia erat realis: quomodo posterior erit realis? sed si fit, quomodo non erit realis? vide altam difficultatum congeriem.

LII. Multa sunt, quæ nec producta, nec improducta sunt. R o c c h i u s. Sufficit tamen ad unam omnium solutionem, si advertitis, Domini mei, multa esse genera rerum quæ sunt, & nihilominus nec spiritualia, nec materialia, nec producta nec improducta sunt. Hujusmodi tempus est; hujusmodi spatium est, & quidquid ad utriusque proprietates ac differentias pertinet. Item sunt multa genera rerum quæ fiunt; nec tamen seorsim sunt ullius entitatis designabilis. Hujusmodi est motus; hujusmodi est quies, & quidquid spectat ad istum vel illum statum quiescendi & movendi. Hujusmodi tandem est omnis rerum apparentia, quæ equidem realis est, quatenus independens ab intellectu: & tamen realis non est per realitatem propriam ac singularem vere productam. Atque ut concludem, (audio enim mensam esse instructam,) non advertitis posse

me requirere à vobis, id totum quod à me requiritis. An in Sacramento Eucharistico non apparet panis, qui tamen non est? est igitur ibi apparentia panis. Quòd autem hæc apparentia exhibeatur sensibus per actiones accidentium remanentium, aut per actiones Christi per se solum divin coperantis quidquid tribuitis accidentibus illis, omnino perinde ac indifferenter ad apparentiam panis se habet. Ac proinde in eadem difficultate versamur circa realitatem aut non-realitatem, circa productionem aut non productionem talis apparentiæ, quam utrinque pariter admittimus; licet illius exhibitionem ad actiones diversas referamus. Sed ecce assurgis, Domine Philalethes, non dicam plura.

PAZZIUS. Plura etiam taceo, quæ opponerem.

PHILALETHES. Si quid, Domini mei, difficultatis superest, alia vice solutioni patebit; sed jam tempus est post tam ferventem tamque diuturnam contentionem serviendi stomacho & refrigerandi pulmonem.





DIALOGUS XIII.

QUAM BENE ATOMISTÆ REPRObent accidentia propter deciſionem de ſpeciebus ſolis ac [illegible] axai m[illegible]ne [illegible].

PERSONÆ COLLOQUENTES:

ROCCHIUS, PAZZIUS, PHILALETHES.

Proluditur ad differentium de definitione Concilii Conſtanſtanſis.

ROCCHIUS. Feciſti nobis, Domine Philalethes ac ſuaviſſime hoſpes noſter, quaſi convivium Regis: ſtomacho & pulmoni uſque ad delicias providiſti. Si quis menſam vidiſſet ſic abunde ac delicate paratam, non putaſſet eſſe Philoſophos, qui aſſiderent.

PAZZIUS. Sed ſaltem id conjeciſſet, mi Rocchi, ex ſermonibus noſtri ſuaviſſimi hoſpitis. An niſi Philoſophus, niſi coram Philoſophis poteſt de rebus tam ſublimibus loqui tam affluenter ac tam ornate? Sed ecce, Domini mei, hac epiſtola, quæ mihi veſtro in conſpectu redditur, moneor expectatum me iri circa ſeptimam, qua fere Sol occidet, apud Dominum meum & amicum Peraltum, & pro re magni, ut hîc ſcribitur, momenti. Quare, ſi me amabitis, aggrediamur abſque alia mora condictam diſſertationem, cujus materiam præſentio fore arduæ & prolixæ contentionis.

ROCCHIUS. Tantùm id innuat Hoſpes noſter.

PHILALETHES. Ego verò, Domini mei, hoſpes ſum non adeò inhumanus, ut inter menſam & adeò ſeriam contentionem ſinam nihil intercedere remiſſionis.

Absit me ardori vestro, imo fere furori obsequi: egent mentes, non secus ac corpora, otio suo & refrigerio. Quare ante integrum horæ unius fluxum non patiar initia disputationis, in quam exardescitis pariter: tum eritis juris vestri. Deambulabimus interim, & erit, ut confido, deambulatio hæc vobis non injucunda ob novitates literarias recentes & multas, è Parisiis latas, quas oculis & & judiciis vestris subiiciam. Chartam explico & lego. *Parisiis hac die 26. Julii* 1715. Sudat sub prælo egregium & grande opus Doctoris cujusdam Sorbonici de .... Sed ecce ut religiose vobiscum agam, Domini mei, non dissimulabo præteriisse horam, quam eripere volueram contentioni jam ineundæ. Tria casu adsunt sub hac frondosa quercu sedilia: his insideamus, si videbitur, dum æstus paululum remittatur. Atque ut exequar Moderatoris munus, cui me addixistis, vellem vos audire colloquentes præsertim de Concilio Constantiensi, ubi tam expresse definitum videtur manere post consecrationem accidentia sola, quàm in cæteris expresse definitur manere solas species: unde præclara est occasio conjiciendi debere per species intelligi accidentia.

II. Resumitur difficultas, circa panem apparentem.

Sed ante vellem resumi aliquid ex matutino dialogo circa panem illum mere apparentem; qui utique non solum apparet extensus, gravis, figuratus, coloratus, &c. sed etiam sapidus, odorus, sonorus, &c. De illa etenim apparentia minùs dubitarem; sed de ista valde dubito, quia non capio modum, quo panis ille apparens exhibere possit saporem, odorem, sonum, &c. Quare tuum sit, mi Rocchi, aperire nobis modum, quo per actiones Christi objectivas repræsentari hæc accidentia possint in Sacramento.

III. Qualiter possit odor

PAZZIUS. Imo, Domine Philalethes, satis erit, si tantùm obtinuerimus à Domino Rocchio modum, quo

panis repræsentati. possit solus odor per actiones illas repræsentari: licet enim pro accidentibus cæteris non desit sua difficultas, majorem in repræsentatione istius esse notavit Palancus noster; & propter istud magis deridet atomisticas species.

Dial. 71. n. 621. Audiamus illum. *Occurit demum contra illas tuas objectivas actiones, quas Christo attribuis in Sacramento,* (ô Atomista) *quibus sensus immutare possit ac movere, quòd respectu sensûs olfactûs locum habere non possunt speciali titulo:* & rationem hanc profert petitam ex responsis suiAtomistæ constituentis odorem in certo effluvio atomorum, quas scilicet à corpore odorifero ad olfactum perduci oportet: rationem, inquam, hanc profert, quia jam non est in Sacramento aliquid, unde tales atomi possint effluere.

IV. Proponuntur simul plures difficultates circa speciem odoris. Ac tum ita interrogat. *Effluuntne ex Corpore Christi aut ex substantia panis? Hoc si dicas jam admittis in Sacramento substantiam corpoream panis, ex qua effluant atomi odorifera usque ad sensum olfactûs, quod certe est hæreticum. Vel effluunt ex Corpore Christi, & hoc imprimis est ponere Corpus Christi corruptibile....... Deinde atomi ex Corpore Christi effluentes non olerent panem, sed carnem........ Nunquid* Deus *de novo atomos ibi creat panis...... sed si creantur, jam non effluunt ex Sacramento sensibili, sed ex nihilo fiunt.* Ac tandem sic concludit: neque, si placet, mi Rocchi, velis ægre ferre hanc conclusionem, licet parumper vobis injuriam: condonanda est zelo veritatis; *O quot ineptias hîc vos dicturos suspicor & conjector, ut actionem objectivam olendi in Sacramento Corporis & Sanguinis Christi per effluuium atomorum exponere possitis. Quod certe nisi chimarice præstabitis omnino nunquam.*

V. Præmittitur modus, quo diffunditur odor. ROCCHIUS. Absit ut conquerar de Palanco, mi bone Pazzi: de te antè conquerar, qui pertimescis ne excandescam ad sibilum contumeliæ tam levis. Hoc sufficit Atomistis, quod norunt veritatem nullis vituperationibus,

nullis derisionibus minui: & ego quidem lucrum puto quodcunque maledictum fero pro tuitione illius. Sed ad rem venio: jamque audi nostras ineptias. Certum est quòd si quis in pane reali odor est, idem in pane apparente pariter erit, pariterque afficiet sensum olfactûs. Certum adhuc est quòd si quis odor in pane præerat, consistebat in certo quodam effluvio corpusculorum subtilium, quæ post exitum à pane ad olfactum perveniebant, vel sui exitûs commotionem communicabant aëri proximiori, ac per istum remotiori olfactum tangenti, qui sic proinde commotus nares afficiebat affectione, quam vocamus *odoris*.

VI. Hinc species odoris facilè repræsentatur, sicut repræsentantur cæteræ species.

Etenim, mi Pazzi, si nosses mysteria nostra perinde ac ego novi, jam diu est, vestra, nosses omnes sensationes pendere à commotionibus sensuum, & hujusmodi commotiones fieri sine contactu immediato corpusculorum fluentium ex objecto sensibili. Ita dummodò aër, qui ambit oculum, sit commotus commotione aliqua lucis, lucem videbo. Dummodò iterum aër, qui auditui conjunctus est, commotionem aliquam soni admittat, audiam sonum: & proinde non opus est corpuscula odorifera pervenire ad nares: satis est si commotionem illorum admittat & naribus referat aër proxime adhærens. Hinc patet Christum sub pane apparente latentem non indigere ad efficiendam apparentiam illius ut odori, corpusculis ullis odoriferis, quæ ad olfactum mittantur, quoniam sufficit ut ad illum transmittat commotionem aëream, qualem transmitterent talia corpuscula, si adessent: atque ita, ut videtis, Domini mei, non erit difficilius Christo apparere sub specie panis odori, quàm sub specie panis albi, gravis, figurati, &c.

VII Fit difficultas ex figura quā habent corpuscula odorifera.

PHILALETHES. Præsensi te id responsurum, mi Rocchi; sed quia sæpe accidit, ut corpuscula ipsa odorifera feriant olfactum: & rursus quia præter commotionem, qua illum afficiunt, non parum confert ad hujus commotionis modificationem figura ipsorum particularis;

dic, si placet, quid fieret in casu, quem sic propono. Suppono ex pane reali prodire aliqua id genus corpuscula odorifera, quæ per se ipsa olfactum afficiant immediate: tunc ergo illum afficiunt commotione modificata per propriam ipsorum figuram; sicque fit singularis quædam olfactio. Tum suppono panem illum realem auferri, solâ remanente illius apparentia per actiones Christi objectivas exhibita; & dico saltem in hoc casu non posse per illas manere salvam eandem sensationem odoris sine creatione corpusculorum, quæ olfactum afficiant; quia videlicet deesset pro ejusdem sensationis effectu figura corpuscularis, quæ ad illum particulariter concurrebat. Solve mihi, oro, hanc difficultatem, quæ, ut deprehendis, habet aliquid de Atomismi vestri mysteriis.

VIII. Respondetur suppleri defectum figuræ.

ROCCHIUS. Sane, Domine Philalethes, tota redolet Atomismum nostrum: solutio autem hæc est. Admitto casum, quem proponis, & dico non eapropter pro effectu similis sensationis opus fore corpusculis parem figuram habentibus, pariterque immediate afficientibus sensum, quia particularitas illa contactûs immediati suppleri potest per mutationem aliquam factam in commotione aëris transmissa ad eundem sensum. In hoc igitur casu, quem subtillime proposuisti, Domine Philalethes; pertinebit ad Christum commotionem aëris transmissam disponere ac temperare in hunc modum, ut in sensu idem efficiat, quod per prædictum immediatum contactum fieret. Sed jam pro jure meo an non potero rogare Pazzium nostrum de modo, quo juxta sententiam Aristotelicam transmittitur odor ille residuus panis usque ad olfactum distantem.

PAZZIUS. Rogare me id potes, mi Rocchi; sed non rogares, si attenderes ad id, quòd paulò antè gloriabaris nosse te, ut unum è nobis, nostra mysteria. Ad quid rogas, si nosti?

ROCCHIUS.

ROCCHIUS. Rogo, quia novi, mi Pazzi: & eo fine rogo, ut respondendo te ipsum intrices & advertas Aristotelicis longe difficilius esse, quàm Atomistis explicare sensationes causatas à speciebus Eucharisticis. In exemplum accedat odor ille accidentalis, quem dicitis esse residuum. Ille itaque non percipitur per se immediate ab olfactu, qui supponitur distans: ac proinde necesse est, ut ad illum se transmittat: transmittere autem se, nisi per generationum prope innumerabilium seriem non potest: hæc autem series in hoc consistit, quòd odor ille generare debet odorem sibi similem ex primis particulis aëreis in orbem sibi conjunctis. Ac tum iste de novo genitus odor alium generabit similem sibi ex aliis particulis aëreis, quæ immediate succedunt. Et iste recenter genitus alium generabit ex particulis aliis immediate sequentibus; atque ita deinceps, donec odor similis generetur ex illis particulis aëreis, quæ immediate tangunt olfactum: ne dicam illum generari debere adhuc ex olfactu ipso, ad hoc ut inhæreat illi, sine qua inhæsione non posset percipi.

IX. Hæc difficultas est major apud Aristotelicos.

Et nondum finis talium generationum: nam debent momentis singulis iterari pro salvanda perennitate odoris illius sensibilis. Vide jam, Domine mi Pazzi, an non vester iste modus exponendi speciem Eucharisticam odoris sit longe intrincatior, quàm noster. Sed pro cæteris speciebus res pariter se habet, ac secum importat apud vos multa millia diversarum generationum, ad quas oporteat Christum concurrere, ut se occultet sub solis ac duntaxat speciebus sensibilibus panis: apud nos autem tantùm ad id opus habet movere aërem ambientem, scilicet eo modo, quo illum moveret panis, si adesset. An adhuc, Domine Philalethes, morabimur colloqui de Concilio Constantiensi super hisce nostris materiis specierum solarum ac duntaxat manentium?

X. Etenim deberent fieri generationes innumeræ.

PHILALETHES. Imo agite, Domini mei; nihil

aliud mihi occurrit, quod præmitti oporteat.

XI. Qualiter servetur odor in pyxide occlusa.

PAZZIUS. Mihi verò, salvâ pace, videtur præmitti pariter oportere difficultatem hanc alteram valde annexam de permanentia odoris & saporis, &c. in pyxide occlusa. Nos igitur hanc permanentiam talium specierum nullo negotio explicamus admittendo illas consistere in hujusmodi accidentibus realibus, quæ substantiæ panis antè inhæserint, & illâ sublatâ permaneant. Unde fit ut talium specierum sensibilitas eadem perseveret, etiam quando nulla illarum specierum actu percipitur, uti accidit quando accurate omnes in pyxide occluduntur. Atomistis autem nulla omnino patet via, qua illarum in ea permanentiam explicent: siquidem non sunt, nisi quandiu per actiones Christi objectivas exhibentur sensibus. At quandiu in pyxide occluduntur, nullis sensibus exhibentur per tales actiones: quas de cætero tunc evidens est fore superfluas & omnino inutiles: non est autem credibile Christum quicquam superflue ac inutiliter operari. Ergo in pyxide bene occlusa nullæ erunt cohærenter ad atomisticam doctrinam species Eucharisticæ: nullum erit, ut loquimini, *esse sensibile Eucharisticum*, nullus erit *Eucharisticus panis apparens*; atque ita ibi sacramentum Eucharisticum non erit; siquidem ad rationem hujus Sacramenti opus est, quòd Corpus Christi sit realiter sub aliquo signo sensibili. Hujus difficultatis solutionem, si quæ posset afferri, libenter audirem à te, Domine mi Rocchi, & considerem quòd illam valde roborares atque ornares; sed fere illam non peto; quia res impossibilis non est materia petitionis.

XII. Potest aliquid apparere quin percipiatur.

ROCCHIUS. Gloriaris, mi Pazzi, & superbis in difficultate tritissima, & quæ de cætero in vos retorqueri facilè potest, & amoveri difficilè. Tum solutionem, quam non rogas, non dabo: ipsa se offeret in hunc modum. Ad hoc ut aliquid sit vere apparens quantùm est ex se, nulla-

tenus opus, est ut appareat ulli sensui: unde licet nullus oculus esset, eadem esset apparentia lucis; licet nullus olfactus esset, eadem esset apparentia odoris, &c. id est, commutatis abstractis terminis in concretos, omne corpus quod esset lucidum, æque lucidum appareret, & illud quod esset odorum, æque odorum appareret, &c. quia per se totum id præstaret, in quo consistit id, quod est τὸ *apparere* acceptum ex parte objecti, & quòd vocari potest *apparere objectivum*. Hoc uno principio supposito species Eucharisticæ tam apparent in pyxide, quàm extra pyxidem, tam de nocte, quàm de die; tam coram nullo spectatore, quàm coram spectatorum multitudine infinita.

XIII. Qualiter repræsentatio specierum Eucharisticarum sit continua.

Et ratio, quæ jam præoccupata fuit, hæc est, quatenus id totum, quod ad panis quanti, gravis, figurati, colorati, sapidi, odori, sonori, &c. repræsentationem Christus pro se sub tali repræsentatione occultando præstat extra pyxidem & de die, & populo astante, id æque præstat in pyxide occlusa, & de nocte obscura, & in solitudine deserta. Quid impedit, si placet, mi Pazzi, quin una & eadem Christi actio sive simplex, sive multiplex ab ipso exercita pro pane repræsentando ubi non est, sed ubi ipse est sub repræsentatione illius, perseveret constanter tam in occulto, quàm in publico; tam in tenebris, quàm in luce; tam in solitudine, quàm in frequentia, &c.? Sed memini quod aiebas Christum id facturum *superflue ac inutiliter*: quasi verò superfluum esse possit & inutile id, sine quo nulla esset sensibilitas & ideo nulla subsistentia Sacramenti. Tum verò ut veniam ad hujus difficultatis urgentiorem retorsionem in caput vestrum, duo sunt quærenda. Hoc primum quæro, an vestra illa accidentia Eucharistica manentia habeant suam omnem sensibilitatem independenter ab omni concursu divino, an non? Deinde quæram hoc alterum, an hujusmodi accidentia omnia sint

activa? Vide quomodo, mi Pazzi, res impossibiles à te non quæro, ut tu à me unam earum paulò antè quæsisti.

PAZZIUS. Imo faciles sunt: quare audi breviter nihil sensibilitatis Sacramentalis esse, quod à Deo concurrente non dependeat. Audi æque breviter non omnia accidentia nostra esse activa; propterea quòd alia sunt, quæ magis pertinent ad formam, & hæc activa sunt: alia verò magis spectant ad materiam, & hæc sunt passiva.

XIV. Talis repræsentatio non esset continua stando in opinione Aristotelica.

ROCCHIUS. Hinc *primò* contra te infero, mi Pazzi, aut accidentia vestra non esse sensibilia constanter, aut concursum divinum esse satis sæpe superfluum atque inutilem, quia satis sæpe non sentiuntur, uti quando sunt in pyxide, aut quando non adest spectator, &c. Et revera quòd non tangantur, quòd non videantur, &c. id non se tenet ex parte ipsorum, quæ semper ac continuò agunt quidquid semel agunt ad exhibenda se contactui, visui, & cæteris sensibus; neque id agunt, quin Deus idipsum agat cum illis. Jamque sic intellige doctrinam Atomisticam, juxta quam panis apparens est continuò apparens ubi & quādiu appareret panis realis, si adesset: continuò, inquàm, est apparens, quia Deus continuò id totum agit, quod opus est ad illius apparentiam exhibendam. Tum *secundò* contra te inferam accidentia illa passiva, quæ admittis & quæ non sunt generativa sui similium, non esse sensibilia, tunc maxime quando in pyxide occluduntur; quia videlicet tunc nihil agunt, nullamque sui speciem mittunt ad sui sensibilitatem repræsentandam. Quare si quæ manet in pyxide sensibilitas eorum, referri utique debet ad actionem aliquam objectivam Christi divine agentis pro iis accidentibus, quæ ad sui repræsentationem nihil tunc agunt; sed nec agere quicquam possunt, quatenus activa non sunt.

XV. Affertur

PAZZIUS. Sed, mi Rocchi, non obstat discrimen

quod admittimus inter accidentia activa & passiva, quin adhuc in passivis sit satis activitatis ad generandam speciem sui; & ita non obstat quin raritas, mollities, lævor, quies, &c. possint emittere continuam speciem sui, & in eo sensusu nunquam illis sua sensibilitas deerit. diversa responsio, & refutatur.

ROCCHIUS. Hoc sane respondere debuisti; sed si supra non superasti difficultates, quæ occurrunt in generanda toties & transmittenda specie odoris, qui supponitur inter accidentia activa, quomodò nunc superares illas, quæ occurrerent circa species ab istis accidentibus inertibus æque toties generandas & transmittendas? Verùm nescio, an Domino Philaleti placeat audire de novis istis difficultatibus aliquid.

XVI. Resumitur difficultas ex Concilio Constantiensi.

PHILALETHES. Nolite, Domini mei, nolite in his immorari difficultatibus exagitandis, sive superari possint, sive non possint: magis seria illa est, quæ præsenti disputationi destinata est circa Concilium Constantiense, quod primâ saltem fronte Aristotelistis suffragari, Atomistis adversari videtur. De illo autem memini quàm subtiliter, quàm graviter, quam animose olim certastis, alter contra Gennarum, alter pro Gennaro agentes. Neque non memini plurium decisionum, in quas auditis utrinque partibus, sponte ibam, & in quas ambo veniebatis: quare meæ partes sunt ut attendam ne quid ibi actum, iterum hîc agatur: & ideo si annuitis, non alia hodie inter vos disceptatio sit, quàm de particularibus non nullis punctis, quæ debeant aut de novo, aut diligentiùs quàm antè discuti: & hæc successive proponam. Interim suppono authoritatem omnem, quam Aristotelici sibi vendicant ex Concilio Constantiensi pro suis accidentibus illis panis & vini post consecrationem manentibus, positam esse totam in condemnatione unius & alterius propositionis VViclefsianæ & præsertim alterius, sive secundæ. Prima propositio damnata velut hæretica, hæc est. *Substantia panis*

materialis, & similiter substantia vini materialis remanent in Sacramento altaris. Tum secunda propositio pariter damnata hæc est, *Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento.* Unde ad Fidem spectat *primò* substantias panis & vini non manere post consecrationem Eucharisticam, & *secundò* accidentia illarum manere, ac proinde manere sine suis respective subjectis.

XVII. Aristotelici affirmāt species & accidentia idem esse.

Hinc autem ulteriùs eunt Aristotelici, & contendunt remanentiam solarum ac duntaxat specierum illam, quæ definita fuit in Concilio Lateranensi sub Innocentio III. & in Florentino sub Eugenio IV. & in Tridentino sub Paulo III. sub Julio III. & sub Pio IV. esse illam ipsam accidentium remanentiam, quæ definitur expressissime in Concilio præfato Constantiensi, atque ita pariter spectare ad Fidem id, quod in Scholis Aristotelicis passim traditur de quantitate, de gravitate, de figura, de colore, de sapore, de odore, cæterisque omnibus accidentibus, quæ ante consecrationem erant suis respective substantiis, sive subjectis conjuncta, & deinde post consecrationem manent ab illis separata. Quare jam hoc primum est quod propono, an Concilium Constantiense per condemnationem illius articuli secundi VVicleffiani, *Accidentia panis non manent sine subjecto*, censeri possit, aut debeat aliquid definiisse, tanquam de fide certum, circa remanentiam & eatenus circa præexistentiam, & ideo generatim circa existentiam realem accidentium Aristotelicorum quantitatis, gravitatis, figuræ, &c.

XVIII. Adversarius non vult accidentia manentia vocari. Aristotel.

PAZZIUS. Omnino & primariò ad rem est, quod proponis, optime Philalethes; sed non amat Palancus accidentia, quæ probat per authoritatem Concilii hujus Constantiensis, vocari *Aristotelica*, non quòd Aristotelica non sint, sed quia solent abuti hoc epitheto Atomistæ, opponendo accidentibus Aristotelicis alia quædam accidentium genera, quæ *Platonica* vocant, aut *Atomistica*, ut in-

de inferant Concilium minime cogitasse de ullo primatu deferendo hac in re accidentibus Aristotelicis, & in hunc modum libertatem reliquisse intelligendi accidentia hæc vel illa, *Platonica* seu *Atomistica*, vel *Aristotelica*, scilicet per ea, quæ definit manere post consecrationem sine subjecto. Ægre omnino fert Scriptor noster, quod Atomistæ opinantur nos in hac decisione Concilii, minùs attendere Fidem ipsam, quàm Aristotelis gloriam, quasi Ecclesia voluerit se Aristotelicam declarare. *Nunquid dices*, inquit, *Ecclesiam in ea doctrina sic universaliter tradenda & credenda fuisse Aristotelicam; regive spiritu aut mente Aristotelis, & non potius spiritu Dei vivi? Ecclesia certe nec Aristotelica, nec Platonica, nec alterius secta discipula, sed veritatis magistra est*. Ac deinde. *Absint ergo illa voces.* Accidentia Aristotelica, accidentia Platonica, accidentia Atomistica, *quæ solùm deservire possunt ad palliandam contradictionem, quæ sit doctrina universalis Ecclesiæ, & ut appareat solùm facta contra Aristotelem pro Platone. Non enim pugnamus in præsenti pro Aristotele, sed pro doctrina Ecclesiæ...... Ista accidentia prophane vocantur* Aristotelica, Platonica, Atomistica...... *Hæc quidem non tam accidentia* Aristotelica *dicenda sunt quàm accidentia* Catholica. Ac tandem, *Et de cætero voces illas* Atomistica, Platonica, Aristotelica, *fugio quidem ut prophanas vocum novitates*. Quibus verbis satis intelligitur, quid velit Palancus.

Dial. 68. n. 585.

ibid. n. 586.

XIX. Sic autem Adversarius vult res planè impossibiles.

ROCCHIUS. Satis intelligitur, mi Pazzi, quòd velit longam seriem rerum impossibilium. Vult accidentia, quæ sine Aristotele adhuc non fuissent in Philosophiam introducta, non denominari ab Authore suo *Aristotelica*; certe perinde est ac si Alexandrum, qui filius Philippi est, nollet vocari *Alexandrum Philippi*. Vult accidentia, quæ hactenus Aristotelis fuerunt, esse deinceps accidentia Fidei, & *Catholica* vocari: ut nimirum cætera quæcunque accidentium genera, cum ipsi libuerit, vocare possit *Hæ-*

retica; quid hoc est, nisi velle pro suo arbitrio statuere Fidem & Hæresim? Vult non distingui per ullam denominationem accidentia, ut dubium non supersit, quin de suis intelligatur quidquid in gratiam accidentium definitur. Sed fierine potest ut pro varietate rerum non sit etiam varietas nominum? Quomodo non omnia sine ope nominum essent in confuso? Sed quid, si Palancus audiret accidentia esse chimæras, an non de suis accidentibus id negaret, an non id de nostris permitteret? Tunc saltem oporteret alia quidem Aristotelica, alia verò Atomistica vocari ad discrimen. Denique non video cui bono verti possit quòd taceatur accidentia, quæ vere Aristotelica sunt, Aristotelica esse: an Aristotelici Aristotelem erubescent?

XX. Accidentia diversa debent diversimode nominari.

PHILALETHES. Certe ubi agitur de accidentibus manentibus in Sacramento, quomodo fieri potest, ut qui varias accidentium opiniones sectantur, non illico dicant sua esse, quæ manent? Sic itaque Aristotelici affirmabunt sua esse, quæ manent: sic Platonici de suis id affirmabunt. Quare non video cur non dicatur accidentia *Aristotelica* manere, *Platonica* non manere; aut *Platonica* manere, *Bristotelica* non manere: nam certe utraque non manent, cùm manere nisi quæ præextiterint, non possint: præextitisse autem utraque non possunt, sive in utroque sensu intellecta. Nam non minùs, quàm contradictorie opponuntur, ita quòd necesse sit, si vera sunt *Platonica*, *Aristotelica* esse chimæras, aut è contra. Sed tum hoc saltem indulgere Palanco possumus, ut nisi nos necessitas ad id compulerit, taceantur accidentium epitheta illa, quæ odit. Scisne, mi Pazzi, quare odit?

PAZZIUS. Causas alias non novi, nisi quas retuli.

XXI An Concilium faveat accidentibus Aristotel.

PHILALETHES. Jam itaque tempus est, Domini mei, ut seriò, si quid aliud unquam, inter vos disquiratur, qualiter faveat, aut non faveat accidentibus) hîc certe opus est ut addam, *Aristotelicis*) definitio, quâ Concilium

lium damnat hanc propositionem VVicleffi, *Accidentia panis non manent sine subjecto.* Sed quomodo id disquiri potest, nisi antè noverimus, an VVicleffus fuerit Aristotelicus, vel Atomista? Nosti ne, mi Pazzi, cujus Philosophiæ sequax fuerit hæreticus ille?

PAZZIUS. Vidi duas hac de re sententias. Theophilus Raynaudus vir in Societate Jesu doctissimus, qui primus Calamum manui admovit contra systema Eucharisticum P. Maignani, credidit VVicleffum esse Aristotelicum, & unum è severioribus illis, qui putarent inhæsionem ita essentialem esse accidenti, ut esset indispensabilis. Unde audacissime affirmavit accidentia panis non manere in Sacramento sine subjecto. Tum Nicolaus Maria Gennarus è Dominicana Familia vir doctissimus pariter & qui secundus impugnandum suscepit hoc ipsum systema, credidit è contra VVicleffum esse Atomistam, idque credidit tum propter authoritatem Thomæ VValdensis, qui ea in opinione fuit, tum propter identitatem realem, quam ponebat inter subjectum & accidens subjecti; unde impulsus est ad hæretice asserendum accidentia panis non manere in Sacramento sine subjecto. Tertius, qui hodie invadit systema Eucharisticum Maignani, Palancus est, vir doctrinæ non imparis; sed non video in quam opinionem de VVicleffo aut Aristotelico aut Atomista inclinet; quapropter nihil determino; vel præsertim quia tam in ore Philosophi Aristotelici, quàm in ore Philosophi Atomistæ hæretica est propositio hæc VVicleffiana, *Accidentia panis non manent sine subjecto.*

XXII. A VVicleffus fuerit Aristotelicus vel Atomista.

ROCCHIUS. Revera ita est, Domine mi Pazzi: & miror quòd Dominus Philalethes non meminerit fuisse id olim inter nos post altercationes multas constitutum. Ratio fuit, quia de qualibuscunque accidentibus in sensu Aristotelico, aut Platonico, sive Atomistico intellectis diceretur quòd non maneant sine subjecto, propositio es-

XXIII. Concilium non respexit ad varias opiniones de accidentibus

ſet perinde hæretica. Tum accedebat in hujus rationis confirmationem, quòd non minus eadem propoſitio eſſet hæretica, ſi pro nomine *accidentium* ſubſtitueretur nomen *ſpecierum* in quocunque ſenſu philoſophico acceptarum: nam perinde fuiſſet VVicleffus hæreticus, ſi dixiſſet, *ſpecies panis non manent ſine ſubjecto.* Hinc autem apertiſſime inferebatur mentem Concilii non fuiſſe, ut quicquam determinaret circa ſententiam philoſophicam hanc vel illã de accidentibus. An adhuc non meminiſti, Domine Philalethes, hoc etiam fuiſſe unanimiter illatum atque cõcluſum?

XXIV. Nihil in Concilio definitur de accidentibus Ariſtotelicis.

PHILALETHES. Memineram, mi Rocchi, rationum & illationum iſtarum omnium; neque à Pazzio rogavi an VVicleffus fuiſſet Ariſtotelicus, vel Atomiſta, niſi ut addiſcerem, an Palancus idem quod Gennarus ſenſiſſet de Atomiſmo VVicleffi. Cæterùm intelligo nunc magis, quàm olim ex propoſitione illa damnata, *Accidentia panis non manent ſine ſubjecto*, inferri nihil poſſe determinate in gratiam talium accidentium, pro quibus Arriſtotelici decertant. Accipite, Domini mei, verbis his pauciſſimis mentem meam: Duo ſunt quæ in hoc Concilio Conſtantienſi definiuntur circa res Euchariſticas. *Primum.* eſt accidentia manere. *Secundum* eſt ſubjectum non manere. Sed tum ibi, ut de quidditate ſubjecti nihil definitur, ita de quidditate accidentium definitur nihil: Quem in modum propoſitionis hujus Catholicæ, *Accidentia panis manent ſine ſubjecto,* Fides ſicut perinde ſtat ſive ſubjectum, quod non manet, eſſet compoſitum ex principiis Platonicis, quæ ſunt atomi, ſive componeretur ex principiis Ariſtotelicis, quæ ſunt materia & forma, ita etiam perinde ſtat ſive accidentia quæ manent ſint formæ genitæ ad mentem Ariſtotelis, ſive ſint actiones ſolùm objectivæ ad mentem Platonis, qualem Atomiſtæ ſectantur. Uno verbo licet illico videatur præfatum Concilium favere Ariſtotelicis in hoc, quod definit accidentia manere, revera tamen non

favet, quatenus ex hoc uno *accidentium* nomine nullatenus potest colligi accidentia, quæ manent esse illa, quæ ab Aristotelicis putantur manere: nam quare non erunt illa, quorum remanentiam Atomistæ propugnant? Quare illa *Catholica* erunt, & hæc hæretica?

ROCCHIUS. Ratio in promptu est, quia sic placet Palanco; qui primus hominum ex zelo nimio contra prophanas vocum novitates induxit novitatem sacræ hujus vocis, quâ prophanissimi Authoris accidentia *catholica* dicerentur; nempe ut deinceps necesse sit alia cujuslibet Authoris alterius *hæretica* nominari. Sed tum si catholica dici oporret ea, quæ ad Fidei normam & Veritatem magis accedunt, hoc novo nomine veriùs donabuntur illa, pro quibus stamus. Vis ut hoc demonstrem, mi Pazzi? XXV. Accidentia Aristotelica non debent nominari catholica.

PAZZIUS. Voluntati tuæ rem condono, quam tua esse in potestate despero: agedum, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Oportet ut hoc primum fatearis, mi Pazzi, nomen accidentium non reperiri ad rem istam in alio, quàm in Constantiensi Concilio, ubi neque reperitur, nisi quatenus relatum ex VVicleffo dicente, *Accidentia panis non manent sine subjecto*: in cæteris autem Conciliis præcitatis nomen *Accidentium* tacetur, & in usu est nomen *specierum*: nam sic quidem definitur solas species panis & vini remanere in Sacramento post consecrationem. Et ne aliquid æquivocationis esset in hac solitaria remanentia specierum, in ultimo Concilio, quod est Tridentinum, adhuc expressiùs statutum fuit solas & duntaxat talium substantiarum panis & vini species remanere. Jam itaque in hunc modum discurro. Si de nostris, aut de vestris accidentibus panis & vini verificatur quòd maneant, utique potiùs verificatur de illis, quibus convenit magis accedere ad id, quod est esse solas & duntaxat species panis & vini. Ad id autem nostra omnino accedunt: imo nihil aliud sunt, quàm tales solæ ac duntaxat species, id est, XXVI. Demonstratur accidentia Aristotelica non esse illa quæ manent.

repræsentationes panis & vini, cùm ad mentem nostram, quæ hac in re mens est Concilii Tridentini, nihil panis & vini remaneat in Sacramento præter id, quod est repræsentari panem & vinum.

XXVII. Probatur quòd manerent omnino inutiliter.

Et certe inutiliter remaneret quidquid remaneret præter id, quod sufficit ad occultationem mysterii & ad exercitium fidei: ad id autem sufficit id, quod est repræsentari panem & vinum, ubi nihil panis, nihil vini jam est propter vim transsubstantiationis jam factæ. Quare definitio Concilii Tridentini de *solis ac duntaxat* speciebus manentibus si bene capitur, intelligitur de *solis ac duntaxat* speciebus, seu repræsentationibus passivis, quas sic explico. Antè consecrationem, panis (idem dic de vino) repræsentabat se ubi erat, & quantus & qualis & qualiter erat; sicque se repræsentabat agendo mediate aut immediate in sensus, quibus se repræsentabat; atque ita per suas illas actiones efformabat statum passivum suæ repræsentationis. Itaque considerari ante consecrationem in pane poterat & status activus, per quem se repræsentabat, & status passivus, qui terminus erat activi, & per quem fiebat ipsum repræsentari. Tum post consecrationem, status quidem activus ille periit, quia jam panis non est, qui repræsentare se possit; sed permanet status passivus unus atque idem, licet non jam pendens ab actionibus panis, qui non est, sed ab actionibus Christi supplentis actiones panis,

XXVIII. Solæ species passivæ sunt illæ quæ manent post Consecrationem.

Videte in hunc modum, Domini mei, qualiter, si res bene attenditur, definitio lata in Concilio Tridentino de *solis ac duntaxat* speciebus manentibus, non aliter intelligi debeat, quàm de solis speciebus, sive repræsentationibus passivis, in quibus consistit tota & vera sensibilitas Sacramenti, quam Christus exhibet, agendo totum id, quod panis ad sui sensibilem exhibitionem ageret, si adesset. Tum veniamus ad considerationem accidentium, (sub-

intelligo *Aristotelicorum*, quando interdictum est ita loqui) quantitatis, gravitatis, figuræ, coloris, odoris, &c. & deprehendemus illa in infinitum discedere ab ista simplicissima notione *solarum & duntaxat* remanentium specierum: nam nunquid accidentia illa in se ipsis sunt totidem res, quæ vere existunt, & vere agunt; an non vere in se ipsis sunt totum id, quod erant antequam essent seorsim à suis respective subjectis; imo sunt aliquid valde spectandum ultra id, quod erant, si creditur Aristotelicis affirmantibus illa esse elevata divinitus ad ministeria multa substantiæ.

XXIX. Quod non potest convenire accidentibus Aristotelicis.

Quis autem de Aristotelicorum grege interrogatus quid sint accidentia panis non consecrati, responderet ea nihil esse, nisi solas ac duntaxat species panis? An non singulis accidentibus suas tribuunt entitates, suas proprietates, suas actiones, suas generationes, suas alterationes, &c. hocne est accidentia esse solas ac duntaxat species subjectorum suorum? Quo modo igitur illa eadem accidentia non erunt post consecrationem, nisi solæ ac duntaxat species panis, quæ ante consecrationem erant aliquid ultra id, quod est esse species solas ac duntaxat illius? Unde concludo accidentibus nostris, subintelligo *Atomisticis*, veriùs convenire id, quod est esse solas ac duntaxat species panis remanentes; ac proinde veriùs, quàm quæcunque alia vocari *Catholica* posse; si fortè aliqua sacrum hoc ac venerabile nomen promererentur.

XXX. Opponitur quòd Concilium videatur repudiasse accidentia atomistica.

PHILALETHES. Miror, mi Rocchi, quòd semper aliquid novi ac solidi afferas in gratiam tui systematis: neque diffitebor me hoc tuo novissimo ratiocinio perduci ad opinandum non satis probari ex Concilio Constantiensi permanentiam accidentium Aristotelicorum in Sacramento, ideoque nec ullam præexistentiam eorum in quibuslibet subjectis. Sed deinde quando Concilium damnavit VVicleffum ob id, quòd affirmaret accidentia panis

non manere sine subjecto, non potuit non improbare principium philosophicum illud, unde inferebat suam illam hæresim: tale autem principium est commune Atomistis, quare hac in parte pugnarent pro VVicleffo, quod indecorum est Philosophis Christianis. Explico me: ac deinceps audiam vos; & hoc est illud alterum, quod contentioni vestræ hodiernæ proponam. Quare VVicleffus negavit quantitatem, gravitatem, figuram, colorem, &c. panis manere sine subjecto, nisi quia putavit formas illas accidentales non esse nisi modalitates substantiæ; sed de cætero à substantia ita indistinctas, ut seorsim ab illa subsistere nullatenus possent? Formas illas Atomistæ similiter putant esse indistinctas à suis subjectis: igitur habent principium commune, per quod VVicleffistæ firmantur in sua hæresi, Atomistæ autem ab illa non declinant, nisi admittendo inconsequenter separationem rerum inseparabilium. Atque ita fit ut Atomistæ, vel saltem inviti, pugnent pro VVicleffo, neque se à VVicleffistis discernant, ut par est discerni Catholicos ab Hæreticis.

XXXI. Opponitur nimia societas Atomistarum cum VVicleffo.

Dial. 69. n. 601.

PAZZIUS. Institit, Domine Philalethes, super hoc punctum sæpissime Palancus, & exprobravit tacite Maignano ac suis societatem hac in re nimiam cum VVicleffo. Itaque Palancus relatis ex Thoma VValdensi quibusdam locis, unde fulciebat præfatam illam indistinctionem accidentium à suis subjectis, hæc habet. *Ecce quomodo VVicleffus ex indistinctione reali, seu titulo etiam identitatis accidentium cum substantia sentiebat non posse manere accidentia sine substantia.* Et subdit, *Nonne vestri Atomistæ id ipsum sentiunt, id ipsum frequenter loquuntur? In quo ergo ab VVicleffo vos ipsos secernitis?* Paulò antè dixerat, *Si ergo vos contenditis ipsamet* (accidentia) *non utcunque annexa substantiæ; sed cum illa identificata realiter esse, atque ideo sine illa existere non valere, urgentissime pro Hæretico pugnatis, &c.* Quare vehementer doleo, mi

Rocchi, quòd vos Atomistæ Catholici causam habeatis ita communem cum VVicleffo.

ROCCHIUS. Et ego, mi bone Pazzi, misereor super te, ac super tuam nostri Atomismi obstinatam inscitiam. Parem in te non criminabor, Domine Philalethes, quem sæpius animadverti dissimulare quæ scires, ut præberes occasionem contendendi. Sed ad te redeo, mi Pazzi, & dico quod *fortasse vitium, de quo quereris, si te diligenter excusseris, in sinu invenies*, vitium, aio, communionis cum VVicleffo, cum Joanne Huss & exinde cum Luthero atque Calvino in hisce rebus ad accidentia pertinentibus. Ecce omnes isti Aristotelici fuerunt, nec alia quàm Aristotelis authoritas, in qua nimis confidebant, illis occasio fuit errandi circa Fidem Sacramenti Eucharistici. Audiebant ab Aristotele accidens non esse tam ens, quàm entis ens: unde alii quidem ut VVicleffistæ & Hussitæ intulerunt accidens esse realiter identificatum cum ente, cujus est accidens; alioquin esset ens & non entis ens, ut Aristoteles docuit. Alii verò, ut Lutherani & Calvinistæ intulerunt accidens, si non est entis ens identice, esse saltem entis ens inhæsive, ac proinde inhærere suo enti essentialiter, seu indispensabiliter. XXXII. Sed Aristotelici majorem habent societatem cum illo. *Sen. l. 1. de benef. c. 28.*

Ac tandem omnes propter Aristotelicam illam præventionem affirmaverunt non posse accidentia in Sacramento manere sine suis respective subjectis; nempe ob id, quòd cum illis identificari aut indispensabiliter inhærere necesse esse arbitrarentur. Neque mirum quòd in eam opinionem identitatis aut indispensabilis inhæsionis ceciderint, quando in eandem opinionem lapsi sunt Aristotelici Catholici satis multi pro quibusdam particularibus accidentibus, uti Arriaga pro gravitate, Poncius pro raritate, Oviedo pro figura, &c. Quare negaverunt hæc accidentia manere in Sacramento aliter quàm apparenter, Christo scilicet supplente vices eorum, & concurrente divinitus XXXIII. Qualiter hæc hæresis fluxit ex præventione Aristotelica.

per actiones suas ad illorum apparentiam exhibendam juxta leges nostri systematis.

XXXIV. Nihil Atomistis & hæreticis illis commune est.

Ad nos autem quod spectat, ecce accidentia hujusmodi Aristotelica nulla plane admittimus: & ideo nunquam introimus in vestras illas Aristotelicas controversias de inhæsione dispensabili aut non-dispensabili, de identitate aut non identitate talium accidentium cum suis subjectis. Ubi ergo jam est, mi Pazzi, societas illa, quam exprobrabas nostro systemati cum hæresi VVicleffiana? Cæcus es, si tandem non vides tam nullam illius cum ista conventionem esse, quàm nulla est conventio Christi cum Belial. Atque ut scias quantùm absumus à vestris illis Aristotelicis hæreticis, attende ad hæc tantummodò tria verba, quæ complectuntur nostrum de accidentibus Atomismum.

XXXV. Quæ sint accidentia physica atomistica.

Vis itaque scire quæ sint accidentia nostra physica? hæc sunt; esse quantum, esse grave, esse figuratum, esse coloratum, esse sapidum, &c. id est, esse quantum sensibiliter, esse grave sensibiliter, esse figuratum sensibiliter, &c. jam itaque quando fit consecratio panis, sicut perit id quod est esse panem, ita perit id quod est esse quantum, id quod est esse grave, id quod est esse figuratum, &c. Sed hæc quæ secundùm statum absolutum pereunt, secundùm statum sensibilem non pereunt: sicque non pereunt, sed manent omnes ac singulæ sensibilitates panis quanti, gravis, figurati, colorati, &c. & istæ sensibilitates sunt illæ *solæ ac duntaxat* panis species, quas Concilium Tridentinum definivit remanere in Sacramento.

XXXVI. Quæritur an talia accidentia sint indistincta à suis subjectis.

PAZZHIUS. O quàm callidè, mi Rochi, vertis te in omnem partem, ut te dimoveas à præfatis Hæreticis in hoc, quod affirmant de accidentibus non manentibus sine subjecto. Attamen non haberes effugium, si te urgerem ad mentem nostri Scriptoris, ac te interrogarem, an quantitas, gravitas, figura, durities, &c. sint aliquid distinctum

aut

aut indistinctum à suo subjecto: nam haud dubie respondebis esse aliquid indistinctum, ut ab Aristotelicis te discernas; sed hoc ipso confundes te cum VVicleffo & cæteris, qui non contendunt panem in Sacramento esse, nisi quia putant illum ab accidentibus suis aut indistinctum, ut saltem inseparabilem esse.

ROCCHIUS. Si me sic urgeres, mi Pazzi, si me sic interrogares, non aliter responderem, quàm à te rogando pro meo jure, an videris Antichristum ambulantem vel sedentem. Cæterùm scio quid responsi dares, te neque sedentem, neque ambulantem illum vidisse, aut videre potuisse, cùm nondum sit. Quare igitur non conjecisti esse me aliquid simile responsurum dicendo accidentia, quæ in subjecto non sunt, nec distincta esse ab illo, nec indistincta; seu realiter, seu modaliter, seu utcunque aliter.

PAZZIUS. *Optime* (sic instat Palancus) *ergo ut quis sit verus Atomista, lex inviolabilis est, ut nullam admittat qualitatem realem in rebus, nullam realem quantitatem, nullam realem figuram ..... sed dicat omnia ista esse omnimodas chimaras & omnes, dum loquuntur, chimarizare, vosque ipsos etiam; nam ista praenumerata & alia similia continuò nominatis, &c.* & hic, mi Rocchi, vide abyssum, in quam tandem incidit atomistica vestra illa cogitandi ac loquendi sublimitas. Dial. 69. n. 602.

ROCCHIUS. Bona verba, mi Pazzi, & cave ne prior incidas in foveam, quam fecisti. Timuit Arriaga, ne si quid rei tribueret gravitati, chimæram fingeret: timuit Poncius ne chimæram fingeret, si quid rei tribueret raritati: id Oviedo timuit pro figura, ut taceam cæteros ac præsertim hodiernos Aristotelicos, quorum alii colorem, alii calorem, alii odorem, alii saporem, alii sonum, &c. è numero rerum seponunt, quia verentur ne chimæras fingant. De cætero autem si quantitas, gravitas, figura, color, odor, sapor, &c. accipiuntur, ut solent à nobis ac- XXXVII. Qualiter pro accidentibus affectantur chimæræ.

cipi pro qualitatibus abſtractis, & de quibus ſic in abſtracto acceptis loquimur ut cæteri, reputabuntur apud Sapientes nunquam pro chimæris, quia utique ſunt abſtractiones fundamentum habentes. Unicum igitur eſt, ut vocabulo veſtro utar, chimærizandi periculum, ſi quid rei non-rei tribuitur : id igitur timete, quoties accidentalibus formis veſtris, quas ſeorſim per ſe non eſſe res toties à nobis demonſtratum eſt, aliquam realitatem affingitis. Neque addam plura, mi Pazzi.

PAZZIUS. Sed neque vacaret audire plura, mi Rocchi : meminiſti enim neceſſitatis, in qua conſtitutus ſum abeundi paulò ante occaſum Solis : & ecce imminet.

XXXVIII. Proponuntur examinandæ aliquæ authoritates.

PHILALETHES. *Tuæ* hujus neceſſitatis, Domine Pazzi, ceperat me oblivio ; etenim ſi meminiſſem illius, rogaſſem omitti chimæras iſtas, quas ultimò objeciſti, & in quibus umbra non fuit difficultatis. Suggeſſiſſem tibi aut ex Breviario Romano, aut ex catechiſmo Concilii Tridentini, aut ex ſacris canonibus aliquid opportunius digniuſque opponi, & in cujus examine tempus teri utiliùs potuiſſet.

PAZZIUS. Non opus fuiſſet, Domine Philalethes, mihi à te quidquam ex his omnibus ſuggeri : præſentiſſimum enim eſt memoriæ meæ quidquid Palancus ex illis locis ſelegit ad impugnationem Maignani & ſequacium. Sed quia nihil affert quod Gennarus non præoccupaverit, & propoſitum & agitatum olim non fuerit prolixiſſime inter nos, haud dubie auditus non fuiſſem, quia nos viciſſim obſtrinximus promiſſis vitandi omnem inutilem repetitionem.

XXXIX. Tales authoritates alibi examinatæ fuerunt.

ROCCHIUS. Certe ſi meminiſtis, Domini mei, nec labori, nec tempori olim pepercimus, quando à me oportuit ſatisfieri argumentis Gennari afferentis pro ſe Breviarium Romanum, Catechiſmum Concilii Tridentini, & ſacros canones nonnullos. Extant ſinguli dialogi de ſin-

gulis hisce materiis à me conscripti ; & ideo me tæduisset hîc audire rursus easdem difficultates, & rursus easdem solutiones afferre. Quare præterea si attenditis ad voluntatem meam, quam probastis, dandi colloqnia ista in publicum, num eadem oporteret, quod absit, iteratis typis vulgare ? Accipite mentem meam : quando colloquium hoc nostrum à me vulgabitur, rogabo sub finem illius Lectores meos recurrere pro istis particularibus materiis ad dialogos, quos de illis seorsim conscripsi , & in quibus nihil ad aggressionem, aut ad defensionem ab Aristotelicis, aut ab Atomistis potest desiderari, quod non occurrat.

PAZZIUS. Amplector mentem tuam, mi Rocchi : jamque, Domini mei , rogatâ non semel veniâ surgo & abeo.

ROCCHIUS. Nec solus, nec pedes ibis, mi Pazzi : juncti jam sunt equi ad bigam meam , qua excipiam te, perferamque obiter ad ædes Peralti ; & eundo statuemus quid, & ubi, & quando contentionis erit magis opportunum ad materiam secuturi dialogi. Qua de re ambo te monebimus, Domine Philalethes, tuumque accipiemus consilium. Interim ama hospites , qui non reddunt, nisi gratias pro mercede.

XL. Terminatur dialogus & decernitur materia sequentis.

PHILALETHES. Interim, Domini mei, amate hospitem, qui vestras gratias non admittit pro idonea mercede : alia est, quam reposcit, & hæc est, voluntas redeundi sæpe ad hospitium, & eo familiariter utendi. Valete plurimùm.

DIALOGUS XIV.

QUAM MALE SENTIANT ARISTOTELICI DE FORMIS SPIRITUALIBUS IN GENERE.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

I. Locus ad colloquendum destinatus est insula ad id valde opportuna.

PHILALETHES. Quæ fraus hæc vestra est, Domini mei? Condictum heri fuit nos hac scapha trajecturos Garumnam, & ituros ad *delicias* Peralti: (sic vocat ædes riparias, quas nuper exædificavit,) & ecce in medio fluminis sistitur, in nova insula: an hîc nata, an aliunde traducta hæc sylva est? an incantamenti res est?

PAZZIUS. Hîc nullius fraudis, nullius incantationis res est, Domine Philalethes: heri quando sub altam noctem ibam cubitum, monuit me per epistolam Peraltus suas *delicias* fore hodie occupandas à lectissima Urbis Juventute, trahente secum choros & jubila: unde intellexi studia jurgiaque nostra esse aliò transferenda. Illico cogitavi de hac parvula insula, quæ, ut vides, valde frondosa est, & ubi casa valde commoda est boni ac divitis piscatoris, qui amicissime nos excipiet. Ad oram purissimi fontis non deerit vini delicatissimi copia, piscibusque vescemur, quibus quisque voluerit: Fraudem aliam, aliam incantationem non novi: Rocchius neutram hîc metuit.

ROCCHIUS. Insula est, Domine Philalethes, ubi Pazzius regnat. Neque nos hodie huc perducit, sicut me perduxit non semel, nisi ut ostentet quid possit. Suspicor

tamen hanc quoque acceſſiſſe cauſam, nempe ut ſciat aliquando Palancus qualiter terra marique pro ipſo pugnet. Cæterùm potuit illi ſecuriorem hanc ſolitudinem ſuadere voluntas inclamandi altiùs ac liberiùs quàm antè adversùs Atomiſmum, & illum ſepeliendi, ſi poterit, ſub grandi aggere formarum accidentalium ſpiritualium, quas ſuſcepit hodie demonſtrandas. Hæc, ſi annuis, materia erit totius contentionis hodiernæ.

PAZZIUS. Erit etiam initium hujus contentionis lectio, quæ, ut confido, mihi per vos licebit, numeri ſexcenteſimi tertii ex dialogo ſexageſimo nono noſtri Scriptoris, qui rectiſſime hîc concludit nullas fore in rebus ſpiritualibus formalitates reales, ſi nullæ id genus eſſent in rebus materialibus. Sic lego. *Et quidem quod dicis de quantitate, figura, colore, & aliis qualitatibus in ſubſtantia corporea, pariter debes dicere de omnibus formalitatibus, quas abſtrahimus tam à Deo, quàm à creaturis. Dicere ergo debes ſanctitatem, bonitatem, veritatem, juſtitiam cæteraſque perfectiones nullas revera eſſe in rebus, nec in Deo; ſed tantùm in mente abſtrahentis; neque eſſe res, neque modos reales, ſed omnimodas chimaras .... ac proinde in Deo non eſſe bonitatem, veritatem & juſtitiam, niſi chimaras.* Jamque adhuc magis attendite, Domini mei, ad verba quæ ſequuntur, *Si ita loqui ac ſentire debet quiſquis fuerit verus Atomiſta, hanc legem præfigito, & credo certe quòd nullus velit eſſe verus Atomiſta, niſi mente-captus.* II. Arguitur à formis materialibus ad ſpirituales.

ROCCHIUS. Doleo vehementer, mi Pazzi, quòd Scriptor veſter neſcierit quis & qualis ſit verus Atomiſta. Itaque verus Atomiſta ſicut non negat quantitatem, figuram, colorem & alias qualitates in ſubſtantia corporea, ita neque negat in ſubſtantia ſpirituali ſanctitatem, bonitatem, veritatem, juſtitiam cæteraſque perfectiones: quin etiam affirmat utraſque reales eſſe. Sed tum quæſtio eſt de ſenſu, in quo ſunt, aut non ſunt reales tam iſtæ per- III. Qualiter accidentia materialia ſint realia & non realia.

fectiones incorporeæ, quàm illæ corporeæ qualitates. Ut ab istis incipiam dico quantitatem v. g. præcise ut quantitas est, quià sic forma mere abstracta est, non esse per se ac seorsim rem aliquam supperadditam subjecto, quod quantum est; sed de cætero si subjective accipitur, habet hoc ipso realitatem sui subjecti considerabilis in ratione quanti; aliam autem non habet. Similiter Sanctitas v. g. præcise ut sanctitas est, quia sic forma mere abstracta est, non est per se ac seorsim res aliqua superaddita subjecto, quod sanctum est; sed de cætero si jam non abstractive, sed subjective accipitur, habet hoc ipso realitatem sui subjecti considerabilis sub ratione sancti; aliam autem non habet.

IV. Et similiter discurrendũ est pro accidentibus spiritualibus.

Tum è contra ego, qui quondam ab Aristotele steti; non ignoro quis & qualis sit verus Aristotelista. Ecce, Domini mei, ut discurrit. Quantitas, figura, color, & aliæ qualitates in substantia corporea, sunt realitates superadditæ illi: ergo sanctitas, veritas, bonitas & aliæ perfectiones in substantia spirituali, sunt etiam realitates superadditæ illi. Sic, inquam, discurrit non attendens quòd res spirituales incapaces sunt admittendi compositionem ullam realem. Unde quamvis qualitates corporis singulæ realitatem propriam obtinerent, quam illi supperadderent; hoc tamen non aliter, quàm temere pro qualitatibus spiritualibus inferretur. Et aliquando etiam sic discurrit inferendo qualitates corporales ex perfectionibus spiritualibus, scilicet in hunc modum. Creaturæ spirituali accidunt sanctitas, bonitas, veritas, justitia, &c. & istæ perfectiones reales sunt: igitur similiter accidunt creaturæ corporali quantitas, figura, color, &c. & similiter reales sunt.

V. Quale sit discrimen inter realitatem subjectivam &

Sed dum ita discurrit, non attendit ad difficultatem, quæ utique non est de realitate subjectiva talium sive perfectionum, sive qualitatum; sed de realitate præcisa & superaddita. Unde aut asserere debet perfectiones omnes spiri-

tuales esse totidem res distinctas & superadditas substantiis spiritualibus, quod ipsarum spiritualitati repugnat; aut inferre non potest pro qualitatibus corporalibus realitatem illam præcisam, & superadditam, de qua est quæstio. Atque ita clare videtis circulum, in quo verus iste Aristotelista confidenter ludit. Est etiam alius, in quo ludit cum fiducia majori: quando videlicet ex qualitatibus corporalibus quantitatis, figuræ, coloris, &c. assurgit ad perfectiones divinas sanctitatis, bonitatis, veritatis, justitiæ, &c. ac tum ex perfectionibus istis divinis descendit ad qualitates illas corporales stabiliendas, prout vult, & distinctas & superadditas & separabiles à suis respective subjectis. Quæ utique consequentia nulla est, nisi de perfectionibus divinis pariter affirmetur realitas distincta, superaddita & separabilis: quod omnino pugnat cum simplicitate divina.

realitatem præcisam.

PAZZIUS. At ubi est bona tua fides, mi Rocchi? quare taces, aut dissimulas rationem, propter quam verus Aristotelista contendit, quòd si nihil realitatis esset in quantitate, figura, colore & aliis qualitatibus corporum, nihil etiam realitatis esset in sanctitate, bonitate, veritate, justitia & aliis perfectionibus spirituum: imo nihil etiam realitatis esset in perfectionibus divinis. Etenim Atomistæ dicunt quantitatem nihil realitatis habere, quia non est nisi forma quædam abstracta, & quæ ideo est tota intra mentem abstrahentis: nec proinde extra illam, nisi chimæra est. Unde Aristotelici sic argumentantur cum Palanco. Si quantitas corporis nihil nisi forma quædam abstracta est, nihil etiam nisi forma quædam abstracta erit sanctitas Dei: & ideo si quantitas illa ex hoc, quòd non sit nisi forma abstracta, non est realis, sed potiùs chimæra; id etiam pariter sequeretur de sanctitate Divina: quod impium atque insanum est. Aut dicant Atomistæ in quo sanctitas ista erit quid minus abstractum, aut quid minùs intra mentem abstrahentis, quàm illa quantitas. Igitur aut negandum

VI. Opponitur sanctitatem Dei non fore realem, si forma abstracta non est realis.

erit perfectiones divinas ob id quòd sint formæ abstractæ, reales esse: aut negandum non erit qualitates corporales esse reales, licet sint formæ quædam astractæ. Et idcirco aut illa quantitas realis est, aut ista sanctitas realis non est: hoc secundum nemo nisi mente-captus non affirmabit: is qui primum illud negabit, quis erit?

VII. In quo sensu sanctitas sit realis, sicut & quantitas.

ROCCHIUS. Erit mente-captus, mi Pazzi, si nempe illud negabit in sensu, in quo Atomistæ non negant. In sensu subjectivo & fundamentali Atomistæ non negant quantitatem esse realem: sed negant illam esse realem in sensu præciso & formali, in quo videlicet forma mere abstracta est, & extra mentem abstrahentis non est. Uno verbo quantitas prout in subjecto, realis est, ea scilicet realitate, quæ est subjecti quanti; sed prout seorsim à subjecto, realis non est, quia jam non in subjecto, sed in mente est: ubi realitatem non habet nisi objectivam; quamquam non eapropter chimæra est, quatenus formalitas est, quæ rationabiliter præcisa est. Quæ doctrina transferenda est ad omnes perfectiones spirituales, etiamque divinas, quæ utique in suis subjectis reales sunt; sed si præscinduntur ab illis, jam reales non sunt, quia ut sic præcisæ, non sunt extra latitudinem mentis præscindentis. Et revera si sanctitas divina præcise ut sanctitas est, & considerata seorsim à Deo, qui sanctus est, adderet aliquid realitatis supra illam, quæ est Dei sancti, nunquid hoc simplicitati Divinæ obstaret, mi Pazzi?

VIII. Opponitur simplicitatem entis divini esse summam ad discrimen à cæteris entibus.

PAZZIUS. Obstaret; sed non similiter obstat simplicitati cærerarum rerum spiritualium realitas multiplex variarum formalitatum, sive perfectionum, quibus abundant: quia talis simplicitas non est summa, qualis est divina: ideoque realiter atque intrinsece mutabilis est. Atque in hunc modum argumentari solent Aristotelici ex multitudine reali accidentium in rebus spiritualibus ad multitudinem realem accidentium in rebus materialibus; & hic

hic quidem modus est argumentandi, ut aiunt, à fortiori, quia si multiplicitas realis accidentalis non repugnat in rebus spiritualibus, quantò minùs in materialibus repugnabit.

IX. Propositio status difficultatis circa qualitates spirituales.

PHILALETHES. Video jam clare, Domini mei, quò tendit vestra contentio hodierna: eò scilicet tendit ut sciatur, an sint in entibus spiritualibus formæ accidentales, quæ sint alicujus realitatis singularis, distinctæ & superadditæ ad substantiam ipsam talium entium. Et hæc materia magni momenti est, ac digna quæ in secessu isto insulari tractetur: nam si fortè ita est res spirituales non carere accidentibus superadditis perficientibus ac mutantibus ipsas intrinsece, quam ob causam res materiales non poterunt intrinsece perfici & mutari per accidentia ordinis materialis, uti per quantitatem, per gravitatem, per figuram, per colorem, &c.? Cæterum memini plura & pluries dicta fuisse à vobis obiter de accidentibus substantiarum spiritualium; memini etiam vestræ super hanc rem contumacissimæ dissensionis, quam non facilè placatum iri præsentio. Utut sit, contendite, Domini mei, pro more vestro, tuque prior age, mi Pazzi, & declara quid de hisce accidentibus spiritualibus Aristotelici sentiant: quid convictionis de illis habeant.

X. Qualitates spirituales difficiliùs probarentur quàm materiales.

ROCCHIUS. Aget prior, ut jubes, Pazzius, Domine Philalethes; sed mihi condona, si hoc verbulum interposuerim de securitate, in qua pro nostro Atomismo mihi jam vivitur, quum video hanc unam superesse Aristotelicis spem probandi rem improbabilem. Non potuerunt Aristotelismum ædificare hactenus in terra; & jam tentant ædificare illum in cœlo: non potuerunt probare accidentia materialia, & cogitant de spiritualibus probandis. Aut mirum in modum fallor, aut res ista non succedet illis è voto.

PAZZIUS. Mihi verò successûs prosperi spem facit

optimam titulus dialogi quinquagesimi noni de hac materia ex professo scripti à Palanco.

ROCCHIUS. Quis scit an titulus ille non erit vacuus?

PAZZIUS. Audi titulum, mi Rocchi. *Demonstrantur accidentia realia in substantiis spiritualibus.* An sub hoc titulo putabis demonstrationem talium accidentium non comperiri? Illam audies, & multis quidem Sanctorum Patrum authoritatibus communitam. Pendet autem ex variis interrogationibus, quibus Atomistam suum aggreditur, & ex variis responsionibus Atomistæ sui, quem tandem convictum dimittit.

ROCCHIUS. Ego, mi bone Pazzi & Atomista ille suus duo sumus valde dissentientes ut plurimùm in modis argumentandi & respondendi: quare nihil agis, si tantùm retuleris, unde convictus fuerit. Affer, si placet, unde convincar.

XI. Arguitur ex divina immutabilitate intrinseca.

PAZZIUS. Radix convictionis, quam non effugies, mi Rocchi, hæc est; quia videlicet Deus est ab intrinseco immutabilis, ita quòd nullius intrinsecæ mutationis vices tolerare utcunque possit: scriptum est enim, *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Et hanc quidem immutabilitatem intrinsecam, esse singularissimam ac characteristicam Divinitatis proprietatem tum Sancti Patres expresse docuerunt, atque imprimis S. Augustinus, S. Gregorius Magnus, S. Joan. Damascenus, & S. Gregorius Nyssenus, quos Palancus citat præ cæteris; tum Theologi omnes unanimiter affirmant, & exinde in hoc omnes concordant, quòd nulla creatura esse possit immutabilis intrinsece. *Quapropter*, ut Scriptor noster concludit, *non sine ingenti temeritate, ni dicam sine blasphemia, de substantia ulla creata, quòd sit immutabilis intrinsece in se ipsa dici potest* Ac tum ad suum Atomistam conversus addit, *Vide igitur in quod barathrum incidatis pro vestro systemate propugnando, seu pro accidentibus realibus profligandis.*

Dial. 59. n. 510.

ROCCHIUS. Præclara hæc sunt, Domine mi Pazzi; sed demonstratio, de qua sermo est, ubi est?

PAZZIUS. Ibi est quoad suam vim omnem: jam verò formam accipe. Ratio propter quam Atomistæ contendunt substantias spirituales non posse in se admittere accidentia realia, hæc est, nempe illas esse ab intrinseco immutabiles, siquidem simplices: per hujusmodi autem accidentia realia, qualia videlicet Aristotelici tuentur, ab intrinseco mutarentur. Unde inferunt illas nullis accidentibus hujusmodi realibus posse subjacere. Igitur si solus Deus est ab intrinseco immutabilis, ratio, quam afferunt Atomistæ, ruit, & eâ mente demonstratum relinquitur substantias spirituales subjacere accidentibus realibus; quod erat demonstrandum. XII. Construit Adversarius formam argumenti.

ROCCHIUS. Adhuc tamen quæro, mi Pazzi: demonstratio; de qua sermo est, ubi est? Quia scilicet immutabilitas Dei ab intrinseco absoluta & essentialis non aufert à substantiis spiritualibus immutabilitatem intrinsecam secundùm quid & participatam. Hæc autem sufficit illis, ut non subjaceant accidentibus ullis realibus, qualia & qualiter Aristotelici volunt intra illas admitti. Præterea ratio, quam pro negandis accidentibus spiritualibus Atomistæ desumunt ex simplicitate ac proinde immutabilitate intrinseca substantiarum spiritualium non est, nisi ratio una è multis. Quare licet rueret, non eapropter tales substantiæ admitterent hujusmodi accidentia: uti si aliunde improducibilia essent: quod Atomistæ propugnant, & à me antequam discedamus hac die ab invicem, pro voluntate Domini Philalethis probabitur. XIII. Inmutabilitas secundùm quid non admittit compositionem realem.

PHILALETHES. Ad id probandum expectabis, si placet, oportunitatem sermonis nos in hanc materiam deducentis. Interim scias, Domine Rocchi, evacuatam à te non esse præmissam demonstrationem ex Palanco adductam, donec clariùs pateat quid intelligas per illam *se-* XIV. Quæritur quid sit hæc immutabilitas secundùm quid.

cundùm quid & participatam immutabilitatem intrinsecam substantiarum spiritualium. Nam donec te magis explices, potest Pazzius instare dicendo demonstrationem quam attulit, hac tua responsione roborari, quâ utique fateris substantias spirituales, quas vocas *immutabiles secundùm quid*, ex parte immutabiles esse intrinsece, & ex parte immutabiles non esse: Quapropter ex illa saltem parte, quâ immutabiles non sunt, mutati poterunt per accidentia, de quibus agitur. Et similiter quid erit illa substantiarum spiritualium immutabiltas participata, quam ais, nisi quædam dimidiata immutabilitas? Unde fiet ut saltem ex parte aliqua mutabiles erunt intrinsece; & ideo ex parte aliqua erunt obnoxiæ accidentibus realibus ipsas intrinsece mutantibus.

XV. Cur creaturæ spirituales sint omnino mutabiles, ut Adversarius opponit.

PAZZIUS. Addam, si placet, quòd si omnimoda immutabilitas intrinseca est proprietas quædam characteristica Diuinitatis, quomodò intrinseca ulla immutabilitas poterit inter proprietates creaturarum spiritualium computari? Imo quomodò ad integrum discrimen inter Deum & creaturas spirituales non pertinebit, quòd sicut Deus est omnino immutabilis intrinsece, ita creaturæ spirituales sint omnino mutabiles ab intrinseco? atque ita per quæcunque accidentia, de quibus sermo est, mutari poterunt.

XVI. Solvuntur instantiæ præallatæ, ab exemplo æternitatis.

ROCCHIUS. Laudo vestras instantias, Domini mei, non laudandas tamen in hominibus doctis, quibus in promptu fuit concipere quæ aio de immutabilitate secundùm quid & participata substantiarum spiritualium per respectum ad earum æternitatem, quæ, ut omnes Theologi loquuntur, est *æternitas secundùm quid & participata*, & quæ utique non dicitur *æternitas secundùm quid*, ex hoc uno quòd sit æternitas tantùm à parte post. Nam licet tales substantiæ ab æterno essent perinde ac in æternum erunt, nihilominus æternitas earum perinde vocaretur *æternitas secundùm quid*, quia non esset connaturalis; sed

accidentalis & amissibilis; atque ita non haberet omnem excellentiam æternitatis absolutæ, quæ est essentialis atque inamissibilis. Deinde verò licet æternitas substantiarum spiritualium non sit, nisi æternitas secundùm quid & paricipata, ideoque accidentalis, amissibilis, dependens, &c. nunquid non numerabitur inter perfectiones illarum intrinsecas? vel præsertim quia fundatur in simplicitate naturali quam habent, & quæ per se nulli naturali destructibilitati subjacere potest.

Fingite jam, Domini mei, Atomistam qui affirmaret substantias spirituales quotidianis disperditionibus ac ruinis esse obnoxias; & qui demonstrandum id susciperet dicendo solam æternitatem posse illis obstare; sed æternitatem non posse substantiis spiritualibus convenire, quia æternitas est perfectio propriissima Deo & characteristica Divinitatis. Quid in hoc casu responderet vir Aristotelicus, nisi substantiis spiritualibus convenire æternitatem secundùm quid & participatam, & hanc utique intrinsecam sufficere ad hoc, ut non destruantur & pereant? Atqui Aristotelici nihil aliud hîc agunt, nisi quòd affirmant substantias spirituales continuis mutationibus intrinsecis per accidentia realia inductis subesse; & id probant quia talibus mutationibus obstare non potest, nisi immutabilitas, quæ convenire substantiis illis non potest ob id, quòd sit singularis perfectio divina. Quare igitur ac pari jure non respondebitur ab Atomistis substantias illas gaudere sua immutabilitate intrinseca, quæ licet non sit alia quàm secundùm quid & participata, & exinde accidentalis, amissibilis, dependens, &c. sufficit tamen, ut nullis subsint hujusmodi mutationibus intrinsecis, quæ per accidentia realia in aristotelico sensu accepta inducerentur.

XVII. Sic de immutabilitate ut de æternitate discurri debet.

PHILALETHES. Obiter rogo cur jam non semel dixeris immutabilitatem substantiarum spiritualium esse intrinsecam & simul accidentalem. Non audivi alium Atomistam ita loquentem.

XVIII. In quo sensu immutabilitas creaturarum spiritualium sit intrinseca. ROCCHIUS. Imo non aliter loquuntur Atomistæ omnes : quatenus apud illos omnis perfectio alicujus rei, si vere est perfectio illius rei, est intrinseca illi rei ; imo est res illa ipsa, scilicet secundùm aliquem determinatum respectum considerata. In hunc modum, si quæ est simplicitas rei, est intrinseca illi : si quæ est æternitas rei, est intrinseca illi : si quæ est immutabilitas rei, est intrinseca illi : ac certe non aliter quàm res compositæ, temporales, mutabiles habent illos defectus sibi intrinsecos. Atque in hoc sensu immutabilitatem substantiarum spiritualium voco *intrinsecam*.

XIX. In quo sensu sit etiam accidentalis. Tum illam voco *accidentalem* in hoc videlicet sensu, quòd solus Deus est per essentiam totum id quod est : & omnis creatura è contrario est per accidens totum id quod est : & hoc idem est, ac si dicerem Deum ex summa necessitate esse totum id quod est, & ex adverso creaturam omnem esse totum id quod est ex summa contingentia. Quare relative ad hanc summam contingentiam omnes perfectiones creaturarum accidentales sunt, sicuti relative ad illam summam necessitatem omnes perfectiones Dei essentiales sunt. Neque jam non patet potuisse me immutabilitatem substantiarum spiritualium vocare simul *intrinsecam* & *accidentalem*.

XX. Opponitur mutationem apparere in substãtiis spiritualibus. PAZZIUS. Nolo, mi Rocchi, quidquam hîc tecum contendere de respectu illo arbitrario, juxta quem possit, aut non possit perfectio aliqua creata vocari simul *intrinseca* & *accidentalis* ; sed contendo falsum esse quod ais de immutabilitate intrinseca substantiarum spiritualium, licet à te pro ingenii tui viribus modificata & restricta. Et revera quomodò unquam suadebis substantias spirituales esse immutabiles intrinsece, quando in illis, ut in animabus nostris, patet vel ad oculos ipsos mutationum intrinsecarum vicissitudo continua ? Audiamus Palancum sic discurrentem. *Rursus dic mihi. Substantia spiritualis eadem*

Dial. 19. n. 514.

substantialiter manens potest nunc esse bona & perfecta spiritualiter & vere coram Deo; & postea fieri mala & prava vere & realiter coram Deo, vel non? Quid ais, mi Rocchi?

ROCCHIUS. An id interrogari potest, mi Pazzi? quis id unquam negavit?

PAZZIUS. *Ergo mutari potest vere & realiter de bona coram Deo, in malam coram Deo.* Verba sunt nostri Scriptoris, qui sic prosequitur. *At quo pacto id explicabis, si incapax sit mutationis intrinseca; si incapax sit bonitatis realis accidentalis, qua privari possit?* Urget ostendens posse animam de mala fieri pejorem, & de bona meliorem usque ad incrementum illius magnitudinis, de qua in laudem S. Joannis Baptistæ scriptum est. *Erit magnus coram Domino.* Hinc rursus vertit se ad Atomistam suum, & ait. *Vide igitur, mi Atomista, quo pacto hoc fieri possit sine mutatione intrinseca, & sine intrinseca perfectione & bonitate adjectitia & superaddita realiter? Sane qui hoc negatis, latenter negatis mutabilitatem istam mentis humanæ, illamque admittere posse augmentum & decrementum in bonitate & perfectione spirituali intrensece, vere & realiter & coram Deo. quod sane hareticum est.* XXI. Probatur aliunde mutatio substantiarum spiritualium.

ROCCHIUS. Esto bono animo, mi Pazzi, noli timere hîc hæresim latentem ullam. Omnes illas mutationes, quas ex Palanco profers, admittimus & fatemur esse valde reales, valde intrinsecas; sed nihil probant contra immutabilitatem intrinsecam, de qua est sermo. Quæritur an substantiæ spirituales sint immutabiles intrinsece, id est, in se ipsis, & spectatis relative ad illud esse substantiale primarium, proprium, distinctivum & unicum nativum, quod à Deo creante acceperunt. Nos id affirmamus: vos id negatis; & ut opinioni vestræ faveatis, recurritis ad mutationes, quæ nullatenus variant substantias in se ipsis, licet repræsentent varios status, quibus utique subjacent. XXII. Illæ omnes mutationes admittuntur reales ab Atomistis.

Ecce anima rationalis scit, nescit; vult, non vult; obedit, resistit; miseretur, ulciscitur; amat, odit; sperat, desperat; gaudet, dolet; & mille viis virtutum aut vitiorum attingit varios sanctitatis, aut nequitiæ gradus, per quos summe perfecta, vel summe imperfecta evadit, amicissima vel inimicissima Deo, & dignissima æternis vel præmiis, vel suppliciis.

XXIII. Sed hæc realitas non est nisi realitas statuum diversorum.

Sed quid sunt hæc omnia? Varii sunt status animæ, quæ de cætero in suo esse substantiali primario, proprio, distinctivo & unico nativo, quod à Deo accepit, nec minuitur, nec augetur; sed constanter in eo manet una & eadem. An ex quo creata fuit, accessit aliquid ad illius substantiam, unde evaserit substantialiter major? An aliquid de substantia illius periit, unde substantialiter minor effecta sit. An aliquid de sua substantia in aliquid alterius substantiæ commutavit, unde jam substantialiter alia sit? Non utique. Sed neque deinceps fieri poterit, in quoscunque varios agendi ac patiendi status incidat, ut subeat ullam in sua nativa substantia mutationem. Quare hine satis apparet substantias spirituales esse ab intrinseco immutabiles: & addam, mi Pazzi, *omnino*, ut tibi spes nulla per viam aliquam evadendi supersit.

PAZZIUS. Sed dum addis hanc particulam *omnino*, vide ne justo audacior sis; & certe video te audaciorem Atomista, qui colloquebatur cum Palanco: nam Palanco instante his verbis, *Et quidem audebis jam dicere, quod Angelus v. g. tam immutabilis est vere & realiter in se ipso; ac Deus in se ipso?* Atomista respondet, *Id certe nunquam dicam.* Tu verò id dicis; nam è duobus omnino immutabilibus repugnat unum esse minùs immutabile alio. Quid ais? An particulam illam *omnino* non recantabis?

Dial. 59. *n.* 512.

XXIV. Qualiter Angelus sit immutabilis & mutabilis intrinsece.

ROCCHIUS. Minime, mi Pazzi; recantandi morem non habeo: sed ne verearis me hac in re assimilare nimis Angelum Deo. Ecce Angelus & omnino immutabilis est intrinsece,

intrinsece, & omnino intrinsece mutabilis est. Parodoxum audis, per quod pono haud dubie satis discriminis inter Deum & Angelum. Angelus est mutabilis de suo esse ad non esse; qua mutabilitate intrinseca nulla est major: sic, inquam, mutabilis est à Deo, qui auferre illi suum esse tam facilè potest, quàm conferre potuerit. Sed tum in suo esse, quod simplex est & ideo unicum est, immutabilis est; ita quòd non habeat ullum intrinsecæ mutabilitatis principium: & hac immutabilitate intrinseca nulla pariter major est. Neque putabitis, Domini mei, abesse à vero parodoxum quod attuli, si mecum attenditis proprietates esse, quæ non suscipiunt in se ipsis magis & minus: hujusmodi sunt æternitas, immensitas, simplicitas, &c.

Si Angelus esset ab æterno, tam æternus esset, quàm Deus: si esset immensus, tam immensus esset, quàm Deus: hinc ejusdem est simplicitatis cum Deo, & ejusdem proinde immutabilitatis; cujus simplicitas ratio & origo est. Sed tum quia hæc immutabilitas Angeli non est illi essentialis, sed accidentalis, ut ante aiebam, ideo stat cum summa illius mutabilitate intrinseca, summa intrinseca immutabilitas, quæ jam satis probata est. De cætero audite aliud discrimen maximum inter immutabilitatem intrinsecam Dei & immutabilitatem intrinsecam Angeli. Angelus nunquam manet in eodem statu intrinseco intelligendi, volendi & operandi: Deus autem semper in eodem statu permanet suæ mentis, suæ voluntatis, suæ operationis. Intelligere, velle, operari, hæc in Deo æterna sunt, in Angelis autem quotidiana sunt; & in nobis præsertim pro varietate instantium variantur. Quid adhuc præter istas modificationes quæritis ad temperandam assertionem meam de immutabilitate intrinseca substantiarum spiritualium. XXV. Aliquæ proprietates non suscipiunt magis & minùs.

PHILALETHES. Subtiliter loqueris, mi Rocchi: cave tamen ne in tuis illis subtilitatibus capiaris. Fateris XXVI. Afferuntur contra hanc

doctrinam duæ instantiæ. statum intelligendi & volendi & operandi esse in substantiis creatis spiritualibus intrinsecum: fateris statum illum frequentissime mutari: admittis ergo in substantiis illis mutationes intrinsecas. Jam verò nihil intrinsece mutari potest, nisi per aliquid, quod intra ipsum se insinuet, aut intra ipsum recenter fiat & producatur. Atque hoc pacto das evidentem locum accidentibus spiritualibus Aristotelicis, scilicet cognitionibus, volitionibus, operationibus adventitiis. Simul etiam das locum pariter evidentē auxiliis, seu influxibus accidentalibus spiritualibus gratiarum, sine quibus receptis non possunt, ut Aristotelicorum mens est, fieri, si bonæ sunt, mutationes illæ in mente, aut in voluntate, aut in operatione. Probas, mi Pazzi, unam hanc alteramque instantiam?

PAZZIUS. Utramque probo, & eram utramque propositurus: neque video quam afferre Rocchius responsionem possit.

XXVII. Satisfit duabus præmissis instantiis, & ostenditur quòd parum urgent. ROCCHIUS. Hæc te, mi Pazzi, sollicitudo de responsione mea non torqueat. Admitto in substantiis spiritualibus mutationes varias reales & intrinsecas; non propter varietatem ullam realem & intrinsecam in substantias ipsas inductam; sed propter varietatem inductam in modos agendi, aut patiendi intrinsecos, quibus illæ substantiæ spirituales se habent pro varietate objectorum, pro varietate temporum, pro varietate luminum, aut affectuum, &c. Cæterum si actiones omnes & passiones in rebus materialibus non sunt res per propriam aliquam & singularem entitatem productam distinctæ ab illis, ut apud Atomistas in demonstrato est, quantò minùs id verificabitur in substantiis spiritualibus, ad quas quidquid præter ipsas est, quia sunt simplices, impossibile prorsus est attinere. Ad ipsas pertinere possunt omnes ipsarum modi, seu omnes ipsarum status, siquidem indistincti; sed quidquid præter tales modos & status cogitare quis poterit, id

omnne alienum est; jamque nulla ipsarum esse actio aut passio potest: omnis actio res agentis est, & omnis passio res patientis est.

XXVIII. Actio debet esse aliquid agentis & passio aliquid patientis.

Igitur si agens est res una, & actio est res altera: rursus si patiens est res una, & passio est res altera, nón antè actio erit res agentis, quàm agens res actionis: non antè passio erit res patientis, quàm patiens res passionis: nam è duabus rebus vere ac seorsim productis, neutra esse potest alterius. Quare actio non esset res agentis, si esset aliquid præter realem modificationem, præter realem statum agentis: in quo sensu solo dixi actionem esse rem agentis: & idem affirmandum est de passione. Quod autem subjungitur de influxibus gratuitis accidentalibus, propter quos in ipsas inductos substantiæ spirituales agant & patiantur, id valde minùs nos premit, quia magis alieni sunt à substantiis ipsis spiritualibus, quàm ipsarum actiones & passiones, & ideo minùs illas immutare possunt. Nisi quòd influxus illi ex parte principii, unde proficiscuntur esse, nisi actiones non possunt, & ex parte termini in quo recipiuntur, nisi passiones non sunt. Atque ita reciditur in hoc, quòd non possint accipi pro rebus propriam & singularem entitatem productam per se ac seorsim habentibus. Si cum aliis loquerer, Domini mei, clariùs loquerer; sed hîc vobis nihil est subobscurum.

XXIX. Mentio hîc fit systematis gratiæ, quod non placuit Palanco.

PAZZIUS. Nihil hîc subobscurum est, mi Roechi, omnibus qui legerint tuum illud opusculum, quod inscripsisti *Systema Gratiæ*, in quo explicas quidquid spectat ad universa negotia divinæ gratiæ per actiones Dei vocantis, moventis, excitantis, illuminantis, inflãmantis, &c. & per correspondentes passiones animæ vocatæ, motæ, excitatæ, illuminatæ, inflãmmatæ, &c. Sed scias velim tuum illud systema nullius jam verisimilitudinis esse, ex quo Palancus illud severissimum in examen adduxit & errores illius detexit: & impugnavit tandem ex professo in dialogis plu-

ribus sui hujus operis dialogistici contra Atomistas. Neque dubitas quin occursuræ sint illico memoriæ meæ demonstrationes potiores, quibus illud irreparabiliter destruit. Tantùm dic verbo, Domine Philalethes, & illas una serie proferam.

XXX. Tum differtur agere de tali systemate in alio loco & tempore.

PHILALETHES. Recitarentur hîc, mi Pazzi, extra suum & tempus & locum: non enim hîc contendistis, nisi de formis spiritualibus in genere. Neque si de formis istis particularibus, scilicet gratiis divinis, aliquid paulò antè dixi ad majorem vim meæ animadversionis, id egi alio fine, quàm ut insinuarem hanc difficultatem esse postmodùm in particulari tractandam. Non mutabimus, si placet, methodum, quam hucusque tenuimus circa formas materiales accidentales: eandem circa spirituales servabimus. De illis in genere nihil definii, nisi postquam actum est de quibusdam illarum in particulari. Impresentiarum sic erit, nihilque ultimò statuetur à me de accidentibus spiritualibus in genere, donec inter vos concertatum sit & satis, ut soleris, fuse ac ferventer de quibusdam eorum dignioribus, uti de gratiis divinis.

XXXI Opponitur quòd ubi sunt novi status, ibi debent esse novæ productiones.

PAZZIUS. Ita placet, vel maxime quia hîc debuissem uti compendio, quo vel invitus eripuissem aliquid lucis & roboris demonstrationibus nostri Scriptoris. Sed in animadversione tua novissima, Domine Philalethes, difficultatem aliam tetigisti, quam etsi Rocchius ad illius solutionem multa tentaverit, insolutam reliquit. Aiebas status, quos Atomistæ assidue memorant pro explicandis cognitionibus & voluntatibus & universis operationibus substantiarum spiritualium, esse reales & intrinsecos & mutabiles: & inde inferebas operationes illas esse qualitates accidentales productas; quatenus repugnat contingere mutationem aliquam realem sine nova productione alicujus rei. Hinc si substantiæ spirituales acquirunt varios status per varias operationes, necesse est aut illos status

non esse reales contra hypothesim, aut istas operationes esse productiones reales, seu productiones alicujus rei accidentis ad substantiam spiritualem, quæ in hunc modum & non aliter mutari realiter potest.

Quando anima de non volente fit volens; mi Rocchi, quando de non-intelligente fit intelligens; quando de peccatrice fit pœnitens,&c. quid novi accidit? nam si nihil novi accidit, non fit mutatio: si quid novi accidit, fit productio. Dic,oro,clare ac distincte quid novi accidit? XXXII. Exemplû fit animæ intelligentis & volentis de novo.

ROCCHIUS. Accidit, mi Pazzi, productio non novi entis, sed novi status. Itane placet?

PAZZHIUS. Omnino placet: quia volui te ad hunc locum perducere, ubi Palancus hoc suo argumento te perimet. Audi hominem. *Ille novus status est nihil, vel aliquid? Si nihil: ergo re ipsa non est novus status verus & realis, sed prorsus nihil reale: nihil ergo verum & reale efficitur & consequenter nec verus & realis status. Si est aliquid verum & reale: ergo ens verum & reale: nam ens & aliquid convertuntur.* Et sic ultimò concludit. *Implicat ergo contradictionem productio novi status realis, quæ non sit productio novi entis realis, si revera est productio novi status realis à parte rei.* An adhuc spiras, mi Rocchi? Dial. 58. n. 504.

ROCCHIUS. Adhuc spiro, mi bone Pazzi; & miror fragilitatem argumenti, quo me voluisti perimere. Dico igitur status omnes rerum reales esse, videlicet in quantum pertinent ad res, quarum sunt status; sed status rerum non sunt aliæ res: alioquin ad istas res pertinerent aliqui status, qui rursus si essent res aliæ, subjacerent varietati aliorum statuum, & ita nullus esset finis rerum & statuum, quod repugnat. Dico adhuc expressiùs statum illum novum animæ volentis, intelligentis, pœnitentis, &c. esse verum & realem, scilicet ea veritate, & ea realitate, quæ ad animam pertinent; sed non veritate ulla & XXXIII. Status sunt reales; sed non propterea sunt aliæ res.

realitate pertinentibus ad aliam rem, quæ non sit anima. Nam si ad rem aliam pertinerent, extranee se haberent ad animam & ideo nihil commune haberent cum statu animæ novo, de quo disputamus. Addo illum statum novum animæ & verum & realem produci; sed non alia productione, quàm impropria, seu præsumpta, qualis convenit non rebus, sese instar rerum habentibus: atque ita negamus productionem novi status esse productionem novi entis.

PAZZIUS. Hoc igitur negatis propter illas non-res sese instar rerum habentes. Quæ sunt istæ non-res? Inaudita mihi locutio hæc est: non sic licet ad arbitrium loqui.

XXXIV. Quales sint non-res instar rerum se habentes.

ROCCHIUS. Hujusmodi non-res sese instar rerum habentes, sunt omnes temporis excursiones, dimensiones omnes spatii, privationes, & modorum omnium ac statuum varietates. Atque ut videas locutionem hanc meam arbitrariam non esse, sed egregie philosophicam volo te ipsum, mi Pazzi, ad illius usurpationem compellere.

PHILALETHES. Vaticinari potiùs debuisti quòd *In caput antè suum labentur ab æquore retro Flumina, conversis, Solque redibit equis.* Res joco plena est, quòd Pazzium vel invitum atomistice locuturum confidas. Perge, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Volui tamen rem cum Pazzio agere seriam: eamque tentabo rogando ipsum, an tempus hodiernum sit quid reale novum respectu hesterni temporis.

PAZZIUS. Rem rogas, quæ negari nisi temere non possit: quare interpretari debuisti responsionem affirmativam.

XXXVI. Retorquetur argumentum Adversarii assumpto tempore pro statu.

ROCCHIUS. Bene est, mi Pazzi: hoc unum quod volebam, obtinui: jamque sic discurro. Tempus novum hodiernum *vel est nihil, vel aliquid? Si nihil: ergo reipsa non est tempus novum verum & reale, sed prorsus nihil.*

reale: nihil ergo verum & reale factum est & consequenter nec verum & reale tempus. Nota, si placet, me hîc contra tempus novum afferre verba ipsa, quæ supra referebas ex Palaeco contra statum novum) jam pergo. *Si est aliquid verum & reale; ergo ens verum & reale: nam ens & aliquid convertuntur. Implicat ergo contradictionem productio novi temporis realis, quæ non sit productio novi entis realis, si revera est productio novi temporis realis à parte rei.* Jam ergo quid aies, mi Pazzi? Si tempus hodiernum est aliquid reale, seu à parte rei & independens ab intellectu, necesse est ut admittas illud fuisse productum hodie, nam heri non erat; sed neque transire potuit de non esse ad esse, nisi per productionem. Tum si tempus non est, uti revera non est de numero rerum illarum, quibus convenit vere ac proprie produci; nam tempus neque corpus, neque spiritus est, nunquid verum erit productionem illius esse tantummodò impropriam & præsumptam?

Atque in hunc modum productio novi temporis non erit productio novi entis: & hic ipsissimus est sensus, in quo supra dixi mutationem, per quam anima de non-volente fit volens, de non-intelligente intelligens, &c. esse productionem non novi entis, sed novi statûs. Præterea quia nihil præcise ut nihil est, proprietatem nullam habet, fieri non potest, dividi non potest, mensurari non potest, variari non potest, &c. hinc sequitur id omne, quod aliquam proprietatem hujusmodi habet, non esse omnino nihil, neque considerabile esse ut omnino nihil; vel præsertim quia independenter ab intellectu est aliquid: ita quòd etsi nullus intellectus esset, tempus esset. Tandem hoc aliquid, quod est tempus, mediat, ut patet, inter *esse* & *non esse*; sic tamen ut magis accedat ad non esse quàm ad esse. Et ideo potiùs est non-res, quàm res; sed est utique non-res, quæ se habet ad instar rei. Si rogarem, mi Pazzi, an tempus absolutè loquendo sit res, quid responderes?

XXXVI. Accessus novi temporis non est productio novi entis.

XXXVII. Adversarius admittit tempus esse non rem, sed ad instar rei.

PAZZIUS. Vix responderem rem esse, quia video illud advenire, sed non video produci ab agente ullo naturali, ut res solent: item video illud præterire, sed non video illud destrui, qualiter res destruuntur ab agente aliquo naturali. Cæterùm tempori convenit fuisse, esse ac futurum esse, quod convenire mero nihilo non potest. Quid dicam? tempus mihi videtur esse res; tempus mihi videtur esse non-res: sit igitur aut res instar non-rei, aut non-res instar rei. De hoc non ampliùs contendatur; voluisti, mi Rocchi, difficultatem, de qua sermo est, per aliam, de qua sermo non est, obscurare: elucidare illam potiùs debuisti.

XXXVIII. Idem posset dici de forma, quòd dicitur de statu.

Itaque ad novum illum animæ statum, contra quem cum Palanco antè arguebam, redeatur: & paucis accipite, Domini mei, animadversionem valde subtilem nostri Scriptoris, qui postquam demonstravit novum illum statum, de quo agitur, aut nullum fore, aut fore verum ac realem, & vere atque realiter productum, ait licere haud dubie Aristotelicis vocare *formam* id, quod Atomistæ vocant *statum.* Audite ut loquitur ad Atomistam suum conversus. *Quòd enim tu dicas* novum statum, *& ego dicam* novam formam, *si quid reale & verum sit à parte rei ille novus status, perinde se habet unum ac aliud: non ergo effugis difficultatem, dum illam totis viribus fugis; sed in illam velis, nolis, incidis.* Ac deinde agens de anima, quæ per suam operationem mutatur intrinsece, ita prosequitur. *Cur ergo non possim ego dicere, quòd intrinsece mutatur per novam formam physicam productam, sicut tu dicis intrinsece mutari per novum statum physicum denuo productum? Est ne tota culpa nostra, quòd vocamus* formam novam, *quod vos* statum realem novum *appellatis.*

Dial. 58. n. 505.

XXXIX. Sicque tota discordia esset in aliqua vocum novitate.

Ac tandem (tuumque sit, Domine Philalethes, hîc perpendere, an tandem possit esse sub diversis vocibus una mens Aristotelicorum & Atomistarum) sic concludit.

Jam

Jam ergo de re nobiscum sentietis & pro vocibus solis & novis erit tota vestra Philosophia Atomistica contra voces antiquas. Sed quis non videt in controversia de usurpatione & significatione verborum prævalere evidenter antiquitatem? Tu, si placet, unus loquere, & dissertationem hanc matutinam claude: siquidem, ut vides, mihi renunciatur expectari nos ab hospite nostro prope fontis sui crepidinem, ubi mensa fere instructa est.

PHILALETHES. Quid, mi Pazzi? ecce horographicus meus cylindrus vix signat decimam cum semice.

PAZZIUS. Hæc ipsa, Domine Philalethes, in insulis isti similibus est hora prandii. Eamus; sed lente ibimus, eritque tibi plusquàm oporteat temporis ad aperiendam nobis mentem tuam de consensione, quam Palancus hîc suspicatur non impossibilem inter nos & Atomistas, dummodò velint antiquis vocibus uti & *formam* vocare quod vocant *statum*.

XL. Nulla unquam esse poterit inter Aristotelicos & Atomistas vera concordia.

PHILALETHES. Antè agni tutè accubabunt cum lupis, quàm hîc aut alibi fulgeat spes ulla veræ consensionis inter Philosophos tam dissentientes. Possent equidem, quod nunquam fiet, vocibus eisdem uti, & pro controversia præsente usurpare communiter aut nomen *status* aut nomen *formæ*; sed ad quid prodesset hæc concordia vocum in discordia mentium? An non singulas substantiarum spiritualium mutationes alii quidem opinarentur pendere ab entibus accidentalibus vere productis & vere inhærentibus: alii verò censerent fieri absque entibus ullis hujusmodi? Quare, si me amabitis, Domini mei, taceatur de tam inexpectata concordia: tantùmque mecum advertite, quàm misera sit nostra conditio, dum de plerisque rebus, de quibus tam laboriose inquiritur, tam clamose, tam superbe, tamdiu disputatur, non modò nescitur quid sint, sed fere nescitur an sint, licet de illis veluti sint & ex hypothesi quòd sint, continuò loquamur ac disseramus,

Ccc

Quæ produci non possint, non sunt: ea tantummodo esse possunt, quæ produci potuerint; sed si modum, quo producantur, nescimus, meritò dubitamus, an sint.

XLI. Recensentur multæ ambages quæ sunt in his materiis philosophicis.

Et hoc dubium mire augetur, quando modum, quo ea putaverimus posse produci, audimus & monemur esse pro impossibili reputandum. Tum offeruntur ambages de productionibus veris & præsumptis, de non-rebus instar rerum se habentibus, & non egentibus productione. Alter vestrûm ait hujusmodi entia, seu potiùs non-entia instar entium, esse tempora, spatia, & motus & status omnes tam materiales, quàm spirituales: alter contendit in istis motibus, statibus & generatim in modis omnibus esse aliquid entitatis veræ ac realis & vere ac realiter productæ immutantis realiter atque intrinsece sua subjecta; quidquid interim sit de temporibus ac spatiis, de quibus non videtur pariter discurrendum. Tandem adhuc non video nisi tenebras; sed forsan lux lucebit in his tenebris, quando audierimus Rocchium enarrantem nobis quid Atomistæ sentiant super hanc rem adeò intricatam: super hæc scilicet, de quibus generatim hoc mane actum est, & hoc vespere agetur, accidentia spiritualia.

R O C C H I U S. De illis dicam multò fusiùs & explicatiùs quid in genere sentiamus; tuoque judicio id totum submittam, hac tamen spe fretus obtinendi albos calculos in gratiam Atomismi.

P A Z Z I U S. An inane nihil, mi Rocchi, aliquando sperasti? ut unum è cæteris hoc forsan erit: adhuc inexhaustus mihi Palancus est, quem ut soleo, tibi opponam. At ecce, Domini mei, virum bonum, hospitem nostrum, qui nobis hac semita venit obviam; sic eamus & nos.



DIALOGUS XV.

QUAM BENE SENTIANT ATOMISTÆ de formis spiritualibus in genere.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PAZZIUS, PHILALETHES, ROCCHIUS.

PAZZIUS. Sinite tandem vestros Poëtas: nihil mihi cum illis. Quis insolitus arripuit vos furor recitandi tot carmina? tempus est revertendi ad Philosophiam & tractandi res graviores ac viciniores veritati. I. Insinuatur Aristotelicos esse in sua Philosophia Poëtas.

PHILALETHES. Noli conqueri de furore nostro, Domine mi Rocchi: *anne tua nostram inflammasti fraude poësim*, quando nos sollicitasti ad haustus nimis repetitos vini hujus delicatuli & mordacis? Quis scit an illud non tulerint vineæ Parnassi, unde in hanc insulam advectum fuerit? si res ita habet, tua culpa sit, quòd Philosophos mutaverit in Poëtas. Sed sustine paulisper; primus ille impetus brevi defervescet, & videbis iterum in Poëtis Philosophos.

ROCCHIUS. Miror, Domine Philalethes, quòd Pazzius noster Poësi nostræ bellum indicat; ipse haud dubie non putat se suosque in Philosophia esse minùs Philosophos, quàm Poëtas. Neque non confido me id probaturum hoc ipso in loco atque in momento: Ecce *postquam exempta fames epulis, mensaeque remotæ*, tantùm superest ut classicum canas.

PHILALETHES. An non tu ipse classicum cecinis-

ti, quando cepisti satis inurbane Philosophiam Aristotelicam accusare Poëseos? An putas hanc inurbanitatem fore inultam? Sed Deo volente tuam accusationem hanc Pazzius non audivit: sermonem faciebat & adhuc facit cum bono viro, apud quem hospitamur.

Rocchius. Sicne, Domine mi, putas futurum fuisse ut commoveretur Pazzius accusatione tam levi? Videt me patienter ferentem gravissimas, quibus sive ipse, sive suus Scriptor impetit Atomismum nostrum, injurias inscitiæ, dementiæ, arrogantiæ, hæreseos, atheismi, fanatismi, &c. quare bilim illius commovere non potuisset quod aiebam, & ipso jam audiente repeto Philosophiam Aristotelicam Poësim sapere.

Pazzius. Memini adfuisse me olim repræsentationi comicæ hominis, quem nolentem & invitum volebant medicum esse: forsan tale aliquid comicum meditaris, ut vel inviti & nolentes fiamus Poëtæ. Visne hanc nobis dare lætitiam. Rides, ut video.

§ 11. Poetæ non probant generationes suorum numinum.

Rocchius. Rideo; sed *ridendo dicere verum quid vetat*? Atque ut intelligatis, Domini mei, me sub hoc risu personam seriam occultare, audite me. Mos est integerrimus apud Poëtas, ut in genesi suorum numinum patrum aut nullatenus sint solliciti de modo reali ac physico, quo potuerint dare, aut accipere vitam. Satis est quod Homero in mentem venerit genitam ex maris spuma fuisse Venerem, & è cerebo Jovis prognatam Junonem: hanc pro veritate fabulam habent, nec amant interrogari de rebus, quæ probabilem aut improbabilem reddant talium numinum genealogiam. Venio jam Aristotelicos, qui postquam Aristoteli, ut aiunt, ita visum est, supponunt produci continuò à substantiis & in substantiis spiritualibus actionum & passionum entia realia sine numero; sed tum nihil curant de probanda possibilitate talium productionum. Hoc saltem vobis est cum Poëtis commercium.

Nos autem ex adverso absit, mi Pazzi, ullum ens, cui sua sit propria & determinata realitas, inducere in Philosophiam nostram, quin appareat demonstratissime modus realis ac physicus, quo produci potuerit.

Et hæc est hodierna nostra contentio. Vos asseritis accidentia spiritualia, cujusmodi sunt in substantiis spiritualibus actiones omnes tam permanentes quam transeuntes, intelligendi, volendi ac memorandi & cæteras ex istis pendentes ut docendi, promittendi, miserendi parcendi, &c. præter omnes motiones locales, quæ cum analogia quadam spiritui corporique communes sunt, entia vera & realia esse, vere ac realiter producta, talibusque substantiis inhærentia. Nos autem de hujusmodi motionibus & activis & passivis tam intentionalibus quàm localibus affirmamus in contrarium, quòd nihil habeant veræ ac propriæ realitatis, vere ac realiter productæ & inhærentis; Quare verò id affirmamus, nisi quia dum illorum productionem mere supponitis, nobis improducibilia videntur atque probantur? III. Sic Aristotelici non probant productionem accidentium spiritualium

PHILALETHES. Serium est quòd ais, mi Rocchi: omninoque velim ut bipartiaris hanc contentionem. Itaque, si potes, hoc primum ostende, nulla id genus entia realia realiterque producta, esse inhæsive in substantiis spiritualibus; ac deinde ostendes hoc alterum, nulla scilicet id genus entia produci à substantiis vel in substantiis iisdem spiritualibus ad effectum talis inhæsionis posse.

PAZZIUS. Imponis Rocchio, Domine Philalethes, unam alteramque provinciam valde difficilem; an ostendet ea quæ inhærent, non inhærere, & produci non posse, quæ produci necesse sit, imo quæ momentis singulis produci accidit?

ROCCHIUS. Tantùm attendite, Domini mei, ac mecum considerate Aristotelicos de accidentium spiritualium inhæsione opinari cohærenter ad id quod anticipate IV. Inferuntur accidentia spiritualia ex materialibus

opinati sunt de accidentibus materialibus: atque in hunc modum tam illa quàm ista volunt suis respective substantiis inhærere cum necessitate pari propter conditionem paris insubsistentiæ. Et bene quidem ita est: nam si notio eadem est & una omnium, ita quòd omnia sint entia per se insubsistentia, non apparet ratio propter quam esse alia magis aut minus aliis insubsistentia possint; vel præsertim quia si inter entia quæ per se subsistunt, non est ulla gradualis differentia subsistendi, discurrere pariter oportebit de entibus per se insubsistentibus. Itaque ut ratio subsistendi, ita ratio insubsistendi erit in indivisibili posita. Loquorne, mi Pazzi, ad mentem vestram?

PAZZIUS. Optime loqueris: quia enim omne accidens est omnino entis ens, omnino insubsistens esse oportet. Sed ad quid mentem nostram rogas de hac insubsistentia?

V. Accidentia spiritualia possent separari à suis subjectis

ROCCHIUS. Ratio rogandi fuit, quia si accidentia omnia spiritualia perinde ac materialia sunt omnino insubsistentia, omnium inhæsio erit aut æque indispensabilis naturaliter, aut æque dispensabilis supernaturaliter: hinc autem apertissime sequitur aut accidentia materialia separari supernaturaliter à subjectis suis non posse, aut spiritualia posse: sequitur pariter aut accidentia spiritualia supernaturaliter posse separari à suis subjectis, aut materialia non posse à suis. Quâ consequentiâ sic ex principiis vestris clare ac evidenter deductâ mecum advertes, mi Pazzi, admitti à vobis in substantiis spiritualibus quantitates & qualitates virtutis, ut in materialibus quantitates & qualitates molis, scilicet accidentales seu inhærentes; & respondebis, si placet, ad hoc quæsitum, an quantitates & qualitates virtutis illæ spirituales, quæ angelicæ substantiæ inhærent, possint subsistere separatim ab illa: & in particulari, an quantitas intellectionis angelicæ subsistere seorsim ab Angelo possit divinitus; an subsistere seorsim ab

lo divinitus possit quantitas volitionis angelicæ, aut memoriæ angelicæ, aut sapientiæ angelicæ, &c.

PAZZIUS. Omnino tacetur inter nos, mi Rocchi, de ista separabilitate accidentium spiritualium à substantiis, quibus inhærent: & eapropter non præsumerem de illa quidquam statuere, nisi hæc verba reperirem apud Palancum, qui ad solutionem similis quæstionis sic loquitur. *In quibus vestram de doctrina Peripateticorum ignorantiam patefacitis: sentiunt enim Peripatetici intellectionem Angeli non esse ipsum esse Angeli .... & nihilominus quia est actio, cujus immediatum principium elicitivum est intellectus, negant posse adhuc divinitus sine immediato & formali sui principio existere, licet inter illos controvertatur an intellectus cum sua intellectione possit divinitus existere sine substantia Angeli.* Itaque propter authoritatem nostri Scriptoris inclino ad asserendum generatim accidentia spiritualia subsistere à suis subjectis separatim non posse: atque ad hoc magis inclino, quia neque de omnibus accidentibus materialibus in Aristotelismo certum est quòd seorsim possint subsistere: ita nemo de motu & quiete asseruit, quòd conservari possint sine sustentatione corporis quiescentis & mobilis.

VI. Affertur ratio contra necessitatem separationis.

Dial. 59. n. 508.

ROCCHIUS. Itaque jam tandem aperi oculos tuos, mi Pazzi, & vide ac dole miseram doctrinæ vestræ incohærentiam. Supponitis omne accidens esse ens entis, ac proinde ens per se insubsistens, quod idem est, ac egens subsistentia aliena, ejus scilicet entis, à quo in subsistendo dependet. Tum distinguitis inter accidentia spiritualia, quæ sint essentialiter atque indispensabiliter insubsistentia, & materialia quæ sint insubsistentia non essentialiter ideoque dispensabiliter. Rursus distinguitur à vobis inter accidentia ordinis materialis, quorum alia quidem possint divinitus, alia verò ne quidem divinitus possint subsistere seorsim à suis respective subjectis: atque in hunc modum ab aliis

VII. Quæ sit incohærentia doctrinæ apud Aristotelicos.

vestrûm asseritur motum non posse subsistere seorsim à subjecto mobili, ab aliis non posse subsistere quietem separatim à subjecto quiescente : id alii dicunt de raritate, alii de mollitie, alii de figura, &c. interim dum plerisque videtur quantitatem, gravitatem, colorem, &c. obtinere divinitus posse subsistentiam separatim ab illa, quæ est subjectorum suorum.

VIII. In quo sit adhuc major incohoerentia. Attendatur jam magis hæc doctrinæ incohærentia. Quando Aristotelici aiunt accidens non esse ens, sed entis ens, idem est, ac si dicerent accidens non esse ens sui, sed esse ens alterius : unde cohærenter ad hanc genericam accidentis notionem, clarum est nulli accidenti posse vel etiam divinitus propriam subsistentiam convenire : quia essentiæ rerum immutabiles sunt : & proinde si essentialiter est ens alterius, quomodo per potentiam ullam potest in ullo casu esse ens sui, seu non alterius. Hac de causa VVicleфistæ, Hussitæ, Zuingliani, Lutherani, Calvinistæ & alii Hæretici Aristotelici supponentes pro vera notionem præmissam accidentis, nunquam sibi suaderi passi sunt quantitatem, gravitatem, colorem & alia id genus accidentia, quæ ab Aristotele didicerant, posse à suis subjectis separari, multòque minùs manere separatim ab illis : atque ita in hæresim inciderunt de accidentibus non manentibus in Eucharistia sine suis substantiis post consecrationem ipsarum. Pergo & peto à te confidenter, mi Pazzi, quid generatim sentiendum sit, aut apud vos sentiatur de separabilitate, aut inseparabilitate subsistentiali perfectionum spiritualium accidentalium à substantiis suis.

XI. An intellectus sit separabilis ab anima. PAZZIUS. Jàm certum est ex Palanco, quem mox retuli, intellectionem Angeli subsistere seorsim non posse ab intellectu angelico : unde generatim sequitur nullas actiones, nullasque proinde passiones spirituales accidentales esse separabiles in hunc subsistendi modum à suis principiis, sive subjectis. Sed deinde Scriptor noster incertum reliquit,

reliquit, an intellectus angelicus sit taliter separabilis ab ipsa substantia angelica: vellem omnino ut id determinasset.

ROCCHIUS. At id determina per te ipsum, si placet, & dic bona fide quid sentias.

PAZZIUS. Ego sane ad salvandam cohærentiam nostræ doctrinæ dicerem separationem illam intellectûs angelici ab angelica substantia esse omnino impossibilem; & hanc redderem rationem meæ hujus assertionis: quia si non potest intellectio Angeli subsistere seorsim ab intellectu Angeli, ob id scilicet quòd repugnet intellectionem non esse intellectionem alicujus potentiæ intelligentis, ita intellectus angelicus subsistere non potest seorsim à substantia angelica, quia similiter repugnat esse potentiam aliquam intellectivam, & non esse potentiam alicujus substantiæ intellectivæ. Hinc transcenderem ad omnes facultates, virtutes, qualitates, perfectiones Angeli: & de illis idem assererem, nempe quòd earum nulla subsistere seorsim ab Angelo possit.

X. Ex distinctione sequitur separabilitas.

ROCCHIUS. Bene omnino est, Domine mi Pazzi; sed meminisse debuisti & veræ productionis & veræ distinctionis omnium hujusmodi facultatum & virtutum & qualitatum, & perfectionum, ut ais, Angeli: nam stante verâ productione singularum diversâ; stante pariter verâ distinctione singularum ab invicem & à subjecto suæ inhæsionis; non videtur quomodò & ab illo, & abs se invicem separari non possint, ac seorsim subsistere. Meminisse adhuc debuisti, quòd dum agitur de separabilitate subsistentiali accidentium materialium, statuitis istius possibilitatem in vera productione ac distinctione illorum: igitur aut talis suppositio non sufficit pro accidentibus materialibus, aut utique sufficeret pro accidentibus spiritualibus ad affirmandum, quòd separatim à suis subjectis & abs se invicem possint subsistere.

XI. Incohærentia probat falsitatem doctrinæ.

Atque in hunc modum Aristotelici nihil de suis accidentibus tam spiritualibus, quàm materialibus cohærenter dicunt: & hæc incohærentia dicendi sublime argumentum est incertitudinis, imo falsitatis doctrinæ. Cæterùm converto me ad te, Domine Philalethes, & rogo ut dicas an audieris unquam Philosophos tam incohærenter loquentes: audi quod loquuntur. Accidentia omnia sunt insubsistentia per se, & eapropter exigunt inhærere suis subjectis ad fruendum una illorum subsistentia. Attamen si de materialibus sermo est, hæc divinitus frui possunt subsistentia separata; sed si de spiritualibus agitur, hæc non possunt separatam hujusmodi subsistentiam obtinere. Neque tum hujus differentiæ causam afferunt aliam; nisi quòd licet utraque sint tam vere producta, tam vere distincta, tam vere inhærentia, hæc veritas productionis, distinctionis, ac inhæsionis sufficit materialibus, spiritualibus autem non sufficit ad possibilitatem subsistendi seorsim.

PHILALETHES. Antequam aliquid pronunciarem de incohærentia hujus sermonis, quærerem quare id quod sufficit illis, non sufficit istis ad hujusmodi subsistentiam separatam. Rogo te igitur, mi Pazzi, quare hoc quod est vere pariter produci, vere pariter distingui; vere pariter inhærere, non utrisque pariter sufficit ad possibilitatem paris subsistentiæ separatæ?

XII. Afferrur discrimen quæsitum.

PAZZIUS. Discrimen illud quæsivi apud Palancum, Domine Philalethes, & non inveni: neque aliud novi, quàm quòd mea mens refugit à conceptu accidentis spiritualis per se subsistentis, & non similiter refugit à conceptu accidentis materialis subsistentis per se ac seorsim. Subire in mentem non potest quid esset intelligentia Angeli separata ab Angelo intelligente; quid esset sapientia Angeli separata ab Angelo sapiente; imo nec quid esset intellectus Angeli, quid esset voluntas Angeli, quid esset

memoria Angeli, quid esset vis motrix Angeli, &c. seorsim ab Angelo: quare malo dicere omnes perfectiones accidentales angelicas, licet non identificatas, inseparabiles tamen esse atque incapaces subsistendi seorsim. Hæc autem incapacitas sic subsistendi mihi non apparet eadem in accidentibus materialibus, ut in extensione, in figura, in colore, &c. Aliud itaque discrimen non novi.

XIII. Discrimen allatum non est illud quod quærebatur.

PHILALETHES. Discrimen affers, Domine mi Pazzi, quod se tenet ex parte tui, sed non se tenet ex parte rei: aliquod hujusmodi quærebatur. Atque ita cùm nullum afferas, audi consentire me tecum in hoc, quòd ne divinitus quidem fieri possit, ut vel una perfectio accidentalis quæcunque Angeli subsistat ad unum instans separatim ab Angelo; sed jam si saperes, mecum consentires hanc impossibilitatem ita subsistendi non aliunde procedere, quàm ex hoc quòd falsum sit & valde chimæricum quidquid Aristotelici docent de productionibus, de distinctionibus, de inhæsionibus perfectionum spiritualium. Etenim si quidquid de illis docent verificaretur, omnes perfectiones angelicæ & à se invicem, & ab Angelo ita realiter differrent, ut differre non possent magis: quare igitur separari non possent etiam omnes ab invicem & ab Angelo? quare intellectus Angeli subsistere non posset ad ortum; & voluntas ad occasum?

XIV. Concluditur nullam esse inhæsionem accidentium spiritualium.

Itaque, mi Pazzi, donec per te, aut per aliquem è tuis eruditior fiam circa realem productionem & inhæsionem, qualem admittitis accidentium spiritualium, audacissime affirmabo accidentia hujusmodi, quæ singularem realitatem, & singularem inhæsionem habeant in subjectis suis, nulla omnino esse, vel propter hanc unam rationem, à qua declinare non potes, inseparabilitatis eorum à substantiis, quarum accidentia esse dicuntur. Et in hunc modum obfirmo me in opinione, quæ me jamdiu tenet, substantiarum spiritualium, ideoque simplicium, non admit-

tentium ullas perfectiones accidentales aliter quàm ad instar variarum modificationum, quibus & gaudere & carere possint sine vera ulla productione nova, & sine ulla vera nova destructione alicujus rei. Volo tamen obfirmare me magis in hac opionione, vel si opus foret, ab illa declinare audiendo vos interloquentes de producibilitate aut improducibilitate accidentium realium spiritualium. Et hoc, alterum illud est, mi Rocchi, quod antè rogabam ut ostenderes, nempe nulla id genus accidentia produci à substantiis spiritualibus, aut in substantiis spiritualibus posse ad effectum veræ ac realis inhæsionis, qualem Aristotelici propugnant.

XV. *Non sunt nisi duæ viæ productionis*

ROCCHIUS. Rem rogas, Optime Philalethes, omnium quæ rogari possint facillimam. Quia enim ad veram & realem productionem, per quam aliquid obtineat entitatem singularem ac sibi propriam, non sunt nisi duæ viæ, una generationis, altera creationis, quarum neutra convenire potest accidentibus illis, de quibus sermo est, spiritualibus, superest ea vere ac realiter produci non posse.

PAZZIUS. Quid igitur, mi Rocchi, an negas potuisse à Deo creari in Angelo & in anima intelligentiam, libertatem, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, misericordiam, &c.? aut nunquid istæ ac similes perfectiones sunt accidentia realia in talibus substantiis spiritualibus? Vide quid dicas.

XVI. *Atomistæ n[illegible] t ur hic ut cæteri.*

ROCCHIUS. Opus tibi est interpretatione mea, ut video: hanc ergo accipe. Frequentissime utimur vestro sermone, quia cum multis loquendum est; & tunc dicimus creasse Deum in anima perinde ac in Angelo intelligentiam, libertatem, prudentiam, fortitudinem, temperantiam, misericordiam, &c. quin etiam dicimus tales animæ perfectiones esse accidentia illius, ac realia quidem. Sed tum ad sentiendum cum paucis, qui bene sen-

tiunt, nostrum sermonem resumimus & sic loquimur dicentes Deum creasse animam intelligentem, liberam, prudentem, fortem, temperantem, misericordem, &c. Quæ quidem anima res unica est, quia simplex est; sed nihilominus propter hanc ipsam unitatem, sive simplicitatem æquivalentem, imo prævalentem omni alteri rei compositæ, habet quòd sit sub uno respectu intelligens, & libera sub alio, & sub alio prudens, &c. Deinde quia id unum, quod primò intelligitur in aliqua re, attributum est essentiale illius, sequitur cætera omnia, quæ in ea intelliguntur, esse attributa illius secundaria ideoque accidentalia.

XVII. Qualiter sentiant de perfectionibus substantiæ spiritualis.

Et hic est sensus physicus, in quo accipimus multiplices illas perfectiones accidentales, sive actuales, sive habituales, quas fatemur creatas fuisse à Deo, aut creari potuisse in anima, scilicet per unam atque individuam animæ creationem. Ubi ergo jam erunt accidentia illa spiritualia, quibus entitatem propriam & singularem tribuitis, & quæ in hunc modum, si vere crearentur, non utique crearentur nisi per creationes diversas; quæ poinde forent multiplicandæ pro multiplicitate fere innumerabili talium accidentium? Quis autem hujusmodi rerum distinctarum & distinctis creationibus productarum ferat in re una, in re simplici, qualis est omnis substantia spiritualis, veluti animæ, aut Angeli. Sed de cætero, Domini mei, quæstio hîc agitata non refertur proprie ad accidentia illa, quæ concreata fuerint ab initio cum ipsa substantia spirituali, aut non fuerint: quæstio propria est de illis, quæ ab Aristotelicis reputantur fieri, aut perire quotidie in substantia spirituali, uti quando de non-intelligente fit intelligens, & de non-volente volens; aut è contra de intelligente non-intelligens, & de volente non-volens: ut interim taceantur cæteræ omnes mutationes hujusmodi accidentales. Igitur quando anima de non-intelligente fit intelligens

volunt in anima produci accidens intelligentiæ, & pariter volunt illud destrui, quando cessat anima esse intelligens: rursus quando anima de non-volente fit volens, affirmant in ea produci accidens voluntatis, & affirmant pariter illud destrui, quando absistit velle quod antè vellet.

XVIII. Probatur illas nec creari, nec generari posse.

Nos autem è contra contendimus per hujusmodi mutationes intelligendi & non-intelligendi, volendi & non-volendi, cæterasque omnes ex illis pendentes, aut illis similes nec produci, nec destrui ulla id genus accidentia entitativa Aristotelica, qualia fingunt produci & inhærere, ac tum destrui & non ampliùs inhærere. Ratio nostra hæc est; quatenus quando producerentur, id via creationis, aut generationis fieret; & quando destruerentur id fieret via annihilationis, aut corruptionis: at hæc utraque via præclusa est. Nam *primò* quidem anima non posset accidentia sua illa sive creare, sive annihilare: quia videlicet tam non posset redigere illa in nihilum, quàm non posset extrahere illa è nihilo: hæc utraque potestas ad Creatorem unice spectat, ut certum est, & in Aristotelicis Scholis perinde ac in Atomisticis indubitatum. Neque *secundò* posset anima sive generare, sive corrumpere accidentia illa sua, si quæ hujusmodi essent entitativa, distincta & inhærentia: quia videlicet nihil in ipsa esset, ex quo possent educi, nihil in quod possent resolvi.

XIX. Et assumitur perfectio intelligentiæ in exemplum.

Ut si assumatur in exemplum intelligentia, quæ sit sive actus, sive habitus intelligendi, apparet quòd donec anima intelligat, quidquid in illa est, non-intelligentia quædam est: & ita ex quocunque fieret intelligentia, fieret ex nihilo intelligentiæ: sicque intelligentia non generaretur, sed crearetur: cæterùm non posset intelligentia fieri ex ipsa substantia animæ, alioquin ex parte substantialis esset: uti neque fieri posset ex voluntate, ex libertate ex prudentia, ex fortitudine, aut quacunque alia perfectione: alioquin intelligentia esset voluntas ex parte,

aut libertas ex parte, &c. quæ omnia manifeste repugnant. Similiter nec posset intelligentia illa redigi aut in substantiam animæ, aut in voluntatem animæ, aut in libertatem animæ, &c. sicque non corrumperetur quando destrueretur, sed annihilaretur ab ipsa anima per hoc unum, quòd desineret intelligere actu aut habitu: quamquam aliàs annihilare nihil anima possit. Et jam quidem, Domine mi Philalethes, obtines quod rogasti.

PHILALETHES. Abunde illud obtinui: & vicissim obtinuisti assensum, quem non rogaveras: ita quòd deinceps etsi non potero cogitare mutationes rerum spiritualium, quin occurrat illico menti aliquid in eis rebus productum aut destructum, per quod mutationes illæ contingerint, cavebo tamen ne putem, multoque magis ne affirmem illud vere productum aut destructum fuisse: nam tuo discursu veram omnem talis productionis aut destructionis viam præclusisti. An aliam viam noveris nescio, mi Pazzi; sed si non nosti, necesse nunquid est te mecum in eandem opinionem venisse? Dic ingenue quid te hoc Rocchi, nostri discursu tibi videatur. An illi aliquid deest, ut demonstrationis vim habeat. XX. Judicium fertur de veritate præmissi discursûs.

PAZZIUS. Fateor, Domine Philalethes, esse in eo discursu aliquid vivum & efficax, si nempe illius prima facies tantùm attenditur; sed tum penitiùs attendi debet non esse hîc quæstionem de entibus subsistentibus, quæ equidem non alia via possunt produci, quàm creationis aut generationis, alia nulla destrui, quàm annihilationis aut corruptionis: agitur enim de entibus insubsistentibus, quæ forsan produci & destrui possunt per aliquam aliam viam, licet nobis incognitam. XXI. Aiunt modum productionis esse incertum.

PHILALETHES. At, mi bone Pazzi, quid est illud *forsan*, quod ex te audio? hactenus credidi adverbium illud philosophicum non esse.

XXII. Impugnatur incertitudo adducta.

ROCCHIUS. Adverbium tamen est, quod apprime conveniret Philosophiæ Aristotelicæ in plerisque rebus. Visne, Domine Philalethes, ut in re incerta non utantur adverbio incertitudinis? At valde incertum est quod dixit Pazzius posse fieri ut entia insubsistentia, si vere producuntur, & si vere destruuntur, per viam aliam quàm subsistentia producantur ac destruantur. Illud pro incerto habuit, & ideo dixit *forsan*; sed rectiùs adhuc sensisset, si quod habuit pro incerto, habuisset pro falso. Etenim quòd entia sint subsistentia per se, aut per se insubsistentia, id ex consequenti se habet ad esse entia; quare anticipate considerandum est illa entia esse, quæ si à se ipsis esse non possunt, uti revera non possunt, indigent produci: quia verò nullum novimus productionis genus, quod ad creationem aut ad generationem non referatur, quare hærebitur dicere utraque pariter entia, insubsistentia scilicet & subsistentia, creatione aut generatione produci? Deinde autem notio insubsistentiæ aliud nihil est, quàm notio quædam debilitatis atque imbecillitatis connaturalis enti, quod est per se insubsistens: quare non eapropter minus eget, imo fere magis eget creatione aut generatione produci. Revoca, mi Pazzi, hodie in memoriam id, quod inter vos docetur de materia prima, de qua dicitis eam ita esse in omni genere puram potentiam, ut sit *prope quoddam nihil*: quo titulo eam per se insubsistentissimam esse necesse est. Sed an eapropter non conceditis illam creari? Unde infero titulum insubsistentiæ connaturalis accidentibus vestris spiritualibus non potuisse tibi esse in causa legitima dicendi quòd *forsan* aliter, quàm per creationem aut per generationem producuntur.

XXIII. Redditur ratio incertitudinis.

PAZZIUS. Puto tamen, mi Rocchi, habuisse me causam legitimam id dicendi, & à te quidem mihi oblatam per tuas illas minutias examinis descendentis usque ad scrupulosam perscrutationem modi, quo nostra hæc accidentia

cidentia spiritualia producuntur. Ecce nos scimus accidentia illa intelligendi, volendi & quæcunque pendent ex illis, esse aliquando & aliquando non esse in substantiis spiritualibus, quæ sic utique frequenter mutantur de non-intelligentibus in intelligentes, & de non-volentibus in volentes, aut è contra. Quia verò hæc nova intelligentia & hæc nova, voluntas in illis substantiis esse non possunt sine aliqua nova productione, uti neque possunt evanescere in illis sine aliqua nova destructione, hinc affirmamus convenire talibus accidentibus genus aliquod productionis & destructionis. Tum accedis cum tuo illo discursu & probas illa nec creari nec generari, & similiter nec annihilari nec corrumpi posse; quid supererat ut responderem nisi *forsan* illa posse aliter & produci & destrui?

XXIV. Afferuntur varii alii modi productionis.

Neque parum convenit hæc responsio cum solitis loquendi modis Aristotelicis, juxta quos vulgò dicitur accidentia illa produci quasi exoriendo, emanando, pullulando, resultando, &c. & deinceps destrui quasi evanescendo, desistendo, abscedendo, deficiendo, &c. Sed tandem, mi Rocchi, nunquid sunt in rerum natura effectus plurimi, de quibus nescitur à qualibus causis & qualiter producantur? an eapropter negabitur illos produci? Finge itaque idem esse de accidentibus prædictis spiritualibus, de quibus, etsi nesciatur modus productionis eorum, nemo tamen nisi temere negabit ea produci: vel præsertim si attenditur ad falsitatem immanem ex illa non-productione consequentem. Quia enim Atomistæ idem indiscriminatim docent de omni motu intentionali rerum spiritualium, & de omni motu locali rerum corporearum, nempe quòd neuter importet productionem ullam; inde sequeretur nullo tempore ullam, aut ullibi fieri mutationem realem: quam consequentiam Palancus his verbis expressit. *Nulla ergo erit mutatio in Universo ..... si verum sit vestrum systema; sed omnia penitus immota & im-* Dial. 55. n. 516.

mutata semper manebunt. Ac tum his sequentibus illam qualificat dicendo, *Vide igitur in quantum fanatismum vos perducat vestrum systema.*

ROCCHIUS, Taceri hæc qualificatio potuit.

XXV. Exprobratur fanatismus sine ulla ratione. PHILALETHES. Taceri hæc qualificatio debuit: Etenim in Atomistis non video quicquam furoris illius superstitiosi & execrandi, quo furebant olim idololatræ sacerdotes, quum oracula redderent, & unde fanatici vocabantur. Sed neque puto Palancum, hominem unditionis tantæ ac pacis illud *fanatismi* vocabulum accepisse aliter, quàm in sensu castigato & mitigato ardoris philosophici mentem abripientis in aliquam opinionem præ alia. Quare laudo te, mi Rocchi, quòd hæc *fanatismi* exprobratio non te commoveat: te verò, mi Pazzi, rogo ut audias me patienter circa rem istam jam satis inter vos agitatam, in qua non possum tibi esse propitius. Itaque fatemur quotquot sumus Philosophi frequentissime fieri mutationes accidentales in omni substantia spirituali creata; & eas quidem reales, id est, ab intellectu nostro independẽtes, sicque nec mere objectivas, nec utcunque chimæricas. Hujusmodi mutationes sunt & fiunt quoties anima fit de novo aut intelligens, aut volens, aut temperans, aut fortis, aut sancta, aut peccatrix, &c. uti quoties transit ab istis sive actualibus, sive habitualibus dispositionibus ad oppositas.

XXVI. Per quid fiat mutatio in substantiis spiritualibus. Sed tum quæstio est per quid fiant istæ mutationes reales: quid de novo illi accidat, quid de novo illam afficiat & denominate possit mutatam, id est, intelligentem, volentem, temperantem, &c. vel è contra non-intelligentem, non-volentem, non-temperantem, &c. Id autem quod illi accidit, quidquid interim accidat, & quocunque modo accidat, esse nisi quid spirituale non potest: & tum quæstio rursus est, an illud spiritnale quod accidit, sit nova quædam res spiritualis, vel tantùm novus quidam modus, seu status spiritualis. Atomistæ igitur hanc secundam

opinionem propugnant, Aristotelici primam: quâ ruente alteram stare necesse est; ruit autem insugibiliter attendendo ad vim invictam discursûs præmissi. Etenim de illa re spirituali, quæ per hypothesim in anima fieret, proferri non potest ex quo fieret, cùm aliàs è nihilo non possit fieri; rursus si per hypothesim fieret, utique ab anima fieret, ad quam utique pertinet mutare se de non-intelligente in intelligentem, de non-volente in volentem, &c. sed quomodo ab anima fieret? An anima illam generaret, an anima illam crearet? an non hoc & illud est pariter impossibile?

Cæterùm Aristotelici contendunt rem illam spiritualem in anima fieri, quia nisi fieret, ut aiunt, anima non mutaretur intrinsece, qualiter putant illam mutari, quoties intelligendo, aut volendo, aut bene vel malè agendo mutatur. At talis mutatio intrinseca, si ad aliud refertur, quàm ad statum novum, sive modum novum intrinsecum essendi, plane falsa est: quis enim putet entitatem spiritualem atque simplicem animæ vel augeri, si quid de novo intelligit, vel minui, si quid intelligere desistit? Nisi quòd, si bene attenditur quæ & qualis sit constitutio intrinseca cujuslibet rei, nulla res intrinsece mutatur per adventum qualemcunque intimum, aut etiam penetrativum alterius rei: quare neque per accessum animæ penetrativum fit in corpore humano intrinseca ulla mutatio: corpus etenim per penetrationem illam nihil suæ corporeitatis acquirit; nihil illius deperdit: tantummodò passivum, ut anima quidem activum, animationis statum acquirit, sive modum, quem vocamus intrinsecum ad distinctionem ab aliis statibus, sive modis extrinsecis, per quos extrinsecam patitur mutationem. Vide, mi Pazzi, quomodò non discederem à tuo Aristotelismo, nisi tot & tam urgentes rationes sollicitarent me ad hunc discessum. XXVII. Nulla intercedit productio rei spiritualis.

PAZZIUS. Scio, Domine Philalethes, non posse XXVIII. Opponitur

alia ratio gravior. te sollicitari per rationes leves ad discedendum ab aliquâ opinione; sed fieri potest ut non satis attendas ad gravitatem illarum, quæ nos inclinant in opinionem, quam sequimur. Hæc autem gravitas in hoc maxime consistit, quòd anima tam esset intrinsece immutabilis, quàm Deus; si nulla mutationum, quibus illa subjacet, esset intrinseca. Et similiter tam esset mutabilis Deus, quàm anima, si animæ mutationes nihil præter novos status & novos essendi modos importarent: quia enim Deus non semper miseretur, non semper punit, non semper præmiatur, non semper creat, &c. novi status, & novi modi essendi erunt in Deo pariter distinguendi. Qua de re audiendus est Palancus, *Certe*, inquit, *si animam æquiparas cum Deo in eo, quod ipsa semper ipsamet, eademque intrinsece sit & nunquam intrinsece alia à se ipsa, sicut Deus; Deumque cum anima in eo, quòd alius sit quoad statum sicut anima; profecto vel miseram conditionem animæ humanæ, vi cujus nunquam in eodem statu permanet, attribuis Deo, vel altissimum Dei attributum, quo Deus idem ipse est semper & intrinsece immutatus, attribuis animæ humanæ. Quorum utrumque blasphemia est.* Vellem jam audire, Domine Philalethes, qua via declinares hanc adeò gravem instantiam.

Dialog. 77. n. 659.

XXIX. Hæc ratio fuit superiùs soluta. PHILALETHES. An non meministi, mi Pazzi, fuisse hanc instantiam, seu æquivalentem hoc mane solutam ac dissipatam à Rocchio exponente qualiter sit omnis substantia spiritualis creata & intrinsece mutabilis, & intrinsece immutabilis; sed si quid solutioni deest, & dissipationi quam aio, interroga illum & satisfaciet. Nosti non solere me vobiscum certare, sed de certaminibus vestris brevem sententiam ferre pro potestate, quam contulistis.

PAZZIUS. Nihil interrogo. Audiisti, mi Rocchi, blasphemiam, quam Palancus exprobrat utrique aut de im-

mutabilitate intrinseca animæ, aut de mutabilitate intrinseca Dei vitiosæ extremitati, in quam vos perducit vestra præventio adversùs productionem accidentium spiritualium. Tuum igitur est hanc blasphemiam ab hac vestra opinione amovere, si poteris.

ROCCHIUS. Oh quam misera esset, mi Pazzi, nisi vera esset, nostra opinio, quæ tot exprobrationibus à Palanco impetitur. Exprobrabat illi nuperrime fanatismum: accedit jam ad fanatismum blasphemia; modestiùs tamen ageret si non his superbis exprobrationibus nos cæderet immerentes; & ecce ut amovemus istam blasphemiam. *Deus in eodem statu intrinseco permanet semper; anima in eodem statu intrinseco nunquam permanet.* Estne hîc aliqua blasphemia? Annon sic satis salva est immutabilitas Dei? annon sic satis proclamatur mutabilitas animæ?

XXX. Exprobratur adhuc blasphemia sine ulla causa.

PAZZIUS. Ita plane, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Atqui, mi bone Pazzi, nihil hucusque adversùs accidentia vestra illa spiritualia dictum est, quod utcunque lædat veritatem propositionis utriusque illius Christianissimæ. Explico me.

PHILALETHES. At explica te paucis, oro, Domine mi Rocchi; instat enim tempus abeundi; & ut video, jamdiu à remigibus expectamur.

ROCCHIUS. Explico itaque me paucis. Per status intrinsecos intelligo status intelligendi & volendi & quoscunque alios ex his pendentes, qui de cætero intrinseci vocantur, quia pertinent ad intrinsecas facultates substantiæ spiritualis. Jam verò quis neget Deum esse semper in eodem statu intelligendi, & in eodem statu volendi: quandoquidem uno actu intelligendi ab æterno intelligit quidquid intelligit; & uno actu volendi ab æterno vult quidquid vult sine immutatione intelligentiæ, aut voluntatis apud se ulla. At anima modò intelligit, & modò non intelligit: modò vult & modò non vult, idque cum perpe-

XXXI. Quid sint status intrinseci rerum spiritualium

tua vicissitudine actuum habituumque incipientium, desinentium, renascentium, recidentium, nullaque tandem in re, nullo in tempore sibi constantium. Atque hic est sensus, in quo Deum esse immutabilissimum, animam verò esse mutabilissimam affirmamus; sed hæc affirmatio non obstat, quin hæc eadem anima perinde ac omnis substantia spiritualis creata sit intrinsece immutabilis, videlicet in sensu alio, in quo acciperetur mutatio intrinseca pro mutatione substantiali, cujus utique incapaces sunt omnes substantiæ spirituales, quia sunt simplices: sicque fruuntur, ut mane aiebam, immutabilitate quæ ad discrimen à Divina vocatur *accidentalis*, id est, *non essentialis*, & *participata*.

XXXII. Qualiter Deus admittat varietatem extrinsecam.

Cæterum, mi Pazzi, status ille intrinsecus unicus, simplicissimus atque invariabilissimus divinus nihil de sua intrinseca invariabilitate amittit, per hoc quòd varie terminatur ad creaturas, aut per hoc quòd creaturæ ad illum varie terminantur: atque in hoc sensu considerabiles sunt in Deo varii status, uti status Dei creantis, conservantis, præcipientis, concurrentis, miserentis, punientis, &c. item uti sunt status Dei cogniti, amati, adorati, formidati, rogati, &c. vel è contra incogniti, exosi, offensi, spreti, neglecti, &c.

XXXIII. Proponitur examen alicujus accidentis particularis.

PHILALETHES. Noli addere plura, mi Rocchi, res clara est: neque ultra esset de accidentibus spiritualibus disputandum, nisi nostræ consuetudinis esset nihil omnino definire de rebus ullis in genere sine prævio descensu ad aliquam earum speciem. Quem in modum, ut meministis, Domini mei, post agitatam generalem difficultatem de accidentibus materialibus in communi, selecta fuerunt quædam particularia, de quibus seorsim inter vos concertatum est. Igitur ad abundantiorem notitiam difficultatis hujus generalis ad accidentia spiritualia pertinentis desidero, ut inter vos fiat optio alicujus accidentis spiritualis, de quo specialiter disquiratur quid & quale sit, & qualiter

admitti debeat in hoc vel illo sensu productionis, in hoc vel illo sensu inhærentiæ, in hoc vel illo sensu destructionis, in hoc vel illo sensu operationis, &c. cohærenter ad hæc aut illa principia Philosophiæ Aristotelicæ, vel Atomisticæ. Quid arbitramini de re, quam propono?

ROCCHIUS. Digna res est Moderatore, qui nihil inconsulte molitur, & ita graditur pedetentim, ne quid temere decidatur; sed sit apud Pazzium nostrum optio accidentis, quod maluerit in nostram disputationem venire.

PAZZIUS. Absit ut arrogare mihi velim jus optionis; sed quia Palancus noster selegit hoc & alterum accidens gratiæ scilicet actualis & habitualis ad effectum Philosophiæ Atomisticæ profundiùs inhumandæ, pergratum habe, mi Rocchi, ut de hac utraque accidentali gratia disputemus.

ROCCHIUS. Pergratum habeo, mi Pazzi: hac tamen conditione, quòd nunquam defluemus in Theologiam, sed in philosophico illius margine consistemus. Agemus, ut agere solemus, Philosophos, suas Theologis relinquendo personas. Nolo in ulla justo intimioris disquisitionis pericula introire. XXXIV. Et admittitur cum conditione.

PHILALETHES. Non introibis, mi Rocchi: hæ sunt partes meæ: hanc contentionis moderationem curis meis tantùm relinquite, Domini mei.

PAZZIUS. Hanc relinquimus, Domine Philalethes. Itaque jam abeamus; sed nec hospite insalutato, nec inhausto uno alteroque vini poculo ad redintegrationem pulmonum.



DIALOGUS XVI.

QUAM MALE SENTIANT ARIStotelici de forma spirituali gratiæ actualis.

PERSONÆ COLLOQUENTES.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

I. Proluditur ad agendum de gratia actuali.

PHILALETHES. Illico ut revalui ab hemicrania, quæ me toto triduo afflixit, volui, Domini mei, vos esse monitos & rogatos de his pomeridianis horis apud me transigendis atque impendendis dissertationi, quam scio inter vos expressiùs condictam de forma spirituali gratiæ actualis.

PAZZIUS. Quin imo, Domine Philalethes, si me amabis, transferes rixam hujus dissertationis ad diem alteram, dum fortiùs revalueris ex dolore illo hemicranico, quem ego quoque his diebus persensi.

ROCCHIUS. Fuit igitur vitium insulæ, in quam nudiusquartus nos perduxisti, Domine mi Pazzi: illa mihi quoque aliquantulum hemicraniæ peperit. Sed Deo volente salvi sumus; & quia non decet Philosophos timor mali, quod præteriit, redituri, utamur atque fruamur amabili voluntate, quam offert Philalethes noster, audiendi hac ipsa die nostras contentiones circa gratiam actualem, cui ego quidem denego, tu verò tribuis notionem accidentis spiritualis physici Aristotelici. Ergo age, Domine Philalethes, & ut soles nostris hisce contentionibus modum ac seriem pone.

PHILALETHES.

PHILALETHES. Legi hoc mane Palancum à dialogo septuagesimo quinto usque ad octuagesimum primum, quo concludit suam dissertationem de formis accidentalibus. Itaque in his sex aut septem dialogis, mi Rocchi, vidi tuum illud opusculum, quod inscripsisti, *systema gratiæ*, prolixe narratum & refutatum cum animositate valde aperta: tuo equidem nomini parcit, neque tua esse monet verba, quæ ex te refert; sed nihilominus quia mihi nota est tua latinitas, accurata, & nitens, facilè intelligebam quidqnid calami tui erat in paginis pluribus atque integris. Cæterum id placuit, quia unum alterumque authorem simul legebam; sed displicuit quòd viderim multa perturbate relata, quæ referri voluissem seorsim, de gratia scilicet actuali & habituali. Hæc tuo in systemate cum grandi sollicitudine distinxisti: ille verò mire confudit: quare ad vitandum confusionis hujus vitium laudo quod decrevistis agere seorsim de istis generibus accidentium spiritualium, quæ sunt gratiæ divinæ aut habituales, aut actuales. II. Decernitur agendum esse seorsim de gratia actuali.

Tum suppono, Domini mei, vos pariter decrevisse de illis hìc tantùm agere gratiis, quæ intra supernaturalem ordinem continentur; quia licet sit una & eadem difficultas pro gratiis cæteris, quæ sunt ordinis naturalis; attamen tum ad nobilitatem contentionis, tum ad communiorem usum nominis *gratiarum* præstat gratias supernaturales assumere in exemplum. Tuum itaque sit, Domine mi Pazzi, eloqui clare ac distinctè quid Aristotelici Theologi sentiant de gratiis istis spiritualibus supernaturalibus quoad physicam ipsarum entitatem: & qualiter eas putent produci, distingui & inhærere suis subjectis analogice aut non analogice ad doctrinam generalem, quam sustinent de accidentibus Aristotelicis; & unde oporteat illas, aut non oporteat illas considerare ac propugnare ad instar formarum accidentalium materialium inhærentium suis III. Item hìc tantùm agetur de gratia supernaturali actuali.

ſubjectis modo illo, quem toties diximus, Ariſtotelico. Unde fiet hujuſmodi gratias, de quibus eſt ſermo, eſſe aut non eſſe accidentia phyſica Ariſtotelica, ordinis videlicet ſuperioris. Quid muſſitas, mi Pazzi? dic aperte.

IV. Opponitur accidentia gratiarum non poſſe dici *Ariſtotelica.*

PAZZIUS. Aperte dico fore, Domine Philalethes, ut excandeſceret Palancus, ſi adeſſet & audiret te interrogantem, an gratiæ ſupernaturales, de quibus ſermo eſt, ſint vel non ſint accidentia phyſica Ariſtotelica. Etenim neque Phyſica tractat de gratiis illis, neque de illis Ariſtoteles aliquando cogitavit quicquam: quare an accidentia ſint quæri poteſt; ſed an ſint accidentia phyſica, vel an ſint accidentia Ariſtotelica quæri aliter, quàm *impertinenter* non poteſt. Audite, Domini mei, Palancum, qui Atomiſtam ſuum negantem gratias illas eſſe *accidentia phyſica Ariſtotelica, qualia Peripatetici fingunt*, his verbis excipit, *jam ſupra te monui, quàm impertinenter hos terminos* phyſica & Ariſtotelica *introducuntur à Veſtris, ut examen veritatis perturbent & ad denominationes mere extraneas concertationem de rebus graviſſimis detorqueant.* Tum ſubjungit. *Id ſane magis in præſenti apparet: nam accidentia ſupernaturalia nec* phyſica *dici debent, quia ad Phyſicam non ſpectant; nec* Ariſtotelica, *ut de quibus Ariſtoteles minime diſputavit.* Quare deinceps, ſi me amabitis & Palancum, talia epithera ſilebuntur.

Dial. 75. n. 644.

V. Sic tamen vocanda illa ſunt, quæ ad mentem Ariſtotelis propugnantur.

PHILALETHES. Sed parcite tu & Palancus, ſi te aliter interrogare non potui, aut non credidi poſſe: novi enim anticipate Theologos Ariſtotelicos & Atomiſtas eſſe unanimes in affirmando gratias, de quibus hîc agitur, eſſe accidentia; ſed tum æque novi diſcordiam illorum pene infinitam in exponendo, quæ & qualia ſint hæc accidentia. Unde fit ut quærere à te debuerim, an hæc accidentia ſint inſtar illorum, pro quibus tum ad ordinem materialem, tum ad ordinem ſpiritualem generatim ſpectantibus hucuſque pugnaſti ad mentem Ariſtotelis, & quæ hinc *Ariſtotelica* meritò dicuntur. Quare igitur non

pariter *Aristotelica* diceremur hæc accidentia gratiarum, si ad mentem Aristotelis illa exponeres, seu analogice ad cæterorum expositionem Aristotelicam; sed quare rursus non dicerentur pariter *physica*, si sunt instar cæterorum, quæ apud vos quidem physica sunt, apud Atomistas autem physica non sunt, sed chimærica reputantur? Quid autem hoc est, quod audio Physicam non tractare de gratiis? an propterea non habebunt aut physicam entitatem, aut nullam? nam quidquid est, si vere est, determinatæ cujusdam naturæ ac realitatis est, & ideo physicum est: vel qui hoc negat, nescit idem esse *φύσιν* quod *naturam*. Quid hoc est? an in denominatione hac accidentium *physicorum Aristotelicorum* Aristotelici erubescunt?

ROCCHIUS. Erubescunt plane, aut sunt erubescentibus similes & verentibus ne quid prophanum ex nomine prophano contrahant accidentia, pro quibus hîc pugnant. Quare omnino mallet Palaneus accidentia hæc supernaturalia, qualia propugnat, vocari *Theologica* & *Sacra* & præsertim *Catholica*, quandoquidem sic etiam vocanda esse superiùs insinuabat accidentia illa materialia panis & vini Eucharistici manentia, ut ipse putat, post consecrationem, *Hac quidem non tam* accidentia Aristotelica, inquit, *dicenda sunt*, *quàm* accidentia catholica. Sed sicut ibi hoc à me non obtinuit pro accidentibus suis materialibus, ita neque hîc simile quid obtinebit pro ullis suis accidentibus spiritualibus; vel præsertim quia si ratio vetat in utrisque illis pariter realitatem ullam admittere, quomodo fides jubere poterit, ut in illis ulla id genus realitas admittatur, unde nominentur *catholica*? non in tantùm à fide contradicitur rationi. Sed tum, mi Pazzi, si accidentia supernaturalia gratiarum actualium nec physica, nec Aristotelica sunt, quid sunt?

VI. Vellet Adversarius quòd talia accidentia vocarentur *catholica*.

Dial. 68. n. 586.

PHILALETHES. Hoc ipsum eram, mi Pazzi, à te quæsiturus: nam nisi ab hac tua responsione fieri propositæ disputationis initium potest.

PAZZIUS. Itaque *contendo*, & hæc sunt verba ipsissima nostri Authoris tales gratias supernaturales actuales, quarum quidditas hîc requiritur, *esse accidentia realia, native insubsistentia, inhærentia animæ, ipsi realiter superaddita, ab eaque realiter distincta.*

Dial. 75. n. 644.

VII. Accidentia physica, & accidentia realia idem sunt.

ROCCHIUS. Bene omnino est, mi Pazzi; sed nunquid hoc ipsum responderes absque ullius iota, vel ullius apicis mutatione, si à te quæreretur quid sint quantitas, gravitas, color, figura, sapor, odor, &c. cujusvis corporis? Qualitates illas corporeas pariter responderes esse *accidentia realia, native insubsistentia, inhærentia corpori, ipsi realiter supperaddita, ab eoque realiter distincta*: neque de istis conquerereris, si physica & Aristotelica vocarentur. Miror igitur quòd conquerarıs de pari denominatione illis indulta. Cæterùm per accidentia *physica* tecum intelligo accidentia *realia*; & per accidentia *Aristotelica*, illa eadem intelligo, prout à vobis propugnata cohærenter ad opiniones vestras philosophicas Aristotelicas de accidentibus materialibus realibus, ut loquimini, native insubsistentibus, inhærentibus, supperadditis & distinctis: quod nescio displicere tibi qualiter possit.

VIII. Vocando talia accidentia *Aristotelica* consulitur brevitati sermonis.

PHILALETHES. Ego quoque non capio, mi Pazzi, quare accidentia illa supernaturalia, quorum omnem formam, quæ est inhæsionis, superadditionis & distinctionis realis sola Philosophia Aristotelica Theologis istis Aristotelicis inspiravit, vocari non debeant Aristotelica, vel hac saltem ex parte, quia si Aristoteles de his accidentibus supernaturalibus non cogitavit, nec enim res supernaturales noverat, ob id quod *divinus* non erat, ut Plato; attamen vobis in occasione fuit cogitandi de illis, nempe ad instar cæterorum naturalium, quæ, ut affirmatis, per sui vim ingenii adinvenit. Sed hæc sinamus, quæ ad nomen magis quàm ad rem attinent: facque jam ut audiamus, quibus rationibus probet Palancus gratias actuales

supernaturales esse accidentia *realia, native insubsistentia, inhærentia animæ, ipsi realiter superaddita, ab eaque realiter distincta.* Vide obiter quot voces superfluæ hic sunt: hoc totum perinde intellectum fuisset, si dixissem *accidentia Aristotelica*: quare patere ut hoc nomen usurpemus salvâ pace saltem interdum. Quæ sunt itaque rationes illæ vestri Scriptoris?

IX. Afferuntur simul quinque rationes pro realitate gratiæ stabilienda.

PAZZIUS. Palancus in dialogo suo septuagesimo quinto, cui titulum istum præfixit, *Dari accidentia spiritualia, præsertim supernaturalia & infusa, tanquam quid fide certum ostenditur*, affert unâ & continuâ serie rationes quinque gravissimas & communitas sacris authoritatibus. Synopsis autem earum hæc est. *Prima* est, quia gratia actualis supernaturalis, de qua sermo est, donum quoddam divinum est. *Secunda* est, quia talis gratia diffunditur in cordibus nostris. *Tertia* est, quia Deus per eam justificat & sanctificat impium. *Quarta* est, quia per eandem regeneramur in spem vivam & ex Deo renascimur. *Quinta* ultimò est, quia Concilium Tridentinum aperte ait talem regenerationem fieri per charitatem quæ inhæret, itemque per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ejus. Jam verò dicam quid illud sit, in quo singularum hujusmodi rationum vis invictiùs elucescit.

X. Ex omnibus seligitur prima pro materia hujus colloquii.

ROCCHIUS. Sed antè da veniam, mi Pazzi, ut dicam *primò* rationes illas nihil habere, quod egomet mihi non opposuerim, & non abunde solverim in meo systemate gratiæ. Imo, absit verbo invidia, meis in illis oppositionibus elucet grandior vis ac vehementia talium rationum, pro quibus ad summam difficultatem perducendis nihil neglexi, multiplicando authoritates atque instantias. Dicam *secundò* rationes, quas ex Palanco hîc affers, referri valde promiscue ad stabiliendam accidentalitatem Aristotelicam gratiæ tum habitualis, tum actualis: hîc autem præcise agitur de tali accidentalitate concedenda

vel deneganda gratiæ actuali. Quare cùm ad accidentalitatem Aristotelicam gratiæ actualis probandam non pertineat aliquatenus, ut vides, nisi quinque rationum illatum prima, hæc una sit hodierni examinis: cæterarum suo tempore fiet examen aliud.

PHILALETHES. Sic sane distinctiùs procedetur. Age igitur, mi Pazzi.

XI. Affertur & munitur prima illa ratio.

PAZZIUS. Probat itaque Scriptor noster accidentia gratiarum actualium supernaturalia realia *ex sacro textu, in quo frequenter reperitur*, inquit, *aliquid nobis donari à Deo, quod nomine doni vel donorum exprimitur, juxta illud, Omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum, & illud, Magna & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ, & illud, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut Filii Dei nominemur & simus.* Hæc sunt tria loca quæ affert ex innumeris, ac tum sic arguit.

XII. Accedit ratiocinium ad authoritates præmissas.

Non possunt hujusmodi verba sacri textûs re ipsa verificari, nisi sit aliquid reale in anima illi donatum à Deo, quod ipsa anima antè ex se non habebat, ut ex terminis ipsis patet. Atqui hoc debet esse aliquid reale distinctum realiter; tum à Deo ipso, quia donum distinguitur realiter à donante; tum ab ipsa anima, quia donum & datum alicui etiam realiter distinguitur à subjecto, cui donatur. Debet ergo esse aliquid reale realiter distinctum à Deo & ab ipsa anima, cui datur. Vides, mi Rocchi, vim ineluctabilem hujus syllogismi. Vide adhuc ineluctabiliorem vim enthymematis subsumpti. *Sed hoc*, inquit, *reale non est realiter substantia, nec aliquid substantiale, aut per se existens, ut etiam per se patet. Ergo est aliquid reale accidentale, non in Deo, sed in anima.* An non, mi Rocchi, tam firma, tam evidens demonstratio te convincit?

XIII. In quo

ROCCHIUS. Totum quod in hoc discursu affers, patet tibi ex terminis, totum tibi est ineluctabilissimum:

& evidens, mi bone Pazzi; atque ita in illo sine ulla oppositi formidine conquiescis. Oh te beatum! si tamen falsa præventio beatum efficit. Sed tum si vel ad unum instans tua præjudicia deposueris, videbis, illum se ipso labi ac ruere: nam illius tota vis quæ apud te est, pendet ex hoc quòd supponis nullam esse aliam realitatem, quàm quæ est aut substantiæ Aristotelicæ, aut accidentis Aristotelici. Sic itaque discurris. Omne quod datur, distinguitur realiter & ab illo qui dat & ab illo qui accipit: sed gratia supernaturalis actualis datur, scilicet homini à Deo: igitur & à Deo & ab homine distinguitur realiter.

consistat vis argumenti objecti

XIV.

Et hæc tota vis est in sola præventione Aristotelica.

Et sic quidem non male inferres, nisi hanc distinctionem realem in sensu Aristotelico male acciperes, & ideo subjungeres illud reale distinctum esse accidens, scilicet in sensu Aristotelico, quia videlicet in eodem illo sensu Aristotelico esse substantia non potest. Scias, mi Pazzi, nullam substantiam in sensu Aristotelico acceptam ullibi esse: scias nullum accidens in sensu Aristotelico acceptum ullibi esse: id saltem scias nobis ita persuasum esse, tibique persuaderi hactenus debuisse ob rationes, quas toties ad id persuadendum efficacissimas attuli. Quare noli, si sapis, tam superbe confidere in discursu præmisso vestri Scriptoris, in quo nihil affert præter gravissimam Aristotelicam præventionem. Valde aliter attendi debet illa notio doni præcellentissima, quam secum affert gratia supernaturalis actualis, de qua sermo est institutus.

PHILALETHES. An non, mi Rocchi, notio illa præcellentissima doni convenit etiam gratiæ habituali supernaturali? Quare igitur notionem illam hîc perpendis, quasi magis propriam gratiæ alteri actuali?

XV.

Gratia habitualis perinde donum divinum est.

ROCCHIUS. Imo verò, Domine Philalethes, donum gratiæ habitualis adhuc majus est dono gratiæ actualis; sed quia ex illis quinque rationibus, quas Pazzius ex Palanco nuperrime afferebat ad stabiliendam accidenta

litatem Aristotelicam gratiarum, unica erat, scilicet prima, desumpta ex notione doni, quæ aliquatenus referretur ad gratiam actualem, ideo mihi visum est hanc doni notionem in examen hodiernum adducere; sed eo fine ut patis utilitatis futurum sit ad rejiciendam pariter accidentalitatem Aristotelicam à gratia habituali, si fortè quis isti etiam gratiæ vellet talem accidentalitatem adscribere sub pretextu simili, nempe quòd sit donum divinum homini præbitum. Itaque jam, Domini mei, audite nonnulla, imo non pauca quæ mihi tum generatim, tum particulatim dicenda sunt de præfata notione doni: namque per hæc confido tam clare à vobis, quàm à me visum iri vanitatem argumenti Aristotelici, de quo jàm agitur.

XVI. Potest aliquid dari & non distingui à subjecto, cui datur.

Et *primò* quidem generatim falsum est nihil posse dari, quod non sit realiter distinctum & ab eo qui dat, & ab eo qui recipit: siquidem perfectiones quotquot sunt cujusvis rei creatæ, an non illi à Deo donatæ sunt? nec tamen eapropter ab illa realiter distinguntur. Sic nemo negabit intelligentiam, voluntatem, memoriam, libertatem, immortalitatem, agilitatem, & cæteras Angeli perfectiones esse dona divina. Dona etiam divina sunt omnes illius virtutes & virtutum operationes: neque tamen istæ perfectiones, istæ virtutes, istæ operationes angelicæ ab Angelo realiter distinguntur: aliàs enim Angelus esset realiter compositissimus, nihilque omnino haberet simplicitatis, quia nihil in eo esset unum virtualiter multiplex: in qua unitate virtualiter multiplici consistit vera simplicitas. Sed neque hoc rebus spiritualibus proprium est habere suas perfectiones à Deo acceptas & nihilominus secum identificatas. Nàm hoc pariter rebus materialibus convenit; ita quòd nec una sit atomus, quæ multis perfectionibus à Deo acceptis, & secum realiter identificatis non gaudeat. Etenim an non accepit à Deo quòd sit indivisibilis, quòd sit mobilis, quòd sit locabilis, quòd sit unibilis, &c. Quæ perfectiones

perfectiones cùm materiales sint, si realiter ab illa differrent, essent in ea res totidem materiales, quæ componerent atomum; atomus autem ex vi suæ notionis est incomposita

Secundò non pauciora sunt dona in ordine spirituali, quàm in ordine corporali; utrisque autem quomodo conveniet una notio distinctionis pariter realis inter ipsa & personas dantes aut accipientes? Etenim ut in ordine corporali dantur pecuniæ, vestes, arma, domicilia, alimenta, &c. ita in ordine spirituali dantur promissa, præcepta, consilia, monita, documenta, &c. Quis autem dixerit dona ista tam realiter, quàm illa distingui à personis, quæ donant & quæ recipiunt? Certe pereuntibus his personis manent subsistuntque realiter pecuniæ, vestes, arma, &c. sed nemo dixerit promissa, præcepta, consilia, &c. manere pariter atque subsistere. Unde fit notionem doni spiritualis esse à notione doni corporalis valde diversam: & eapropter ex generica notione doni non posse quidquam legitime inferri pro distinctione reali donorum spiritualium, cujusmodi sunt gratiæ actuales supernaturales, quarum vera entitas hîc inquiritur.

XVII. Dona spiritualia non sunt distincta à dantibus & accipientibus.

Tertiò quia gratiæ actuales, de quibus hîc agitur, sunt dona quæ à Deo fiunt creaturæ spirituali, cujus omnes operationes referuntur ad id, quod est intelligere & velle: clarum est dona illa esse hujusmodi, quæ adjuvant, perficiunt, elevant illam characteristicam ipsius capacitatem, quæ est intelligendi & volendi: nam quæcunque alia dona quæ non essent hujusmodi, non convenirent illi, ut patet. Hinc infero dona gratiarum actualium, quas hîc examinamus, redigi omnia ex parte Dei ad actionem, qua Deus creaturam spiritualem illuminat manifestando illi verum atque bonum conveniens; ex parte autem creaturæ hujus spiritualis redigi pariter omnia ad passionem, seu receptionem præmissæ illuminationis, per quam addiscit quale quantumque sit verum ac bonum sibi conveniens.

XVIII. Dona omnia spiritualia referuntur ad vim intelligendi & volendi.

XIX. Ad quid redu.i debeat præsens difficultas.

Item infero difficultatem omnem, quæ hîc pro admittenda vel rejicienda omnino accidentalitate Aristotelica gratiarum actualium agitatur, reduci prorsus ad hoc ut sciatur *primò* quid rei physicæ sit Deum illuminare sic, vel sic creaturam spiritualem; ac tum ut sciatur *secundò* quid rei physicæ sit creaturam spiritualem sic, vel sic illuminari: ex hoc enim utroque semel ac bene cõprehenso cõsequẽtur gratias actuales esse, aut non esse accidentia Arist. sive Aristotelico more accipienda, qualia propugnat Palancus.

XX. Dona propria creaturæ intelligẽti sunt illa quæ augent intelligentiam.

PHILALETHES. Supponis, ut video, Domine Rocchi, lectum à nobis fuisse, nec in oblivionem abiisse tuum systema gratiæ: alioqui non ita festinanter ac per saltum ires ad remotissimas consequentias proximioribus prætermissis. Ego itaque tecum intelligo creaturæ intelligenti non alia convenire dona, quàm quæ illius intelligentiam juvent, augeant, excitent, attollant, firment, &c. & hæc proinde dona lumina quædam esse, quæ ubi agitur de gratiis divinis actualibus supernaturalibus, divina & supernaturalia sunt, & de quibus præsertim accipi debeat quod legitur in epistola catholica S. Jacobi Apostoli, *Omne datum optimum & omne donum perfectum desursum est, descendens à Patre luminum.* Hoc igitur pacto gratia supernaturalis actualis, de cujus accidentalitate aut non-accidentalitate Aristotelica sermo est, aliud nihil est, quàm supernaturale aliquod actuale lumen divinum, scilicet communicatum à Deo animæ. Et ita rursus tecum intelligo nihil hîc aliud disquiri debere ad solutionem quæstionis institutæ, nisi quid rei physicæ sit lumen illud divinum, quatenus à Deo est, & illud ipsum lumen divinum prout in anima est. Atque hæc est, nisi fallor, mi Rocchi, mens tua circa statum quæstionis præsentis.

c. 1 17.

ROCCHIUS. Hæc omnino est: sed frustra promoveretur præsens quæstio, nisi nobiscum veniret Pazzius in eundem amplexum status propositi: quare ultra non ibo, mi Pazzi, donec tu quoque aperueris mentem tuam de

statu quæstionis hujus proposito.

PAZZIUS. Amplector illum, quem proponis, mi Rocchi. Etenim licet sacræ paginæ & earum interpretes gratiam divinam nobis repræsentent sub diversis proprietatibus, uti & soni quo excitamur, & odoris quo pertrahimur, & vestimenti quo operimur, & thesauri quo ditamur, & laticis quo abluimur, & clypei quo munimur, & muri quo cingimur, & cibi quo alimur, ut omittam cæteras pene innumerabiles; attamen illa quæ est luminis, per quod nostra intelligentia illustratur, frequentiùs usurpatur: atque hinc conjici potest major illius convenientia. Quapropter annuo, ut jam inter nos contendatur de gratia divina actuali sub notione illius divini luminis, quo à Deo ita providente anima illustratur in ordine ad operationes supernaturales: ac præsertim quidem sic annuo, quia Palancus non renuit, imo libenter utitur hac notione vobis familiarissima, ut ex ea occasionem accipiat oportuniorem redigendi vos ad necessitatem concedendi gratiam actualem esse accidens vere à Deo creatum ac vere inhærens animæ. XXI. Convenitur de statu propositæ quæstionis præsentis.

ROCCHIUS. Si necesse fuerit id concedere, habemus, mi Pazzi, cor docile: concedemus. Agedum. XXII.

PAZZIUS. Agam & afferam verba ipsa nostri Scriptoris; cui post multa efficacissima ratiocinia placuit, ut ait, *addere argumentum D. Thomæ in majorem confirmationem, præsertim quia nomine lucis, seu illuminationis gratiam nuncupat, quo vos ipsi gratiam tam actualem, quàm habitualem significatis, in eoque vim facitis.* Argumentum autem D. Thomæ est hujusmodi. *Lux ponit aliquid in illuminato; sed gratia est quadam lux animæ: unde Augustinus dicit in libro de natura & gratia: Prævaricatorem legis divinæ lux deserit veritatis, qua desertus utique fit cæcus:* unde concludit S. Doctor, *Ergo gratia ponit aliquid in anima.* Hoc autem aliquid cùm substantia esse non possit, Affertur argumentum D. Thomæ. *Dial. 78. n. 664.*

quid supereſt, niſi ut ſit accidens, quale propugnamus?

XXIII. Tale accidẽs eſſet inutile ad animam illuminandã

Rocchius. Dic potius, Domine Pazzi, *Quid ſupereſt niſi ut ſit accidens Ariſtotelicum?* An Ariſtotelem erubeſcis? Sed ſi tam nullibi eſt accidens ullum Ariſtotelicum, quàm nullibi eſt Ariſtotelica ulla ſubſtantia, uti neutrum revera ullibi reperitur, ecce illud aliquid, quod gratia ponit in anima, tam in ſenſu Ariſtotelico non erit accidens, quàm non poſſit eſſe ſubſtantia, ut fateris. Cæterùm illud, quod gratia ponit in anima, ſi præter accidens Ariſtotelicum nihil eſt, quid eſt niſi ens non solùm exiliſſimæ entitatis, ſed etiam licet ſpirituale ſupponatur, expers omnis rationis ac cognitionis, ideoque omnis activitatis ſufficientis ad animam, ut par eſt, illuminandam in ordine ad qualeſcumque actus ſupernaturales intellectus, aut voluntatis. Igitur id quod gratia ponit in anima, ſi nihil niſi tale accidens Ariſtotelicum eſſet, lumen animæ non eſſet. Nam quid eſt, ſi placet, animam illuminari, niſi edoceri, moneri, ſuaderi omninoque inſtrui de rebus ab ipſa faciendis circa fidem, circa ſpem, circa charitatem divinam, & generatim circa omnes neceſſarios chriſtianæ pietatis uſus ac mores? Si autem ita eſt, planum eſt hæc munera docendi, monendi, ſuadendi & inſtruendi de tot rebus agendis non poſſe ad tale accidens Ariſtotelicum, quod plane cæcum ac mutum eſt, pertinere. Igitur gratia actualis non eſt tale accidens cæcum ac mutum.

XXIV. Proponuntur duæ difficultates præſertim ſolvendæ.

Philalethes. Suſtine pauliſper, Domine Rocchi. Ecce loquela tua manifeſtum te facit: video in his paucis verbis compendium ſyſtematis tui de gratia, qua parte ſcilicet attingit gratiam actualem: ſicque fere in memoriam revocas quidquid tuo illo in opuſculo ais ad amovendam ab ea notionem talis accidentis Ariſtotelici cæci ac muti. Quare timeo ne in prolixitatem nimiam diffluas invitante te ardore tuo ad diſcurſum pauca omiſſurum ex omnibus, quæ habet tuum illud ſyſtema. Res eſt in qua plerique Authores peccant: nunquam tacent quod

scripserint; nec rarò accidit, ut in secundo libro quem edunt, fere nihil sit præter primum quem repetunt sub vocibus non iisdem. Nolo te, ut cæteros, peccare; quare author sum, ut quasi oblitus tui operis illius breviter satisfacias mihi & Pazzio circa duas difficultates sequentes mox proponendas, ex quarum solutione, ut conjicio, pendet veritas, aut falsitas opinionis militantis pro accidentalitate Aristotelica gratiæ actualis.

Prima est. An Deus per se solitarie atque immediate possit animam instruere, commonere, hortari, sicque illam prævenire, excitare, vocare, impellere, adjuvare, elevare ad cognitionem & prosecutionem boni supernaturalis. Quo pacto Deus per se solum compleret in anima omnes effectus tribui solitos gratiis actualibus productis: sicque per se solum esset lux in anima lucens, lux illuminans mentem, lux accendens voluntatem. Et uno verbo sic per se solum esset in anima totum id, quod Aristotelici Theologi referunt ad quoddam conjunctum ex Deo & gratiis illis actualibus productis & veluti advocatis in subsidium pro ministeriis supernaturalibus præmissis instruendi, commonendi, hortandi, atque ita præveniendi, excitandi, vocandi, impellendi, &c.

XXV. An Deus possit per se immediate illuminare animam?

Secunda est. An Deus ad id genus ministeria supernaturalis ordinis peragenda possit convenienter, aut etiam sufficienter uti talibus entitatibus accidentalibus, scilicet vere productis & vere inhærentibus animæ, quales Aristotelici vulgò cogitant esse gratias actuales, dum illas cogitant esse suo in ordine spirituali & supernaturali similes accidentalibus illis naturalibus ac materialibus formis, pro quibus tandiu tamque acriter præliantur. Neque jam dubito, Domini mei, quin advertatis hæc esse vera duo puncta polaria totius hìc agitandæ contentionis.

XXVI. An Deus possit uti accidente creato ad animam illuminandam?

ROCCHIUS. Hæc utique duo sunt & unica sunt: nec cogitari distinctius quicquam potest. Has itaque, Do-

XXVII. Paratur responsio ad utramque difficultaté.

mine Philalethes, assumo mihi partes probandi *primò* Deum per se unum posse in anima efficere quidquid à Theologis Aristotelicis tribuitur ministerio gratiæ actualis productæ: ac *secundò* per hujusmodi gratiam productam nihil ex his omnibus, quæ sic illius ministerio tribuuntur, effici à Deo in anima posse. Hoc utrumque si probavero, mi Pazzi, an non mihi es concessurus te tuosque Aristotelicos errare circa physicam quidditatem gratiæ actualis, de qua est sermo?

PAZZIUS. Imple tuas partes, mi Rocchi: para rationes tuas: assensum meum, si meruerint, obtinebunt; fac tantùm ut plus ponderis habeant, quàm quæ solent à vestris Atomistis proferri; illis enim plerumque inest aliquid ejus levitatis, quæ innata est atomis.

XXVIII. Deus utitur variis causis ad varios effectus naturales.

ROCCHIUS. Sic per jocos sæpe itur ad seria, mi Pazzi: libra igitur jam seriò pondus rationum sequentium. Novimus omnes Deum uti causis secundis ad omnes materiales ordinis naturalis effectus: quem in modum utitur Sole ad illustrationem aëris, vento ad commotionem maris, imbribus ad irrigationem telluris, seminibus ad generationes frugum, frugibus ad vitam animalium, &c. sicque universi ac singuli corporales effectus pendent à suis corporalibus causis, quas Deus ubi & qualiter & quoties vult, providet adhiberi atque applicari. Sed tum si ab isto solito & naturali modo quo res fiunt, transferatur consideratio ad insolitum & supernaturalem juxta quem requiratur, an aliter possint fieri, deprehendetur posse divinitus & aërem sine Sole illustrari, & mare sine vento commoveri, & tellurem sine imbribus irrigari, & fruges sine seminibus nasci, & animalia sine frugibus ali, &c. ob id scilicet, quòd Deus ad quemcunque intelligibilem effectum producendum non indigeat subsidio creaturæ ullius particularis: vel præsertim quia si quid in creatura est potestatis, aut industriæ ad talem effectum, id consecuta

est à Deo, in quo proinde abundat omnis illa potestas atque industria.

Sicque tandem Deus in ordine materialium effectuum potest per se solum præstare id totum, quod solet per causas ipsi ad talia ministeria servientes, & quarum eapropter concursu non ex ulla necessitate absoluta, sed ex dispositione arbitraria utitur. Transeamus hinc ad ordinem naturalem effectuum spiritualium & deprehendemus haud dubie Deum in ordine isto non esse minùs, quàm in illo potentem atque industrium; ita quòd si Deus non eget adminiculo causæ ullius corporalis ad corporalem effectum quemlibet, poterit perinde sine ope ac concursu cujusvis causæ spiritualis effectum spiritualem producere, qualemcunque voluerit. Itaque in hunc modum potest Deus sine magisterio Angeli ullius aut hominis communicare animæ meæ omne genus cognitionis ac propensionis spiritualis, efficiendo ut apprehendat qualecunque verum & appetat qualecunque bonum naturalis hujus ejusdem ordinis: si autem id potest absque magisterio ullius creaturæ intelligentis, quantò magis id poterit sine ministerio creaturæ cujusvis intelligentiam nullam habentis, cujusmodi esset accidens quodcunque spirituale Aristotelicum? XXIX. Sed potest per se supplere defectum causarum naturalium.

Atque ut clariùs ad rem meam loquar, si potest Deus sine recursu ad ullum corpus extraneum communicare corpori meo qualemcunque motum corporalem, uti eundi, redeundi, circumeundi, saltandi, trahendi, repellendi, &c. potest pariter absque refugio ad extraneum ullum spiritum efficere meo in spiritu omnem motum spiritualem, seu intentionalem, intelligendi, ac volendi, sive quod idem est, credendi, sperandi, amandi, timendi, gaudendi, &c. Unde clarum est necessarium non esse accidens ullum spirituale ordinis naturalis Aristotelicum, per quod efficiat Deus me scire, credere, amare, &c. quidquid in XXX. Idem potest Deus in ordine naturali rerum spiritualium.

hoc ipso naturali rerum spiritualium ordine sciri à me, credi, amari, &c. pro arbitrio suo providerit. Ac tandem si ab isto rerum sive operationum spiritualium ordine ad earum ordinem supernaturalem conscenditur, erit evidens perinde quòd Deus nulla necessitate teneatur adhibendi creaturam ullam spiritualem intelligentem, multoque minus spiritualem ullam non-intelligentem (si quæ posset esse hujusmodi) ad efficiendas in anima qualescunque operationes supernaturales, cujusmodi sunt apprehensiones veri cujusvis supernaturalis, & appetitiones omnis supernaturalis boni.

XXXI. *Idem æque verificatur in ordine operationum supernaturalium.*

Et in hunc modum Deus non egebit ullo accidente spirituali & supernaturali, & non-intelligente, quale Aristotelici fingunt, pro apprehensionibus & appetitionibus præmissis in anima efficiendis. Præsertim verò quia si supponimus animam supernaturaliter illuminari, scilicet admittendo lumen, quod omnis luminis naturalis vim omnem superat, concipimus illam per hoc unum sufficienter elevari & habilitari ad præmissas operationes. Quare tota difficultas ad hoc redigitur, ut sciatur an Deus per se solum illuminare hoc supernaturali modo animam possit: ad hoc autem redacta illico solvitur attendendo Deum per se esse eminentissime totum id, quod esse posset res ab illo producta & destinata ad efficiendam productionem operationum, de quibus sermo est. Etenim si res illa supponeretur habere vim luminis supernaturalis, nunquid illam vim haberet à Deo, & ideo nunquid posset Deus per se solum communicare animæ illud ipsum lumen, quod illi per talis rei productæ mediationem communicaret? Hoc autem si potest ita fieri, dico audacter ita fieri, ne quid fiat superflue: atque in hoc sensu accipio verba hæc aurea S. Augustini. *Deus itaque*, inquit, *per se ipsum, quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea quæ divina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant.* Pergit S. Doctor dicendo, *Sed si.......*

Con. 18. in psal. 118.

PHILALETHES

PHILALETHES. Sed si, Domine Rocchi, tua illa pernicitate ac perennitate loquendi nullum das locum interlocutionibus nostris, non jam te collocutorem, sed concionatorem habebimus. Quare abrumpo sermonis tui filum & aio mihi quidem videri propter tot rationes à te adductas computandam inter res possibiles illuminationem illam supernaturalem divinam immediatam, per quam scilicet anima erigatur ad objecta supernaturalia credenda, desideranda, speranda, &c. Sed eapropter non sequitur Deum sic illam per se & immediate illuminare, si ad eum effectum uti fortè poterit tali accidente spirituali & supernaturali, quale Aristotelici cogitant, & quod *lumen supernaturale* vocant.

XXXII. Deus non facit per se multa, quæ per se posset facere, si vellet.

Potuit Deus aërem illustrare sine Sole; ad illum tamen illustrandum uti voluit Sole. Capis me, mi Rocchi: & ideo tibi, ut supra monui, hoc alterum adhuc incumbit probandum, videlicet Deum tali lumine supernaturali, quod suponeretur produci & animæ communicari, uti non posse ad eam, ut par est, illuminandam pro obtinendis ab ea operationibus supernaturalibus jam præmissis credendi, desiderandi, sperandi, &c. Transi jam itaque ad hoc alterum, si placet.

XXXIII. Et ideo præmissa ratiocinia non satis probant intentum.

ROCCHIUS. Bene memineram hujus alterius puncti à me probandi; & cum summa quidem facilitate probabitur in hunc modum.

PAZZIUS. Ego verò, mi Rocchi, oro ut ad probationem puncti hujus posterioris non transeas, donec acquievero probationi prioris. Obstat autem ne acquiescam æquivocatio, qua totus ille tuus discursus laborat: & quæ in hoc est posita, quòd perpetuò confundis causam efficientem cum formali, sicut Atomistis passim in usu est per ruditatem, quam Palancus vocat intolerabilem: *hæc est*, inquit, *ruditas intolerabilis, confundens causam formalem cum causa efficienti.* Loquar itaque pro

XXXIV. Opponitur multiplex æquivocatio in ratiociniis præmissis.

Dialog. 79. n. 674.

jure meo: & dicam esse quidem Aristotelicos omnes in hoc concordes, quòd omnino non egeat Deus consortio causæ ullius efficientis ad effectum qualemcunque illius: quidquid enim potest cum illa, perinde potest absque illa: & ideo potest efficienter aërem sine Sole illuminare, mare sine vento commovere, terram sine pluvia irrigare, &c. Sed tum formaliter non potest aut aërem illuminare, aut mare commovere, aut terram irrigare, &c. quia esse per se talis illuminatio, talis commotio, talis irrigatio non potest: sicque necesse est, ut præter omnem efficientiam divinam concipiatur aliquid formale, per quod aër illuminatur, mare commovetur, terra irrigatur, &c.

XXXV. Qualiter Deus non possit omnino supplere causas formales.

Et hoc quidem æque verificatur pro rebus spiritualibus & naturalis & supernaturalis ordinis, pro quibus scilicet quamvis non egeat Deus causa efficiente externa ad animam de rebus credendis, aut sperandis, aut amandis, &c. erudiendam, atque ita efficiendam credentem, sperantem, amantem, &c. non potest tamen esse in ea ratio, seu causa illa formalis credendi, quam vocamus *fidem*; aut causa illa formalis sperandi, quam vocamus *spem*; aut causa illa formalis amandi, quam vocamus *charitatem*, &c. Sicque generatim homo non potest formaliter constitui credens nisi per fidem, aut sperans nisi per spem, aut amans nisi per charitatem, & similiter aut prudens nisi per prudentiam, aut justus nisi per justitiam, aut tandem gratus nisi per gratiam. Vos Atomistæ, mi Rocchi, causas istas efficientes & formales non distinguitis, & ideo passim erratis.

XXXVI. Atomistæ bene distinguunt causas efficientes à formalibus.

ROCCHIUS. Imo potius, mi bone Pazzi, nos istas causas distinguimus & vos illas confunditis; dum affirmamus efficientes ad Physicam, formales ad Metaphysicam attinere; & ideo illas esse reales realiumque effectuum productrices, istas verò esse mere intentionales,

nec effectuum nisi mere intentionalium productrices. Sed vos, ut aiebam, illas confunditis, dum utrisque tribuitis efficientiam peræque realem ac physicam, & ideo parem in utrisque per fas ac nefas admittitis realem ac physicam entitatem. Hoc est, mi Pazzi, chaos vestrum irremeabile: te tamen remeaturum confido, si me patienter audieris.

PHILALETHES. Sed si loqui ceperis, Domine Rocchi, ad elucidationem rei tam confusæ, timeo ne fiat solutio cœtus hodierni, antequam liberes datam fidem probandi Deum non posse uti supernaturalibus illis accidentibus Aristotelicis, de quibus sermo est, ad efficiendas in nobis operationes supernaturales, de quibus pariter sermo est, credendi, sperandi, amandi, &c. Quare antè, si placet, libera hanc fidem: ac tum si per tempus licuerit, elucidabis chaos illud causarum; si minùs; res in alium dialogum transferetur.

PAZZIUS. Posset pariter in sequentem dialogum transferri liberatio datæ fidei; sed non interest: age, mi Rocchi, ad voluntatem Domini Philalethis.

ROCCHIUS. Agam ad voluntatem illius; sed & simul obsequar tuæ, Domine Pazzi; quatenus ratio afferenda circa difficultatem alteram, quam proposuit, erit occasio solutioni ejus, quæ à te ultimò jam opponitur. Hanc adinveni viam, qua simul utrique vestrûm faciam satis, Domini mei. Audite igitur & mecum attendite ad effectus gratiæ hujus actualis in anima mire varios; sed qui fere rediguntur omnes ad hoc, quòd anima eminentissimo quodam ac vividissimo supernaturali modo erudiatur de rebus ad salutem spectantibus, atque ita de rebus ab ipsa faciendis, credendis, sperandis, diligendis, tolerandis, &c. Dum autem ita eruditur, hac eruditione simul movetur, excitatur, impellitur, urgetur, sollicitatur ad res illas sic faciendas, sic credendas, sic sperandas, &c. Accedunt præcepta, prohibitiones, consilia, monita,

XXXVII. Qualiter anima debeat erudiri ad rectè operandum in via salutis.

exempla, promissa, blanditiæ, comminationes; & uno verbo innumerabiles aliæ sive suasiones ad bonum, sive dissuasiones à malo, quas anima vel humiliter admittit vel superbe respuit pro arbitrio.

XXXVIII. Deus ad talem eruditionem non potest uti creatura non-intelligente.

Jam verò in hoc totus sum, ut affirmem non posse uti Deū ad animam de rebus illis erudiendam, multòque minùs ad obtinendam ab anima obedientiam, qua tali eruditioni confidenter & constanter respondeat, non posse, inquam, uti Deum creatura non-intelligente, licet aliàs spiritualis & supernaturalis ordinis fingeretur; etenim, ut satis patet, totum id quod est erudire, præcipere, prohibere, consulere, &c. opus est intelligentiæ. Sed præterea ut vobis clariùs pateat, Domini mei, quàm inhabilis esset ad præmissos effectus supernaturales creatura non-intelligens, redeo ad authoritatem, quā supra referre ceperam Augustini affirmantis Deū effectus illos producere per illuminationem suam immediatam, & insufficientem fore ad illos illuminationem angelicam. Et hæc sunt verba S. Doctoris. *Deus itaque per se ipsum quia lux est, illuminat pias mentes, ut ea quæ divina dicuntur, vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mentem hominis, ut capiat lucem Dei, & per hanc intelligat; sed ita dicitur intellectum dare homini & quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit, cum eam sua luce non penetret & illustret, sed tantummodò aditum, quo penetretur atque illustretur, aperiat, &c*

Hom. 18. in psalm. 118.

XXXIX. Imo neque intelligente, nisi ad animam præparandam: & hæc est mens S. Augustini.

Ex quibus verbis manifestum est animam disponi tantùm posse per illuminationem angelicam, ad illuminationem illam divinam & immediatam & supernaturalem, sine qua nihil unquam supernaturaliter operaretur: cùm ita operari non possit sine lumine, quod superet omne lumen creatum: & illud lumen divinum est. Pergit S. Doctor

de isto lumine sic loqui, & de Angelo, qui tantùm adjuvare nos possit ad admissionem luminis illius. *Deus autem,* inquit, *& hominis mentem rationabilem atque intellectualem fecit, quæ posset capere lumen ejus, & Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid, unde ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana: & eandem sic adjuvat mentem, ut angelicam recipiat operationem: & eam sic illuminat de se ipso, ut non solùm illa, quæ à veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem.* Sicque satis superque jam advertitis, Domini mei, non posse accidens illud Aristotelicum, quod *gratiam actualem* vocant, venire in usus divinos pro illuminanda supernaturaliter anima in rebus spectantibus ad salutem. Ecce si non potest ita illuminari par Angelum, quantumvis intelligentem ac eloquentem, quomodo id posset fieri per ministerium accidentis cæci ac muti?

PHILALETHES. Noli, Domine mi, quæso, noli te committere fusiori sermoni: etenim mihi perinde ac tibi jam videtur non esse idoneum & sufficiens ministerium accidentis prædicti non-intelligentis Aristotelici ad communicandas animæ prædictas supernaturales illuminationes, quæ sunt præcipiendi, prohibendi, consulendi, monendi, &c. quando nec Angelus ad illas in anima efficiendas esse potest minister idoneus & sufficiens. Itaque hanc veritatem habeo pro demonstrata. XL. Admittitur insufficientia accidentis producti ad illuminandam animam.

PAZZIUS. Mihi verò valde suspecta est; quia præsens discursus, quem ad illam stabiliendam affert Rocchius, laborat eadem æquivocatione, quam mox redarguebam in præcedente. Cæterùm scias, Domine Philalethes, Rocchium hoc ipso discursu olim usum fuisse in suo systemate gratiæ; illum ibi legit Palancus, hîc autem refert, scilicet in dialogo suo septuagesimo non , atque deridet. Si annuis, afferam verba ipsa & argumenti & responsi, ut intelligas quàm suspecta tibi quoque debeat esse

se veritas, quàm salvâ pace incaute habuisti pro demonstrata.

PHILALETHES. Audiam te libenter, mi Pazzi; sed si placet rem habebis totam cum Rocchio, ad quem pertinet tueri valorem sui discursus.

XLI. Refertur argumentū, cui deinde respondebitur.

PAZZIUS. Ad te igitur me verto, Domine Rocchi, & rogo ut advertas an Atomista collocutor noster tuum discursum satis accurate retulerit. *In primis occurrit*, inquit, *quòd saltem gratia actualis non potest consistere in illa entitatula, quam fingitis: siquidem illa incapax est producendi effectus gratia actualis. Gratia enim actualis excitat mentem, allicit præmiis, terret minis, docet, dirigit, &c. Hos autem effectus operari nequit illa entitatula, quia illa, si qua est, expers est intellectûs: sine intellectione autem quomodo terrere, suadere, allicere, docere, dirigere poterit?* Jam quæro, Domine Rocchi, an sub his verbis mentem tuam agnoscas.

ROCCHIUS. Agnosco, mi Pazzi; sed quid respondet Palancus?

Dial. 79. n. 674.

PAZZIUS. Sic respondet. *O quanta patientia opus est ad hæc & alia similia à vobis audienda!*

ROCCHIUS. Novus hic est respondendi modus philosophicus per exclamationes.

XLII. Affertur & laudatur responsio, licet injuria.

PAZZIUS. At hæc exclamatio, mi Rocchi, non est nisi responsionis initium: quare sic pergo. *Gratia actualis, quam Deus efficit in anima, non producit, non operatur effectus formales ipsius: nulla enim causa formalis producit, aut operatur suum effectum formalem:* & addit, *Hæc est ruditas intolerabilis confundens causam formalem cum efficienti.*

ROCCHIUS. Bene est, mi Pazzi: Palancus tuus pro responsione suæ exclamationi addit injuriam. Sed si vestra illa causa formalis non operatur, non producit suum effectum formalem, ut ais, quid operatur, quid produ-

cit nec operatur, producet aut operabitur alienum? Et rursus si causa illa effectum suum formalem non producit, cur vocas *suum*: & suus est & suus non est: hîc luce opus est.

XLIII. Exponitur adhuc magis præcedens hæc responsio.

PAZZIUS. Lucem illam habes in his verbis sequentibus. *Gratia actualis existens in anima, si sumatur pro actu animæ & non pro principio, est ipsa formalis excitatio mentis, attractio, & allectio, & timor, vel terror, ipsa doctrina & directio, qua mens formaliter constituitur directa, docta, territa, aut timens, allecta aut excitata. Hos effectus ipsa non producit, nec operatur; sed præstat per se ipsam formaliter.*

ROCCHIUS. Deficit hîc aliquid, mi bone Pazzi, aut in mea mente, aut in tua luce. Adhuc enim minùs capio quid sit, vel esse possit illa *gratia actualis existens in anima*, quæ à te sumitur *pro actu animæ*. Quis unquam ante Palancum gratiam actualem sumpsit pro actu animæ? Actus animæ est actus aut credendi, aut sperandi, aut amandi, aut timendi, &c. sed talis actus qui à gratia est, gratia non est: actus ille noster humanus est, vitalis est, meritorius est, mutabilis est, &c. quæ & similia attributa utique non conveniunt gratiæ actuali.

XLIV. Aperitur confusio, quæ est in tota ista responsione.

Quis rursus ante Palancum dixit actum animæ consistere in excitatione mentis, in attractione, & allectione, &c.? excitatio ista passio est animæ, attractio ista passio est animæ, & allectio pariter: quomodo autem potuit sic cum passione actio confundi? Id quod est animam excitari, attrahi, allici, terreri, doceri, dirigi passivum est: igitur activum non est, seu pertinens ad actus animæ; qui utique sunt actus consequentes; quando videlicet anima priùs excitata, & attracta, & allecta sicque impulsa ad credendum, ad sperandum, ad amandum, &c. exit in exercitium actuale fidei, spei, amoris, &c. Et addo insuper: quis ante Palancum loquendo de effectibus formalibus gratiæ uti hac phrasi potuit? *Hos effectus*, inquit, *ipsa non producit, nec operatur; sed præstat per se ipsam formaliter.* Si præs-

tat per se ipsam formaliter tales effectus, quomodo non operatur illos formaliter? Primus est, qui aliquid discriminis viderit inter *operari formaliter* & *præstare formaliter.*

XLV. Affertur adhuc alia nova expositio responsionis.

PAZZIUS. Nullus est Scriptor, mi Rocchi, apud quem non sit aliquis textus arduus intellectu: efficient fortè, ut istùm intelligas, verba sequentia. *Ad hoc*, inquit, *opus non est quòd ipsa* (gratia) *habeat intellectum; sed satis est, quòd Deus qui solus illam illosque effectus formales ipsius operatur & producit in anima, intellectum habeat.*

ROCCHIUS. Verba sunt ejusdem styli, & ejusdem lucis egentia: nam si Deus operatur effectus formales gratiæ, quid superest, nisi ut gratia nihil formaliter operetur.

PAZZIUS. Si non operatur illos, at saltem præstat illos per se ipsam formaliter, ut retuli ex Palanco, qui tandem sese omnino explicat hoc exemplo. *Sicut imago*, inquit, *ab artifice insculpta in materia ....*

PHILALETHES. Parce, Domine mi Pazzi: ecce nox imminet; exemplum hoc, si placet, retineatur in dialogum crastinum.

PAZZIUS. Sed nihilominus quia cepi, sine ut referam illud ex integro: tum animadversionem Rocchi retinebis & discedemus: eritque illi hoc commodum, quòd eam hac nocte poterit meditari.

PHILALETHES. Fac itaque, ut voles.

XLVI. Et proponitur exemplum imaginis insculptæ in materia.

PAZZIUS. Redeo ad initium exempli. *Sicut imago*, inquit, *ab artifice insculpta in materia, in genere causæ formalis materiam constituit exquisitissime formatam & figuratam; ad quod non opus est, quòd ipsa imago insculpta habeat intellectum, quia ipsa non producit, nec operatur artificialiter illum effectum formalem; sed solùm præstat illum in genere causæ formalis intrinsecæ; unde satis est, quòd artifex qui solus illam producit, efficit & operatur, habeat intellectum.* Habes hîc exemplum, Domine Rocchi, unde haud dubie affulgebit tibi clara intelligentia responsionis,

sionis, quia frangit tuum illud superius, de quo agitur, argumentum.

ROCCHIUS. Habeo hîc exemplum, Domine mi Pazzi, quod erit tibi cras, ut confido, in lapidem offensionis. Sicne propter Philosophiam Aristotelicam comparari gratia potuit cum figura?

PHILALETHES. Et hæc sit, oro, Domini mei, clausula hodierni colloquii solito prolixioris. Cætera in diem crastinum reservate, & in horam illam ipsam, quâ me hodie convenistis.

PAZZIUS. Abimus, Domine Philalethes; absit ut tibi velimus esse importuni. Vale.

ROCCHIUS. Abimus; sed debuisti, Domine Philalethes, si nimis prolixi fuimus, antea nos dimittere. Vale plurimum & quiesce in altam noctem.





DIALOGUS XVII.

QUAM BENE SENTIANT ATOmistæ de forma spirituali gratiæ actualis.

Personæ Colloquentes.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

I. Proluditur ad loquendum de gratia actuali non producta.

PHILALETHES. Congaudemus tibi, Domine Rocchi, de hac ambulandi facultate, quam cum hilaritate advertimus tuo sinistro pedi restitutam.

PAZZIUS. Et hujus hilaritatis mensura est, Domine Rocchi, tristitia quam ob illam tibi tam derepente, jam fere mensis est integer, ablatam tulimus.

ROCCHIUS. Ego verò quid reddam, Domini mei, pro dolore, quem in vobis mea repentina podagra illa peperit, & pro jubilo quod mea nova immunitas ab illa hodie parit. Oh quæ pessima lues est podagra. Sed valde pejor adhuc fuisset, nisi acritatem illius urbanitas, qua me toties invisistis, veluti per incantationem aliquam leniisset. Ecce, ut videtis, paululum quievit: plantis valere cepi, dimisi baculum &, quod magis amo, sentio renascentem in me ardorem certandi de rebus nostris tuo in conspectu, Domine Philalethes, ut solemus, cum Pazzio.

II. Comparatio ducta ex imagine insculpta favet opinioni probanæ.

Sed neque in oblivionem abiit ultima comparatio, quam ex Palanco afferebat, gratiæ cum insculpta quadam imagine: imo perdurante mea pedum captura, quæ Deo volente in capturam cerebri non evasit, pluries cogitationi

meæ obviam venir, totiesque apud me reputavi non posse aliunde invictiùs, quàm ex comparatione ista probari superfluitatem entitatis illius accidentalis spiritualis & supernaturalis productæ, de qua est sermo. In hunc modum, si annuis, ab istius comparationis examine fiet colloquii nostri hodierni exordium : ac tum , optime Philalethes, quam malueris formam & seriem dabis disputationi residuæ.

PHILALETHES. Non ita fiet, mi Rocchi. Prandit apud me Pazzius ; fuitque inter nos destinatum venire ad te statim à prandio ; sed animo non alio, quàm te invisendi & loquendi placentia, quæ fugarent , si quid adhuc superesset tuæ illius luis arthriticæ. Quare, si nos amabis, Philosophia tua silebit hodie : exardescere solet, ut nosti: & hic ardor posset infandum renovare dolorem.

ROCCHIUS. Imo ad omnem infandi doloris pristini abolendam memoriam nihil est, quod mihi prodesse magis possit, quàm hæc rogata voluptas philosophandi.

PAZZIUS. Si ad id profutura est voluptas, quam rogas, obtemperamus ego & Philalethes tuo rogatui. Cæterùm eram impatiens audiendi quid in præfata comparatione ita contemptibile videatur, ut unde Palancus probat necessitatem gratiæ accidentalis producendæ, inde superfluitatem illius probari posse jam jam audacter dixeris.

ROCCHIUS. Quid interest, mi Pazzi, quòd dictum sit audacter, modò veraciter; sed neque hîc audaciam ullam reprehenderes, si meminisses prolixæ illius concertationis, quæ non ita pridem inter nos fuit circa figuram corporum, de qua tu quidem aiebas, quòd esset res producta, scilicet ab artifice sculpente, aut pingente, aut tornante, &c. ego verò contrarium asserebam : fuitque meæ assertionis exitus ad id perductus, ut pro demonstrato relictum sit figuras omnes rerum omnium præsentium ac III.

III. Recoli debet quod supra dictum est de figuris non productis entitativè

futurarum, imo possibilium esse in quacunque massa v. g. marmorea, & à nullo quidem artifice factis. Tum hac demonstratione simul constitit nihil ab artifice v.g. statuario vere fieri, quando ex illa massa marmorea format statuam aliquam repræsentatricem Alexandri stantis, aut sedentis, aut præliantis,&c.quia videlicet ad hujusmodi statuam formandam non opus est nisi rescissione partium, sub quibus illa statua latebat: & in hunc modum statuarius ille nihil vere producit. Unde tandem inferebatur figuram illam præfatæ statuæ non esse rem vere productam.

PAZZIUS. Sed quid habet hæc illatio commune, mi Rocchi, cum negotio à te suscepto, videlicet probandi comparationem, quam sub finem ultimi dialogi referebam ex Palanco, valere potius ad negandam, quàm ad affirmandam realem entitatem gratiæ productæ. Non video quò tuum hoc præludium tendat.

IV. *Si figura corporalis non est res product. idem affirmari debet pro gratia actuali.*

PHILALETHES. Quomodo id non vides, mi Pazzi? Ecce Palancus comparat gratiam actualem in anima existentem cum imagine, quæ ab artifice insculpta est in materia: atque ita si verum est imaginem illam, licet qualitercunque in materia insculptam ab artifice, non esse rem vere productam, quid ex comparatione illa sequitur, nisi gratiam, quæ cum illa imagine comparatur, non esse rem vere productam? Est ne tua hæc consequentia, mi Rocchi?

ROCCHIUS. Hæc plane. Sed jam pergo ultra, & attendo ad vile & inutile ministerium, ad quod per hoc exemplum imaginis Palancus deputat gratiam actualem. Unde rursus infero illam non esse rem vere productam, propter vilitatem & inutilitatem finis, ad quem talis productio unice referretur. Nam ad quid gratiam actualem deputat, nisi ad hoc unum, ut præstat in anima, videlicet in genere causæ formalis id, quod in eodem genere causæ formalis præstat prædicta imago in materia in qua

insculpitur. Quid autem in hac materia præstat hæc imago, mi Pazzi, ad mentem vestri Scriptoris, nisi quòd materiam illam constituit formaliter sic insculptam? Quare pariter gratia actualis hoc unum præstabit in anima, nempe quòd constituet illam formaliter sic gratificatam: siquidem gratia spiritualis & imago materialis in hoc conveniunt, quòd pariter unicam habeant causalitatem formalem respectivè ad sua subjecta, si vestro Palanco creditur.

V. Adversarius destinaret entitatem gratiæ actualis ad vile ministerium.

Jam verò si gratia illa hoc unum in anima præstar, quod est constituere illam formaliter gratificatam, & si ad aliud nihil præstandum in anima destinatur, ministerium hoc, ut aiebam, est vile, quandoquidem est commune formis omnibus etiam vilissimis, quibus non minùs convenit constituere formaliter sua subjecta, qualia esse dicuntur; seu pulchra, seu fœda, seu virtuosa, seu vitiata, &c. Etiam, ut aiebam, est inutile, quia dato quòd anima per entitatem illam accidentalem productam non constitueretur formaliter gratificata, esset nihilominus efficienter gratificata, excitata, vocata, impulsa per illuminationes divinas supernaturales ipsam moventes ad credendum, ad amandum, ad sperandum in hoc eodem ordine supernaturali. Erit igitur hoc pacto in anima quidquid ipsi opus est ad supernaturaliter operandum, sicque fiet inutilis illa entitas, quæ supponeretur produci, & animæ applicari.

VI. Gratia qualem admittit Adversarius, esset inutilis & otiosa.

Vide præterea, mi Pazzi, quàm parum conveniret tali entitati productæ tam vili, tam inutili & insuper tam otiosæ in anima quidquid activitatis & efficaciæ, quidquid potestatis, & actionis excitatricis, vocatricis, impulsricis, & victricis tribuitur à Theologis universis. Nihil est fortius, nihil vividius, nihil vehementius, nihil urgentius gratia; & tu, mi Pazzi, cum tuo Palanco repræsentas nobis gratiam inertissimam, quando per illam intelligis entitatem productam, quæ in anima existit, & quæ in anima nihil efficit; sed tantùm in ea præstat formaliter id, quod præs-

tat imago in materia, in qua insculpitur. Quid autem præstat hæc imago in materia, id tantùm quod est materiam esse sic formaliter effigiatam? Unde similiter id tantùm quod est animam esse formaliter sic gratificatam, est id quod gratia præstat in anima. Ubi ergo erit activitas gratiæ illuminantis, excitantis, vocantis, trahentis, impellentis, suadentis, præcipientis, consulentis, promittentis, comminantis, deterrentis, &c.? Quid ad hoc, mi Pazzi?

VII. Respondetur quòd talis gratia, licet nihil efficiens, admitti debeat.

PAZZIUS. Ad hoc aio, mi Rocchi, entitatem illam gratiæ actualis productam & existentem in anima, qualem cum unanimi Theologorum consensu Palancus admittit, esse quidem spiritualem ac supernaturalem, sed intelligentem non esse: atque ita convenire illi non posse actiones illas illuminandi, excitandi, vocandi, trahendi, &c. quæutique omnes sunt actiones intelligentiæ; unde non est mirum quòd Palancus tribuat illi entitati causalitatē mere formalem. Sed tum nunquid ista causalitas formalis est omnino necessaria? Nam nunquid anima potest illuminari sine forma, per quam constituatur & denominetur illuminata: vel excitari sine forma, per quam constituatur & denominetur excitata, & sic de aliis? atque hinc satis apparet necessitas admittendæ talis gratiæ, quæ sit entitas accidentalis, & spiritualis & supernaturalis producta. Audis quid dicam, mi Rocchi?

ROCCHIUS. Audio & simul video ac miseror tuum illud ad constitutiones formales & ad denominationes formales refugium, de quo requiramus à Domino Philalethe quid sentiat.

PAZZIUS. Illum arbitror ab hac nostra non esse discessurum doctrina.

VIII. Quæ sit vera notio gratiæ actualis supernaturalis, de qua agitur.

PHILALETHES. Discedo tamen cum bona veniā & propter rationes, quas audivi ex Rocchio & propter alias, quas ex me audies. Notio gratiæ actualis supernaturalis, de qua hîc agitur, est apud me notio beneficii, sive doni

cujusdem divini supernaturalis ac proinde auxilii, sine quo non potest anima quicquam intra metas ordinis supernaturalis operari. Et hæc notio est instar illius, quæ perinde innata mihi est gratiarum naturalis ordinis divinarum, sine quibus pariter nihil anima posset operari, nihil intelligere, nihil velle, nihil credere, nihil sperare, &c. in ordine naturali. Tum mihi perinde inter clariores notiones computatur non alia seu dona, seu beneficia, seu auxilia pro utroque ordine illo respective convenire animæ, quæ tota est intelligens, posse, quàm quibus ad intelligendum & deinceps per intelligentiam ad volendum, ad credendum, ad sperandum, &c. præveniatur, excitetur, impellatur, trahatur, suadeatur, terreatur, &c.

Quia verò id, quod est ita præveniri, excitari, impelli, trahi, suaderi, terreri, &c. est quid ex parte animæ passivum, & ideo consistit totum in illuminationibus animæ passivis, consequens est illas correspondere totidem illuminationibus activis, scilicet divinis quæ animam præveniunt, excitant, impellunt, &c. Hujusmodi autem illuminationes, quia gratuitæ sunt, gratiæ sunt, scilicet aut naturales, prout Deus illas contemperat ad vim naturæ, aut supernaturales, prout Deus illas supra vim omnem naturæ auget & elevat. Neque jam per gratias actuales supernaturales, de quibus hîc sermo est, intelligo nisi tales illuminationes omnis luminis naturalis vim superantes, per quam Deus reddit animam supernaturaliter intelligentem, quidquid debet intelligere ad salutem, quidquid debet velle, quidquid debet credere, quidquid debet sperare, &c.

IX. Quid sint gratiæ actuales supernaturalis ordinis.

Ac tandem pro toto isto ministerio supernaturalis gratificationis in sensu tum activo, tum passivo acceptæ, sive quod idem est, consideratæ tum ex parte Dei animam illuminantis, tum ex parte animæ à Deo illuminatæ, non video necessitatem entitatis ullius producendæ: siquidem & Deus illuminare per se immediate animam potest, &

X. Deus per se immediate tales gratias omnes præbet.

anima potest per se immediate illuminari. Quin etiam nec potest fieri ut per entitatem ullam productam & mediantem aut Deus illuminet, aut anima illuminetur; quatenus talis entitas esset, quæ nec dare, nec recipere intelligentiam posset, cùm intelligens non esset. Cæterùm omnis entitas producta, quæ aut in Deo illuminante, aut in anima illuminata supponeretur vel etiam transeunter inexistere, utriusque simplicitatem utique vitiaret. Absit igitur & à Deo & ab anima omnis entitas producta & qualitercunque inexistens. Atque ut jam videtis, Domini mei, voluntatis quidem fuit, sed potestatis non fuit, compendium, quod optabam in aperienda vobis sententia, quam rogastis.

XI. Nulla entitas producta esset utilis ad effectus gratiæ producendos.

Oportet ut adhuc addam totum id, quod Pazzius ex Palanco affert pro entitate, per quam anima constituatur formaliter & denominetur formaliter gratificata, nullatenus ad physicas, sed tantummodò ad metaphysicas, considerationes pertinere: ac proinde nullius esse hîc utilitatis ad disquirendum, sicuti disquiritur, quid rei physicæ sit gratia actualis supernaturalis. Parcite prolixitati discursûs, quem volui, sed non potui coarctare.

Rocchius. Imo, Domine Philalethes, in tua illa credita prolixitate miram video brevitatem, advertendo non plures esse voces, quàm res philosophice simul ac theologice definitas, prout veritas postulabat.

XII. Opponitur duo esse quæ militant contra talem doctrinam

Pazzius. Ego verò; Domine Philalethes, ingenue aio parum interesse, quòd brevis fueris aut prolixus in discursu isto; sed valde interest scire an verax fueris. Voces non computabam, sed res quæ mihi videbantur non sapere veritatem. Præ cæteris autem duas notavi, quas si annueris referam, & de quibus simul referam gravem à Palanco latam reprehensionem, dum ageret cum suo Atomista de modo atomistico, quo Rocchius explicat in suo systemate gratiam actualem.

Philalethes. Refer & impugna illas pro tuo jure, mi Pazzi.

Rocchius.

ROCCHIUS. Refer sine mora, & quia spectant ad meum systema, dabit mihi, ut confido, Dominus Philalethes veniam respondendi. Si quid hîc mali est, ego sum qui peccavi: converte in me ferrum tuæ aggressionis.

PAZZIUS. Itaque duo, quæ in discursu Domini nostri Philalethis notavi, & quæ mihi visa sunt non sapere veritatem, hæc sunt. *Primum* est, quod aiebat animam posse per se immediatè illuminari à Deo, sicuti Deus potest per se immediatè animam illuminare; ac proinde tam non egere animam in ratione patientis, quàm non egere Deum in ratione agentis, entitate ulla producta & inexistente. *Secundum* est, quod addebat talem entitatem productam, si qualitercunque in anima existeret, obstituram fore illius simplicitati, perinde ac obstaret simplicitati divinæ, si existeret qualitercunque in Deo. Hæc autem ipsa duo, quæ ad mentem tui systematis mox audivi à Philalethe, selecta sunt ad impugnationem à Palanco, tanquam illa, quæ in tuo illo systemate sibi magis absurda minùsque tolerabilia videbantur. XIII. Proponuntur duæ illæ particulares difficultates.

ROCCHIUS. Illa istis convicis adornata per Palancum fuisse facilè credo; sed non facilè credo illum ad id permotum fuisse ratione ulla satis solida & evidente: vel si quæ est, affer illam, mi Pazzi.

PAZZIUS. Afferam, mi Rocchi, verba ipsa nostri Scriptoris, eo fine ut de illa ratione tu ipse clariùs judices. *Jam verò pariter discurrere de passionibus in anima correspondentibus actioni divinæ, seu de gratia actuali & habituali ex parte animæ omni absurdo absurdius est.* Et mox ad intelligentiam hujus procemii sic addit. *Quis enim tolerare possit vel patienter audire, quòd sicut Deus nulla indiget realite aut entitate sibi superaddita, ut active moveat, illuminet, justificet & sanctificet animam, ita anima nulla indigeat entitate aut realitate sibi superaddita, ut passive & formaliter moveatur, illuminetur, justificetur & sanctificetur à Deo?* XIV. Et affertur textus ipse Adversarii. Dial. 77. n. 655.

ROCCHIUS. Doleo, mi Pazzi, quod Scriptor vester tolerare hanc doctrinam non possit. Sed ubi est ratio, propter quam tolerare illam non possit?

PAZZIUS. Audi quod sequitur. *Et quòd sicut Deus per actionem secum identificatam illuminat active, active sanctificat, & active justificat animam, ita anima per solam passionem secum identificatam realiter sanctificetur & justificetur passive & formaliter. Et item quòd.....*

ROCCHIUS. Parce tuo labori, mi Pazzi. Doctrinam refers, quæ Palanco intolerabilis visa est: ego verò doctrinam illam non quæro; mea est hæc doctrina, & mea sunt verba illa ipsa, quibus refertur, licet nomen meum non referatur. Rationem peto, propter quam pro intolerabili haberi debeat mea hæc doctrina.

PAZZIUS. Ratio igitur erit paulò infra.

XV. Afferuntur plures rationes dictæ doctrinæ præmissæ.

ROCCHIUS. Quære illam vel infra, vel supra: & ecce interim rationem meæ doctrinæ in hoc positam, quòd omnino non minùs repugnet animam illuminari per entitatem sibi superadditam & inhærentem, quàm Deum illuminare per hujusmodi entitatem pariter superadditam, aut pariter inhærentem sibi. Et ratio illius non-minoris repugnantiæ hæc est; quatenus illa entitas, quæ supponeretur in Deo, non esset intelligens, & ita non posset exponere animæ quid habeat credendum, quid sperandum, quid timendum, &c. multòque minùs posset elucidare illi, urgere, aut multiplicare motiva credendi, sperandi, timendi, &c. Unde omnino superflue ac inerter se haberet ad illuminationem activam animæ. Similiter dico quòd entitas illa, quæ supponeretur in anima, non esset intelligens, atque ita non posset instrui de rebus credendis, sperandis, timendis, &c. multòque minùs de motivis ad fidem, ad spem, ad timorem ferentibus. Igitur nihil animæ conferre posset ad illius illuminationem passivam; ad quam utique nihil conferre potest præter illu-

minationem activam ipsi correspondentem.

XVI. Deus uti creatura non-intelligente ad animam illuminandam non potest.

Potest equidem Deus ad animam illuminandam uti alia creatura intelligente, cui utique communicabit notitiam animæ deinceps per ipsius ministerium communicandam, idque ad modum, quo amicis per amicos solemus communicare nostra consilia; sed ad animam illuminandam uti creatura non-intelligente non potest. Quamquam adhuc nec uti potest Deus creatura intelligente ad illuminationem supernaturalem animæ communicandam, ut supra ostensum est. Quid jam igitur superest, nisi animam sic illuminari non posse, nisi per se ipsam immediate à Deo; & ideo ad id præcise, quod est sic illuminari, non indigere nisi se ipsa, sicuti Deus non eget nisi se ipso ad illam sic illuminandam? Hinc entitas illa superaddita & animæ inhærens, per quam apprehenditis animam formaliter illuminari, non est nisi in apprehensione vestra; sicuti tantùm in apprehensione vestra est forma rei essentis, forma rei subsistentis, forma rei existentis, forma rei quantæ, forma rei figuratæ, &c.

XVII. Quæ sit origo multorum errorum in Physica & in Theologia Aristotelica.

Et hæc origo est, ut millies notavi, errorum non facilè numerabilium, quos, Domine mi Pazzi, ex vestra Metaphysica in Physicam & deinceps in Theologiam transtulistis: ita quòd nullus jam sit effectus physicus, quem non reputeris pendere ab aliqua entitate superaddita & inhærente. Unde ad mentem vestram sicut homo est corporaliter calidus per entitatem productam caloris, ita est justus per entitatem productam justitiæ, misericors per entitatem productam misericordiæ, doctus per entitatem productam doctrinæ, & ad rem nostram gratificatus per entitatem productam gratiæ. Ad effectus mere formales, seu mere objectivos vestræ illæ formæ mere objectivæ sufficiunt; sed utique non sufficiunt nulliusque utilitatis esse possunt ad effectus physicos, inter quos istum computo animæ divinitus illuminatæ, atque ita præventæ, excitatæ, im-

pulsæ ad agenda quæ præcipiuntur, & ad omittenda quæ vetantur. Nisi quòd anima si pro istis effectibus & similibus passivis, qui pene infiniti sunt, admitteret suo in sinu tot entitates productas superadditas sibi & inhærentes, quomodo entis spiritualis atque ita simplicis prærogativam non amitteret?

XVIII. Opponitur quod daretur actus purus in patiendo, quod repugnat.

PAZZIUS. Noli, si placet, ita festinanter transire ad hoc alterum caput discutiendum tuæ doctrinæ. Hæreamus adhuc in primo & audi rationem istam, qua Palancus probat illuminari animam non posse sine interventu alicujus entitatis productæ sibique inhærentis, & ipsam immutantis; quatenus dum ita illuminaretur sine aliqua nova immutatione intrinseca, immutaretur & non immutaretur simul, quod utique repugnat. Sed præstat referre verba ipsa nostri Authoris. *Et quidem*, inquit, *omnes intelligimus actum purum in agendo, quia agens agit in quantum est in actu, non in quantum est in potentia: & quia agens ut agens non mutatur, sed mutat passum; non recipit, sed dat.* Et statim subsit, *Sed quis unquam somniavit actum purum in patiendo aut recipiendo, cùm pati & recipere proprium sit entis in potentia, seu entis mutabilis?* Tum hanc suam animadversionem sic confirmat, *Stat quidem Deum immotum omnia movere, Deum immutatum omnia mutare....... Sed nunquid pariter discurrendum erit de anima, quòd immutata manens passive movetur & mutatur?..... Nonne hoc dicere plus quàm chimaricum est, & sic animam patientem cum Deo agente coaquare prorsus fatuum?*

Dial. 77. n. 656.

XIX. Expenditur vis ratiocinii, quod Adversarius affert.

ROCCHIUS. Fatuum, chimæricum, intolerabile, absurdum est, si vestro Scriptori creditur, mi Pazzi, quod aio animam ad illuminationem sui passivam non egere, nisi se ipsa: Quid agam? Ad illa epitheta non attendam, sed ad occasionem illorum; quæ est ratio concepta hi verbis, *Sed quis unquam somniavit actum purum in patiendo, &c.* Quasi diceret, Si anima pro illumination su-

passiva non egeret, nisi se ipsa, esset actus purus in patiendo: *sed quis unquam somniavit actum purum in patiendo, &c.*? Et hinc inferret animam pro illuminatione sui passiva non sufficere sibi, sed egere illa entitate producta, superaddita & inhærente, de qua est sermo. Attingo ne, mi Pazzi, vim ratiocinii?

PAZZIUS. Attingis plane; sed quid respondes?

ROCCHIUS. Respondeo actum illum purum in patiendo nunquam à me somniatum fuisse; sed neque futurum fuisse, ut nomen illud *actûs puri in patiendo* à me unquam proferretur, nisi à Palanco scriptum, à te prolatum, repetere debuissem. Vide, mi Pazzi, quantùm distamus, si è contra dicimus animam respective ad illuminationem sui passivam esse puram potentiam: ut revera est pura potentia ad illam; vel præsertim ob id, quòd illuminatio illa supernaturalis supponitur. Cæterùm neque à me aliquando somniatum fuit illuminationem passivam animæ fieri sine ulla immutatione passiva ejusdem animæ; quandoquidem illuminari est quoddam pati. Sed vigilando millies cogitavi, milliesque dixi animam pro ista immutatione illuminationis supernaturalis passivæ non egere ulla entitate producta sibi superaddita & inhærente, uti neque Deus ulla eget ad ejusdem animæ illuminationem activam. XX. Anima quando illuminatur, mutatur & sic est potentia quædam passiva.

Erit igitur anima immediate mutabilis à Deo, immediate mutante ipsam, sed sine sui mutatione ulla, ut opus est pro dignitate agentis perfectissimi, sibique proinde sufficientissimi ad omnia quæ voluerit agenda, ad omnia quæ voluerit mutanda, ad omnia quæ voluerit restauranda, &c. Hinc autem nihil aliud inferri potest, nisi quòd sicut Deus sibi sufficit ad agendum, sic anima sibi sufficit ad patiendum; sicut sufficit sibi Deus ad habendam perfectionem, quæ est agendi, sic anima sibi sufficit ad habendam imperfectionem, quæ est patiendi. At hoc mi Pazzi, estne XXI. Anima sibi sufficit ad patiendum sicuti Deus sibi sufficit ad agendum.

coæquare animam Deo? id ex Palanco mihi supra objecisti & *fatuum* vocasti. Parco injuriam; sed nihilominus pro salutari vindicta enitar tibi etiam suadere, quòd si anima per entitatis illius productæ, de qua litigatur, inhæsionem illuminaretur atque ita mutaretur, ut contenditis, jam non esset computanda inter res spirituales, quibus nulla potest hujusmodi cum rebus aliis compositio convenire. Et hoc est alterum illud, quod à Philalethe dictum non probasti, & impugnare proposuisti. Dic, si placet, mi Pazzi, qua arte jungat societque Palancus spiritualitatem sive simplicitatem cum compositione.

XXII. Opponitur discrimen inter simplicitatem summam & non summam.

P A Z Z I U S. Nulla est ars, mi Rocchi, quæ jungere possit cum vel modica ulla compositione simplicitatem, quæ summa est, qualis est simplicitas divina; sed non opus est grandi arte ad jungendam cum aliqua compositione simplicitatem non summam. Atque in hoc est positus ille vester error intollerabilis, quòd non distinguitis inter simplicitatem summam, & simplicitatem non summam.

Dialog. 77. n. 655.

Dicam igitur cum Palanco, *Quis hac patienter audiat? Nunquid anima tanta simplicitate pollet quanta Deus, ut compositionem non admittat, quam Deus non admiserit. . . .*

Dial. 80. n. 683.

Nunquid quia Deus *est summe simplex, ideo etiam anima erit summe simplex, sicut* Deus? Unde alibi sic exclamat, *O quàm magnum inconveniens! nempe quòd anima non sit summe simplex, sicut* Deus; *sed aliquas in se admittat compositiones reales.* Per quas compositiones noster Author intelligit, mi Rocchi, compositiones ipsius animæ cum intelligentia, cum sapientia, cum prudentia, cum justitia, & aliis virtutibus, ac proinde cum gratia, quæ est causa productrix talium virtutum.

XXIII. Considerari debet duplex simplicitas, entitatis & perfectionis.

R O C C H I U S. Item Author vester per compositiones illas reales intelligit generatim omnes compositiones ipsius animæ cum sua subsistentia, cum sua existentia, cum sua actione, cum sua passione, cum sua relatione, cum-

que omnibus tandem perfectionibus, quæ ipsi advenire intelliguntur ab illo, nec ab illo intelliguntur ipsi advenire, nisi realiter producantur in ipsa, & nisi realiter ipsam afficiant atque ita componant æque realiter. Sed considerate, si placet, trabem quæ in oculis vestris est, & propter quam non advertitis duplicem esse simplicitatem., aliam entitatis, & aliam perfectionis entitati convenientis. Tum si agitur de simplicitate, quæ est entitatis, hæc est in indivisibili posita; quia quidquid entitative simplex est, unum est: unitas autem nulla est unitate alia major, aut minor.

Si verò agitur de simplicitate, quæ est perfectionis entitati convenientis, hæc non est in indivisibili posita, quia plures perfectiones possunt uni & eidem entitati convenire, aut non convenire, item convenire, aut non convenire tali modo, tali tempore,in tali gradu, in tali circumstantia, &c. Agitur autem de illa simplicitate entitativa, & de qua dico, quòd si vera simplicitas est., summa est: non autem agitur de ista simplicitate ad perfectiones entitatis relata, quæ utique non æqualis est, sed major aut minor, & cum isto quidem mirabili discrimine, quòd non equidem perfectionum paucitas, sed è contra pluralitas illam adauget, & præsertim quando est constans atque invariabilis: quo pacto simplicitas divina summa est, illa verò quæ est cæterarum rerum spiritualium,summa non est. XXIV. Quid sit simplicitas entitatis & perfectionis.

Redeo igitur ad simplicitatem entitativam, de qua est quæstio, & qualem anima, ut contendimus, non haberet hoc ipso, quòd intrinsece componeretur ex entitatibus illis, seu naturalis, seu supernaturalis ordinis accidentalibus productis, quas inexistere atque inhærere illi docent Philosophi ac Theologi Aristotelici. Neque fere opus est hujus assertionis rationem afferre, quia videlicet patet animam in hoc casu fore veluti aliquam coacervationem plurium entitatum ad ipsam intrinsece pertinentium, uti partes ad totum pertinent, & quod propterea nemo auderet XXV. Agitur hîc de simplicitate, quæ est entitatis.

vocare *simplex*. Atque ita tandem, mi Pazzi, aut cœcutis, aut vides quàm inconvenientissime ponitis in anima tales compositiones entitativas, quæ utique illi suam entitativam simplicitatem adimerent. Nec addam hac de re plura.

XXVI. Monetur attendi debere ad exclamationem Adversarii.

PHILALETHES. Addere tamen aliquid deberes, Domine Rocchi, ad satisfaciendum exclamationi, qua Palancus ridet tuam illam sollicitudinem caventem, ne quid de summa illa præsumpta simplicitate animæ detrahatur. Miror te hujus exclamationis oblitum esse.

PAZZIUS. Legam illam iterum, Domine Philalethes. Sed quis scit an Rocchius noster illius non tam oblitus sit, quàm oblivisci voluerit: salvâ pace id dico. Hæc est itaque, mi Rocchi, exclamatio quam optat Dominus Philalethes tuam in memoriam revocari, eo fine ut non sic transeat inattenta & insoluta. Sic itaque Palancus exclamat. *O quàm magnum inconveniens! nempe quòd anima non sit summe simplex sicut Deus, sed aliquas in se admittat compositiones reales.*

XXVII. Redduntur tres exclamationes pro una.

ROCCHIUS. O quàm bene geris personam hominis exclamantis! O quàm gratiose inter exclamandum subrides! O quàm seriò inter subridendum redarguis! Habes hîc, mi Pazzi, tres exclamationes, ut satisfaciam uni. Hujus revera oblitus fueram: & oblivionis indicio est, quòd decreveram à te quærere, si nosti, quot compositiones reales admittere possit anima inoffensâ simplicitate suæ propriæ entitatis.

PAZZIUS. Si à me id quæsiisses, respondissem nolle me determinare id, quod Magister noster indeterminatum reliquit. An non satis est, quòd sciatur simplicitatem animæ per compositiones reales aliquas non offendi? Cæterùm tuæ curiosæ indoli permitto admittere in ea plures aut pauciores: nihil interest.

XXVIII. Essent in a-

ROCCHIUS. Quomodo nihil interest, mi Pazzi? vide

Vide tamen quantum intersit: etenim si Aristotelici velint discurrere cohærenter ad principia sua, coguntur admittere in sinu animæ multa millia talium compositionum realium. Neque si te persequeter, Domine Pazzi, resilire posses ab illis multis millibus concedendis: quatenus de quacunque animæ perfectione quam assignarem, compelleteris concedere animam componi ex illa: & in hunc modum si patientia non deesset in animæ perfectionibus proponendis, quæ pene infinitæ sunt, non discederem à te, antequam multa illa compositionum realium millia concessisses. Sed quid opus est his multis millibus compositionum à te concedendis, quando vel unica compositio, quæ in anima esset, sufficit ad vitiandam & abolendam illius simplicitatem. Nam quid magis à notionibus *rei simplicis* & *rei composita* alienum, quàm quòd aut aliquid simplicitatis in re composita, aut aliquid compositionis in se simplici admittatur. — nima multa millia compositionum realium.

XXIX. Ut composita nihil habent simplicitatis, ita simplicia nihil compositionis.

Unde fit ut id, quod est entitative compositum, nihil habere possit entitativæ simplicitatis, & similiter id quod est entitative simplex, habere nihil possit entitativæ compositionis: explicabo me, Domini mei, paulò clariùs hoc uno alteroque familiari exemplo. Satis facilè satisque communiter creditur potuisse Deum creare Angelum ab æterno; qua hypothesi factâ, quid de me videretur vobis, si æternitati angelicæ ad discrimen à Divina detraherem aliquot dies; & sic exclamarem ad derisionem opinionis contrariæ, *O quàm magnum inconveniens!* nempe quòd Angelus non sit summe æternus, sicut Deus; & quòd deficiant aliquot dies illius æternitati.

XXX. Simplicitas perinde ac æternitas & immensitas non suscipit magis & minùs.

Similiter nulla in hoc à multis repugnantia creditur, quòd Deus possit sphæram Angeli ampliare ad omnia usque spatia, etiam imaginaria. Hæc itaque hypothesis fiat; & cogitate me immensitati angelicæ ad discrimen à divina detrahere aliquot palmos spatii; ac tum exclamare,

O quàm magnum inconveniens! nempe quòd occupatio aliquot palmorum spatii desit immensitati angelicæ. Quæ vestra esset, Domini mei, de duabus exclamationibus istis sententia? Audio vos neutram approbantes; & contendentes tam immensitatem, quàm æternitatem non suscipere magis & minùs, & ideo Angelum æternum & immensum non fore contra hypothesim, si vel una dies illius æternitati, vel unus palmus illius immensitati deesset. Atqui hujusmodi est simplicitas, quæ nihil compositionis admittit; aut si utique duas vel tres compositiones admitteret, perinde, ut supra aiebam, posset admittere plura millia talium compositionum.

XXXI. Memorantur illa prædicta millia compositionum realiũ.

PHILALETHES. Id equidem aiebas supra, mi Rocchi: & memini & notavi. Sed licet tecum inclinem ad denegandam omnem compositionem realem animæ hoc titulo, quòd est realiter simplex, non satis intellexi quod aiebas de multis illis millibus compositionum realium, quæ admitti deberent in sinu animæ, si duæ vel tres in ea semel admitterentur. Id forsan dixisti animi gratia.

PAZZIUS. Id ita dictum accepi, Domine Philalethes: & ideo sprevi: non enim amo jocos in rebus seriis. Sed neque amo, ut divinationi relinquatur quod dicitur, sit ne serium, an jocosum. Quare ne in incertum te audiamus, oramus te, mi Rocchi, ut nos præmoneas, si quid deinceps sis jocose dicturus: quamquam præstaret nullos permiscere jocos cum rebus istis gravibus & severis.

XXXII. Perfectiones sunt in rebus spiritualibus id, quod sunt partes in materialibus.

ROCCHIUS. Nihil hìc, Domini mei, lusi vobiscum: an liceret mihi per gravitatem rerum quæ tractantur, & personarum quæ colloquuntur, an, inquam, liceret ludere? putabam mihi sermonem esse cum hominibus, quibus datum esset *lusus & seria nosse*. Atque ut intelligatis tandem nihil hìc dixisse me de multis realium illarum productionum millibus, nisi apprime serium, cogitate mecum id esse in rebus spiritualibus perfectiones,

quod sunt in rebus materialibus partes. Hinc si Aristotelicis placet nullam esse materialem molem adeò parvam, quæ non habeat partes sine numero, ita quòd saltem nulla divisione, vel etiam divinitus, perveniri possit ad ultimam; quare displicebit illis admittere in rebus spiritualibus multa saltem millia perfectionum, si potiùs ad doctrinæ cohærentiam non deberent fateri millia infinita? Rursus cogitate mecum qualiter Deus, qui est infinitus in omni genere entis, non possit non abundare perfectionibus infinitis in hoc particulari genere entis spiritualis; unde consequitur animam, quæ particeps est spiritualitatis divinæ, esse simul participem omnium aut fere omnium perfectionum ad spiritualitatem pertinentium, & ideo pervenientium ad multa millia. Tertiò adhuc cogitate mecum laudes illas innumerabiles, quibus homines alii aliorum facta egregia bellica, pacifica, politica, literaria, œconomica, &c. hucusque prosecuti fuerunt, aut prosequi potuerunt; & quas utique non posset Orator, si colligere vellet, paucis voluminibus concludere: atque hinc intelligetis quàm innumerabilis sit numerus dotum, sive perfectionum, quæ in anima sunt aut congenitæ, aut acquisitæ, aut infusæ, aut quarum saltem est capax: istæ autem dotes facta egregia illa pepererunt.

XXXIII. Hinc sequitur, quòd anima nullam possit admittere compositionem realem.

Neque postquam hæc tria mecum cogitastis, opus est ut ego quicquam inferam: ipsi enim per vos infertis, Domini mei, aut animam ita simplicem esse, ut nulli compositioni reali præbeat ingressum, aut esse ita parum simplicem, ut illum præbere possit compositionibus hujusmodi realibus sine numero: quare potiùs composita, quàm simplex dicenda esset, siquidem plus compositionis, quàm simplicitatis haberet; si tamen potest simplicitas plus minusve admittere. Adhuc verbum unum & sileo. Attendere deberent Aristotelici ad hoc, quòd si ex anima & gratia ipsi inhærente, fieret in anima compositio realis, atque

ita de cæteris donis & perfectionibus animæ inhærentibus; non solum anima sic componeretur; sed etiam gratia sic componeretur, sicut etiam cæteræ omnes dotes ac perfectiones suas seorsim in se ipsis admitterent plurimas compositiones reales.

XXXIV. Hinc sequeretur etiam fore compositionem realem in gratia.

Exemplum fiat in gratia, de qua præsertim sermo est. Gratia siquidem est ens productum & distinctum ab anima: sicque necesse est, ut propriis gaudeat proprietatibus, prærogativis, excellentiis atque ita nativis perfectionibus plurimis: sicuti revera gaudet seorsim sua supernaturalitate, sua sufficientia, sua efficacia, sua pulchritudine, sua seorsim actione, sua seorsim passione, sua seorsim relatione, &c. quas omnes gratiæ compositiones reales anima suo in sinu admitteret, quando gratiam admitteret. Ludebamne igitur, Domini mei, quando loquebar de multis istis millibus compositionum realium?

PHILALETHES. Clarum est quòd non ludebas; sed quis præter te unquam mentem exercuit in istis disquisitionibus tam expurgatis, ac tam enucleatis, propter quas assensum meum jam obtines.

XXXV. Arguitur contra illationes prædictas.

PAZZIUS. Meum verò, Domine Rocchi, nondum obtines: obstat enim authoritas Magistri nostri, qui argumentum hoc tuum, quod in tuo systemate gratiæ legegerat, ponderavit, & de illo judicium tulit, quod audies.

Dial. 79. n. 674.

In hoc pariter argumento, inquit, *quod fere unicum vobis est, & quod maxime ponderatis, rursus vestra ruditas magis detegitur in intelligenda doctrina Peripateticorum.* Sic autem pergit. *Dum enim gratiam actualem ponunt in pia cogitatione, v. g. qua sit entitas, seu actualitas accidentalis animæ, propterea eam asserunt esse talem respectu animæ, quia anima per suammet entitatem non este essentialiter in actu pie cogitans, sed tantùm in potentia. Unde ut actu pie cogitet ....*

XXXVI. Gratia non

ROCCHIUS. Noli meam onerare memoriam textu

tam prolixo , mi Pazzi : perges paulatim. Interim audi Atomistam, qui fortè minùs rudis est, quàm tu ipse in doctrina Peripateticorum, quando cum Palanco ais, quòd illi *gratiam actualem ponunt in pia cogitatione*. An aliquis Peripateticus ad hanc usque horam ita locutus est? An ita sensit de gratia actuali ? Audeo ego, mi Pazzi, contendere in conspectu cæli ac terræ opinionem, juxta quam mox dixisti gratiam actualem consistere in pia cogitatione, non esse Aristotelicam. Etenim *pia cogitatio* apud omnes Theologos, qui mentem Aristotelis in Theologiam pertrahunt, est actus humanus, vitalis, meritorius, pertinens ad intellectum, quatenus *cogitatio* est, & spectans ad voluntatem, quatenus *pia* est. Igitur pia cogitatio non est gratia ; sed est à gratia, per quam fit, ut pie cogitemus. Gratia est, quæ mentem illustrat & voluntatem inflammat, proponendo scilicet animæ res credendas & motiva credendi : proponendo res sperandas & motiva sperandi, & sic generatim proponendo res agendas & motiva agendi. Unde fit ut anima & cognoscat quid credendum, quid sperandum, quid sibi omnino agendum sit ; & simul moveatur ad credendum, ad sperandum, ad agendum quidquid proponitur, salvâ libertate, propter quam potest adhuc credere aut non credere, sperare aut non sperare, &c.

est pia cogitatio, sed efficit piam cogitationẽ.

Sed quid in his moror? An non gratia ex sua notione donum est, beneficium est, auxilium est, an non medium est quo Deus utitur ad excitandas in nobis pias cogitationes, quæ sint veluti radices bonorum operum? Quomodo igitur confundi gratia potuit cum pia cogitatione, quam parit & quam deinde perducit ad parturitionem bonorum operum, accumulando motiva plurima operandi. Cæterùm Aristotelici apud quos omnis actio creaturæ agentis est entitas quædam producta & superaddita illi, affirmant utique piam cogitationem, de quâ est sermo, esse aliquam entita-

XXXVII. Adhuc magis probatur qualiter gratia non est pia cogitatiò

tem productam superadditam animæ; sed istam entitatem non confundunt cum entitate alia, pariter, ut credunt, producta, quæ est gratiæ actualis inspirantis atque ita producentis, piam illam cogitationem. Vide jam itaque, Domine Pazzi, an alia tibi suppetat via liberandi animam ab illis multis millibus, quæ aiebam, compositionum realium.

XXXVIII. Proponitur modus, quo vitatur compositio realis animæ.

PAZZIUS. Alia utique mihi via est, & valde brevis ac expedita. Illam mihi aperit Palancus hoc in ipso loco, ubi pergens, ob rationes haud dubie solidas, quas non novi, confundere gratiam actualem cum pia cogitatione, de ista cogitatione, videlicet entitative producta, loquitur his verbis, *Attamen ista cogitatio seu entitas & actualitas accidentalis per suammet entitatem est essentialiter supernaturalis, est essentialiter pulchra, est essentialiter actio, est essentialiter sufficiens aut efficax, est essentialiter intensa aut remissa, &c.* Ubi sunt jam, Domine Rocchi, tua illa multa millia compositionum realium, quæ, ut præsumebas, reperirentur partim in sinu gratiæ, partim in sinu prudentiæ, partim in sinu justitiæ, partim in sinu fortitudinis, aliarumque virtutum accidentalium, & hæc omnia in sinu animæ? Ecce accidentia gratiæ sunt essentialia illi, ut ait Magister noster; & ideo illam non componunt realiter: sic etiam accidentia prudentiæ non componunt illam realiter, quia sunt pariter essencialia illi, & ita de cæteris. Unde sequitur animam non fore realiter compositam, nisi ex quibusdam entitatibus productis gratiarum & virtutum inexistentium. Quid ais jam, mi Rocchi, de hac via brevi & expedita, qua Palancus spiritualitatem animæ liberavit à tuis illis, quas objiciebas, compositionibus realibus pene infinitis?

XXXIX. Sed modus ille non est nisi ad effugium.

ROCCHIUS. Aio & confiteor nullam viam breviorem ista, expeditiorem nullam à Palanco ad effugium quod quærebat, potuisse adinveniri: sed effugium hujus-

modi est, quo multi ad vitandos hostes à tergo instantes, per lineam rectam, quæ omnium est brevissima, sese jaciunt capite præeunte in præcipitium. Nam revera præcipitium est quod ait entitatem illam accidentalem, quæ est aut gratia actualis, aut pia cogitatio seorsim, aut hæc & illa conjunctim, (jam non interest) esse per se ipsam essentialiter supernaturalem, essentialiter pulchram, essentialiter actionem, &c. Quæ commutatio doctrinæ hæc est, mi Pazzi? Totus hucusque fuit Magister vester in ostensione potentialitatis convenientis omni creaturæ etiam spirituali; & ita omnem illius actualitatem pendere ab aliqua entitate accidentali producta & superaddita centies affirmavit; & id affirmandi rationem hanc tulit, nempe quòd aliàs creatura illa spiritualis esset actus purus, quia videlicet haberet v. g. sapientiam secum essentialiter identificatam.

Bene est. Nulla itaque creatura etiam spiritualis, etiam simplex, etiam intelligens, uti anima, potest essentialiter esse id, quod est, ne sit actus purus: non potest essentialiter esse sapiens, non potest essentialiter esse in statu supernaturali, non potest essentialiter esse pulchra, non potest essentialiter esse agens, &c. Quid igitur est quod jam ait creaturam illam accidentalem spiritualem, licet non intelligentem, productam, & quam vocat modò *piam cogitationem*, modò *gratiam actualem*, esse supernaturalem essentialiter, esse pulchram essentialiter, esse actionem essentialiter, &c. atque ita esse essentialiter totum id quod est, & per idoneam consequentiam esse actum purum. XL. Ostenditur qualis & quanta sit hæc contrarietas doctrinæ.

PHILALETHES. Amplum hîc tibi erexisti theatrum, mi Rocchi; sed, ut audio, desideraris à doctissimo & tibi amicissimo Senatore, quem novimus: & ecce adest: cras, sed paulò diligentiùs ad te redibimus.

PAZZIUS. Et erit mihi, si placet, Domine Philaletes, sermo cum Rocchio de gratia habituali, cujus constantior perenniorque inhæsio solidiùs probat quidquid de XLI. Proponitur disputandum de gratia habituali.

gratia actuali producta juxta doctrinam Aristotelicam affirmavi.

Rocchius. Valete, Domini mei, & reddat vobis Deus mercedem pro eo quòd hominem podagricum misericorditer hodie invisistis.



DIALOGUS XVIII.

QUAM MALE SENTIANT ARISTOTELICI de gratia habituali.

Personæ Colloquentes.

PHILALETHES, PAZZIUS, ROCCHIUS.

I. Proluditur ad disputationem de gratia habituali.

PHILALETHES. Non fuit heri mea in potestate venire ad te, Domine mi Rocchi; & vix, quamquam sero, potui hodie: testem habeo Dominum Pazzium turbæ, quæ me domi obsidebat: per posticum evasimus, jussoque rhedario ut flagris non parceret, convolavimus ad te.

Pazzius. Quin etiam decrevimus, Domine Rocchi, eripere te domui tuæ, & amicis, qui te forte inviserent, ne non impendatur modicum hujus diei residuum concertationi, quæ indicta est, de gratia habituali.

Philalethes. Ita plane decrevimus prevehere te ad unum alterumque ab hinc milliare, ut per diuturnitatem itûs ac reditûs liceat satis protrahere concertationem, quam condixistis.

Rocchius.

ROCCHIUS. Juris vestri sum, Domini mei; pervehite me quò volueritis: tantùm meis non satis adhuc solidatis basibus parcite. Cæterùm timere ceperam ne hodie perinde ac heri casus aliquis infelix furaretur mihi voluptatem vestri conspectûs. Itaque inexpectati adestis: atque ut nihil detraham brevitati diei fere inclinantis, revocate, oro in memoriam, dum ad rhedam imus, quod aiebam sub finem ultimi &, ut meministis, intercisi dialogi Palancum mihi sua in doctrina inconstantem videri, quando postquam tam fuse, tam sæpe dixit nullam creaturam spiritualem, cujusmodi est Angelus, aut anima, esse adeò simplicem, ut non admittat aliquas compositiones reales, scilicet ex variis qualitatibus accidentalibus productis & inhærentibus; aliàs futuram summæ simplicitatis, ac secum habentis essentialiter identificatas qualitates suas; quod uni simplicitati divinæ proprium est; fatetur nihilominus entitatem illam accidentalem productam, quam vocat *gratiam actualem*, & *piam cogitationem*, esse summe simplicem, ita ut secum identificatam habeat supernaturalitatem suam, pulchritudinem suam, actionem suam, efficaciam aut sufficientiam suam, &c. II. Non potest asseri, quòd gratia sibi sit essentialiter sua pulchritudo, sua actio, &c.

An non prævidit se fore in hoc redarguendum, quòd sine causa postponeret hac in re substantiam accidenti, tribuendo isti simplicitatem, quam illi denegat. Non redarguam tamen, mi Pazzi. Alia est doctrinæ inconstantia, quæ nobis erit, si annueris, in proludium hodierni nostri conflictûs. III. Sors substantiæ esset in hoc pejor sorte accidentis.

PAZZIUS. Non ita erit, mi Rocchi: nihil audiam de ista posteriori præsumpta inconstantia, donec illa prior, quam si non redarguis, redarguendam insinuas, per me appareat inculpata. Igitur debuit equidem Magister noster, ad id adductus per demonstrationes & authoritates theologicas plurimas, admittere in anima compositiones aliquot reales, ne videlicet habeat perinde ac Deus præ-

rogativam entis summe simplicis & actûs puri; sed tum debuit parcere quantùm potuit numero illarum compositionum realium.

IV. Non potuit convenientiùs vitari multitudo compositionum realium

Cùm autem parcere tali numero non potuerit in hunc modum, ut saltem non admitterentur in anima tot compositiones reales, quot sunt qualitates productæ illam afficientes; debuit omnino removere omnem compositionem ab istis qualitatibus productis: quia videlicet compositiones hujusmodi qualitatum reperirentur perinde omnes in sinu animæ, quæ sic compositissima evaderet, atque ita minime simplex. Unde fit non vituperandam, sed ex adverso laudandam esse cautionem, quam Palancus adhibuit, ut nec plus simplicitatis, nec plus compositionis quàm par sit, animæ tribuatur. Nemo est, qui non videat æquitatem finis, propter quem ad vitandam nimiam animæ compositionem realem providit incompositioni gratiæ, justitiæ, misericordiæ, doctrinæ & cæterarum omnium qualitatum inexistentium & inhærentium animæ. Quare non debuisti, mi Rocchi, hanc cautissimam doctrinæ moderationem redarguere, aut *inconstantiam* vocare. Jam verò quæ est, si placet, alia *inconstantia*, de qua vis proloqui.

V. Imo sic reditur in plura inconvenientia.

ROCCHIUS. Sed, mi Pazzi, de illa proloquar nihil, donec ostendero te per tuam istam prioris inconstantiæ defensionem magis adaperuisse illius culpam tantùm abest ut illam ostenderis inculpatam. Sic igitur discurro.

PHILALETHES. Ego verò hac interlocutione oro te, mi Rocchi, ut discursum tuum retineas: nam si alter in accusationis suæ, alter in suæ defensionis æquitate tuenda perennes eritis, silebitis hodie de condicta materia; & quæ principalis est, pro accessoria deseretur. Quin etiam orarem te silentio præterire illam alteram doctrinæ inconstantiam, quam reprehendere paras in Palanco, nisi considerem fore ut per jus, aut per injuriam talis reprehensionis aperiatur via tutior breviorque ad decisionem hodiernæ difficultatis.

ROCCHIUS. Obtempero, Domine Philalethes: & ideo prorsus tacebo jus meæ prioris accusationis; neque jus posterioris prosequar, nisi verbis paucissimis; nec aliis quàm perducentibus ad controversiam hodiernam. Itaque nosti veterem Philosophorum ac Theologorum Aristotelicorum opinionem de causæ primæ physica præmotione ad omnes actus causæ secundæ hanc communiorem fuisse, nempe quòd talis præmotio consisteret in entitate aliqua, scilicet accidentali producta, impressa & inhærente causis secundis pro effectibus ipsarum causandis. Nosti etiam præmotionem divinam ad actus bonos ordinis naturalis esse gratuitam, & ita pertinere ad beneficia, sive gratias ordinis naturalis: qualiter & adhuc magis gratuita est omnis divina præmotio ad actus nostros supernaturales; in quo sensu beneficium quoddã est supernaturale; quod idem est ac si dixero talem præmotionem esse illam ipsam gratiam supernaturalem, de cujus entitate physica in duobus proxime antecedentibus dialogis mihi cum Pazzio certatum est. VI. Quæ sit communior opinio circa physicam præmotionem, quæ gratuita est & sic gratia est.

Hæc duo nosti; sed nescio an hoc tertium noveris; scilicet Palancum in doctissimo suo tractatu theologico de providentia, quæstione decima quarta, paragrapho primo & deinceps probare contra Salmanticenses rationibus & authoritatibus multis invictis præmotionem, qua Deus movet voluntates nostras, non consistere in qualitate ulla, sive in entitate accidentali ulla producta & impressa voluntatibus nostris, sed in actione quadam divina virtualiter transeunte, sicque per se ipsam immediate afficiente voluntates nostras pro executione actuum, ad quos præmoventur. Qua in opinione nihil est, quod non mire respondeat labori, quo enitebar olim in systemate meo gratiæ removere à vera notione physica gratiæ actualis omnem entitatem productam: neque parum gloriabar habere socium, seu potiùs ducem meæ hujus sententiæ. VII. Quid senserit in sua Theologia Palancus circa entitatem physicæ præmotionis

VIII. *Hic autem videtur in aliam opinionem abjisse.* Et videtis jam, Domini mei, alteram istam doctrinæ inconstantiam, de qua conqueror apud vos; Palancus namque hîc agnoscit in gratia actuali entitatem accidentalem productam inexistentem, inhærentem, impressam animæ. Atque hæc est illa ipsa entitas, adversùs quam reluctante Pazzio luctor hactenus, ut hinc gradum faciam ad omnem talis, aut alterius generis entitatem accidentalem rejiciendam à vera physica notione gratiæ habitualis. An etiam hîc videbitur tibi, Domine Pazzi, sua in doctrina sibi constitisse Palancus?

IX. *Retorquetur par inconstantia circa figuram atomorum.* PAZZIUS. Si utique sibi non constitit, hinc tua sors pejor evadit, mi Rocchi. Adversarium habes, quem habuisses Patronum tuæ hujus atomisticæ opinionis: qua in re tibi tuisque Atomistis condoleo. Cæterùm nescis inconstantiam mentis sine vitio esse, quando se veriori opinioni addicit? vel fortè putas me oblitum paris inconstantiæ, per quam atomos tuas, aliqua figura olim convestitas, spoliasti recenter atque nudasti.

PHILALETHES. Meæ pariter memoriæ se offerebat, mi Rocchi, casus idem tuæ illius atomisticæ reformationis; sed salvâ pace videtur mihi tuum hoc proludium non interesse ad quæstionem agitandam de gratia habituali.

PAZZIUS. Eandem volui redarguere in te, mi Rocchi, superfluitatem proludii. Nosti opinionem hodiernam nostris Scriptoris fixam in hoc, quòd gratia actualis sit entitas quædam producta: & ais illum non sic semper sensisse: non video ad quid tuâ intersit hoc proludisse.

X. *Detegitur causa ob quam mutavit Adversarius suam opinionem.* ROCCHIUS. Ego verò miror, Domini mei, quomodo non advertitis quid velim esse vobis insinuatum per reprehensionem doctrinæ sine causa legitima sic immutatæ apud Palancum. Insinuare volui, quòd hujus mutationis non alia ei ratio fuit, quàm quòd Propheta non erat, quando verissime tunc temporis affirmabat præmotionem divi-

nam, sive quod idem est, gratiam divinam actualem non consistere in entitate producta, sed in actione quadam divina nobis impressa. Nesciebat venturos homines, qui ex illa opinione generatim inferrent nulla omnino esse accidentia spiritualia, qualia juxta mentem Aristotelicam admittuntur: & qui rursus per ordinem retrogradum inferrent pariter nulla quoque omnino esse accidentia materialia, qualia decantari passim in Scholis Aristotelicis jamdiu assolent. Nunc autem videt hoc utrumque recte atque invicte sua ex illa opinione inferri: quare ad salutem Aristotelismi ab illa discessit, consulendo, ut potest, per hanc gratiæ actualis entitatem productam de novo assertam productioni entitativæ omnium accidentium Aristotelicorum ordinis utriusque spiritualis & materialis.

XI. Opponitur nihil nobis prodesse mutationem talis opinionis

PAZZIUS. Quid ais, mi Rocchi: tuo te ore judicas, quando reprehendis doctrinam sine causa legitima mutatam, ut ais, & simul enarras causam, quâ nulla magis legitima esse aliquando pro illius mutatione potuerit. Agebatur, si tibi creditur, de salute Aristotelismi: an pro salute tam cara mutari non debuit particularis una opinio? Sed si neque adhuc videmus ad quid pro difficultate præsente prosit tua hæc accusatio æquiter, aut inique lata, quid agimus? Quid igitur, an licet gratia actualis non esset entitas producta, inexistens & inhærens animæ, ut dicimus transeunter, an, inquam, eapropter negare auderes gratiam habitualem esse entitatem productam, inexistentem & inhærentem animæ permanenter? Vide quid dicas: sacræ Bibliorum & Conciliorum paginæ hoc clamant.

XII. Aliter de gratia actuali, aliter de habituali discurrendum hic est.

PHILALETHES. Equidem novi, mi Rocchi, plures Theologos Aristotelicos valde proclives in opinionem, quæ negat gratiam actualem consistere in entitate producta; sed nihilominus tenacissimos illius, quæ affirmat gratiam habitualem entitative produci à Deo & in animæ

sinu collocari ad effectum illius regenerandæ, affiliandæ, &c. Quare saltem falleris in hoc, quod ais secuturam totius Aristotelismi ruinam ex opinione, quæ negaret gratiam actualem esse aliquid entitative productum. Potuit opinionem istam sequi aut non sequi Palancus: indifferens id fuisset ad quæstionem præsentem. Vel saltem ostende *primò* quomodo id non fuisset indifferens: ac tum *secundò* conciliabis, si poteris, vestram hanc opinionem atomisticam de gratia habituali pariter non producta cum sacris illis Bibliorum & Conciliorum paginis, quas in decursu tibi à Pazzio nostro proponi audies. Ita ne, Domini mei, annuitis hodiernum dialogum promoveri.

PAZZIUS. sic plane annuo, Domine Philalethes: quare silebo de authoritatibus sacris, quibus nostræ opinionis fidem communit Palancus, donec dixerit Rocchius quid sibi videatur esse in opinione ista redarguendum. Agedum, mi Rocchi.

XIII. Notio entitatis productæ magis pugnat cum gratia habituali, quàm cum actuali.

ROCCHIUS. Agam & in opinione ista redarguam non tantum id omne, quod redarguebam paulò antè in opinione alia vestra de gratia actuali; sed insuper aliquid amplius, digniusque redargui. Etenim valde præstantiores & excellentiores sunt effectus, quos gratiæ habituali tribuitis; & nihilominus istud accidens Aristotelicum, in cujus entitativa productione atque inhæsione constituitis hanc gratiam habitualem, est perinde cæcum & mutum ac illud alterum, per quod gratiam actualem exponitis. Unde consequitur vos Aristotelicos valde improbabiliùs de gratia habituali, quàm de actuali sentire; sed jam hoc opus, hic labor est, ubi à me tentandum est, ut pupillis tuis, mi Pazzi, videas tam clare, quàm ego meis consequentiæ hujus certitudinem summam. In id volo debeoque incumbere. Rationes efficaces ad id præstandum non desunt; sed timeo ne desit tempus explanandi efficaciam earum: quare nunc magis quàm unquam, Optime Phila-

lethes, vellem habere tuum illud donum compendii. Viam, si quam potes, mihi suggere dicendi simul multa & breviter.

PHILALETHES. Viam aliam non novi, quàm quæ est interrogandi & respondendi concise: sic enim ex paucis obiterque præoccupatis multa illico concluduntur. Sed nunquid, Domini mei, hanc nostis non? hanc iniistis rarò, si bene memini: & hæc est dialogorum utilitas, quæ in cæteris scribendi generibus non est pariter obvia. Alia mihi non est, mi Rocchi, via compendii, quo præsentem controversiam absoluere meditaris. XIV. Quæ sit via compendii pro materiis tractandis.

ROCCHIUS. Tribus itaque petitionibus tentabo rem absoluere. Fac tantùm, mi Pazzi, ut sine ullo inani verborum fluxu meis satisfiat à te his petitionibus singulis. Peto quæ sit physica entitas gratiæ habitualis: quæ sit physica productio gratiæ habitualis: & quæ sit physica operatio gratiæ habitualis. Redige, si placet, ad hæc tria vestram hujus gratiæ habitualis Aristotelico-theologicam notionem.

PAZZIUS. Gratia habitualis est qualitas spiritualis supernaturalis in animam divinitus infusa, eique inhærens & sanctificans, operando in ea justitiam & virtutes cæteras, quæ spectant ad sanctitatem complendam. Neque per hæc pauca verba non satisfieret tuis illis tribus quæsitis, nisi Atomista esses, qui soles quæstiones tuas in minutias incomprehensibles partiri; unde non rarò accidit, ut veritas quæ per se integram apparet, dispareat, quando tam partite scinditur. Quid vis ultra? XV. Affertur notio communior Aristotelica gratiæ habitualis.

ROCCHIUS. Nihil ultra. Nolo bilim tuam incendere, mi bone Pazzi, per alias mearum quæstionum minutias. Si quid aliud à te fueram quæsiturus, supplebo per memetipsum, qui Deo volente satis novi, quæ sit vestra doctrina: neque sæpè nisi ad pulchriorem ac magis familiarem dialogi formam interrogata quædam permisceo.

Sic igitur noveram anticipare hanc gratiæ habitualis descriptionem, quam attulisti: & præsentiebam fore ut hanc unam afferres ad satisfaciendum meis quæsitis. Hoc in te fuit, mi Pazzi, velle illa eludere. Saltem permitte ut intimiùs perquiram quid sit vestra illa qualitas spiritualis, supernaturalis, &c. eo nempe fine ut sciam, an sit de numero rerum, aut de numero chimærarum.

XVI. Notio qualitatis Aristotelicæ non convenit gratiæ habituali.

Ecce, Domini mei, nihil citra Divinitatem ipsam esse divinius gratia habituali asserimus: & ideo ægre ferimus notionem illius constitutam in ente accidentali prædicamentali Aristotelico, atque ita in ente mere objectivo, quod non solùm est incapax quicquam operandi, sed etiam existendi: & cui proinde non potuerit Deus committere grande hoc ac plene divinum nostræ justificationis negotium. Videte jam talis entis repugnantias non paucas. Itaque tali enti nomen affingunt *qualitatis*, quod utique nomen abstractum est, & ideo non repræsentat menti, nisi formam mere objectivam, nihilque reale superaddentem suo subjecto; qualiter Divinitas nihil realiter Deo, nihil humanitas homini, nihil spiritualitas spiritui, nihil corporeitas corpori superaddit, nihil existentia rei existenti, nihil extensio rei extensæ, nihil figura rei figuratæ, &c.

XVII. Adversarii non explicant quid sit spiritualitas, quid supernaturalitas gratiæ.

Tum illud ens vocant *spirituale*, licet in se nec spiritus sit, nec quicquam spiritûs: quare sic vocari, nisi ab extrinseco non potest, scilicet à respectu ad animam spiritualem; quid autem sit ab intrinseco ens illud, utique non dicunt, & haud dubie quia nesciunt. Addunt ens illud esse *supernaturale*; sed cur sit ita supernaturale, sive sciant, sive nesciant, rursus non dicunt; dicerentne illud ens esse perfectionis superantis omnem perfectionem Naturæ? At hoc falsum est: quandoquidem nec habet perfectionem naturalis ullius intelligentiæ. Postmodum aiunt illud ens in animam divinitus infundi; atque hîc mire cruciantur, quia infusio sine productione non fit: & hanc productionem

nem diversissime accipiunt: alii pro creatione, alii pro concreatione, alii pro increatione, alii pro inductione, alii pro eductione, &c. qua in lite non moror, ut ad id veniam, quod accumulant dicentes illud ens esse sanctificativum animæ atque ita productivum in ea justitiæ &. aliarum virtutum, sine quibus non est completa sanctitas.

Hîc moror, hîc attendo, hîc stupeo, hîc non capio plenitudinem potestatis, activitatis, industriæ à deo concessam tali enti accidentali prædicamentali Aristotelico ad productionem tot virtutum, & ideo tot entium similiter spiritualium, supernaturalium, accidentaliũ, prædicamentalium Aristotelicorum concurrentium ad sanctitatem complendã. XVIII. Effectus gratiæ habitualis non conveniunt entitati productæ.

PAZZIUS. Sed neque miror, mi Rocchi, si hæc & similia non capis: ita minute illa dividis, ut nec possint intelligi. Quare tibi, ut nobis, non sufficit rerum veritas quæ patet? latentem quæris & hæc te fugit. Deus in anima producit gratiam habitualem; & hæc semel producta producit in eadem anima virtutes, quæ illam sanctificant. Hac veritate, quæ patet, oro te, contentus esto.

PHILALETHES. Rocchius, mi Pazzi, homo est mitis & facilis in convictu; sed durus atque intractabilis in conflictu. Illum novi, non sinet ullis se precibus flecti: nunquam illum contentum vidi sola superficie veritatis; amat in illius viscera introire. Quare sine illum, ut pergat.

ROCCHIUS. Ita est: amo res introspicere. Jam itaque datâ veniâ pergendi dico, mi Pazzi, nullam in hoc verisimilitudinem esse quòd Deus aut velit, aut possit ministerio talis gratiæ habitualis, quæ supponeretur producta, uti ad productionem virtutum sanctificantium animam. Nam *primò* si Deus talium virtutum ope indigeret ad animam sanctificandam, quare non crearet eas per se ipsum in anima simul cum illa gratia? *Secundò* illa gratia creatrix esse non potest: istæ autem virtutes non possunt nisi creatione produci; quare istius productionis ministra- XIX. Et afferrur triplex ratio ad id probandum.

esse non potest. *Tertiò* nulla sunt id genus entia, qualitercunque spiritualia, qualitercunque supernaturalia, & qualitercunque immersa vel inhærentia animæ, quorum concursus videatur idoneus ad sanctificationem illius. Talis siquidem concursus sine intelligentia fieret: atque ita nullam in anima intelligentiam procrearet, sine qua non potest sanctificari, propterea quòd sanctitas consistat in affectu habituali supernaturali ad omne bonum, utique cognitum & amatum.

XX. Qualiter investigari possit vera notio gratiæ habitualis.

PHILALETHES. Hinc intelligo pendere solutionem totius difficultatis: & ideo, si mihi creditis, agite de modo, quo præmissa entia, scilicet gratiæ habitualis & virtutum ipsius comitum possint, aut non possint producere in anima talem affectum habitualem. Etenim si sanctitas est hujusmodi affectus generalis ad omne bonum, sicut etiam quælibet virtus est affectus particularis ad aliquod bonum; & rursus si affectus ille generalis omnes istos particulares complectitur; ac tandem si est verus effectus gratiæ habitualis, quæ inde vocatur *sanctificans*, non poterit solertiùs indagari vera notio gratiæ habitualis, quàm per modum, quo producere in anima possit affectum illum virtuosum universalem & simul supernaturalem ad omne bonum.

XXI. Unde possint esse in anima propensiones ad bona virtutum.

ROCCHIUS. Hac ipsa methodo usus sum in systemate meo gratiæ. Ibi à me cœptum est indagare, qualiter gratia actualis possit in anima producere propensiones actuales ad fidem, ad spem, ad amorem, ad justitiam, ad humilitatem, ad temperantiam, &c. & compertum est animam non posse in hujusmodi actus virtuosos propendere, nisi desuper erudiatur de rebus credendis, sperandis, amandis, juste, humiliter, temperanter agendis: ac simul de motivis ipsam excitaturis ad illas credendas, sperandas, amandas, juste, humiliter, temperanter agendas. Atque inde conclusi gratiam actualem totam consistere in illuminatione qua-

dam divina lucente & ardente in anima pro ipsius necessaria eruditione, de qua scriptum puto, *Beatus homo, quem tu erudieris Domine, & de lege tua docueris eum.*

Deinde verò fuit à me pariter inferendum non posse animam habitualiter propendere ad hujusmodi actus fidei, spei, amoris, justitiæ, humilitatis, temperantiæ, &c. nisi per similem illuminationem divinam & pluries repetitam, aut saltem ita intensam, ut pluribus repetitis æquivaleret. Sicque apparet omnes & singulares habitus virtuosos animæ pendere ab aliqua illuminatione habituali divina, quæ est ipsa gratia habitualis animæ impressa; scilicet *habitualis particularis* respectu ad virtutes particulares seorsim; & *habitualis universalis* respectu ad omnes collective sumptas, sive quod idem est, ad illam omnium collectionem, quæ merito *sanctitas* vocatur. Addo.... XXII. Pendent ales propensiones ab illuminationibus divinis.

PAZZIUS. Quid adderes, Domine Rocchi? Id totum, si te patienter audirem, adderes, quod continet tuum illud systema gratiæ. Mihi lectum est tuum illud opusculum; neque de illius repetitione hîc agitur. Hîc opus est, ut ex me audias modum alium valde diversum & novum, quo Palancus noster explicat ministerium gratiæ habitualis pro anima sanctificanda, sive deificanda: cùmque audieris, Arbiter noster illud tuo præferet, aut postponet. XXIII. Offertur modus alius novus explicandi gratiã.

PHILALETHES. Audiam te attente, mi Pazzi, & eo præsertim fine, ut nihil inconsiderate decernam. Habebis pariter attentum Rocchium; ad id satis est dixisse te novum esse modum, quem recitabis: ecce totus furit desiderio audiendæ novitatis, quam polliceris. Dic: quid moraris?

PAZZIUS. Dicam; sed antè mihi notandum est cum Palanco, mi Rocchi, tua illa ratiocinia, quæ affers contra nostras entitates accidentales productas sive gratiarum, sive virtutum laborare perpetua æquivocatione inter causam efficientem & formalem. Non opus est, ut causæ for- XXIV. Præsupponitur omnem causalitatem gratiæ esse formalem.

males efficientiam ullam habeant: sicque cogita in his materiis gratiarum & virtutum omnem causalitatem effectricem esse à Deo: & solam causalitatem formalem esse ab istis formis accidentalibus productis: ac proinde totum effectum gratiæ consistere in hoc, quòd anima per gratiam formaliter gratificatur, & totum effectum justitiæ in hoc, quòd anima per justitiam formaliter justificatur, &c. Hoc monitum dedit jam millies suo Atomistæ Palancus, & hîc illud repetit his verbis, *Solùm ergo illæ qualitates, aut*
Dial. 19. n. 678. *formæ multiplices constituunt formaliter in genere causæ formalis illos varios effectus*, cujusmodi sunt effectus gratificandi, justificandi, &c. *Distingue igitur*, sic pergit, *inter causam efficientem & causas formales, & evanescit tota vestra fallacia in mera confusione utriusque causæ consistens.* Quis scit, mi Rocchi, an non tibi tuisque Atomistis profutura sit tandem aliquando hæc admonitio toties repetita.

XXV. Causalitas quæ est mere formalis, non est physica, sed metaphysica.

ROCCHIUS. An errori poterimus assentiri aliquando, etiam millies repetito? Error est causalitates vestras illas formales, physicas esse: & ideo illis vestris causis formalibus accidentalibus denegamus omnem physicam entitatem productam. Sola causa efficiens physica est: effectus, de quo hîc agitur, physicus est: igitur pro illo nihil efficitis cum vestris illis causis formalibus. Sic, mi Pazzi, sic distinguendum est inter causam efficientem & causas formales. Sed ne incalescat, si placet, disputatio, super hanc distinctionem. An non dixit tibi Philalethes noster esse me indolis impatientissimæ novitatum? ¡Affer mihi novum illum explicandæ sanctificationis modum, quem promisisti.

XXVI. Contenditur pro discrimine inter causam efficientem & formalem

PAZZIUS. Sed si pendet intelligentia illius novi modi ex discrimine pariter novo, quod adhuc ponit Palancus inter causam efficientem & formalem, an taceri de isto saltem discrimine potest? Sic itaque pergit, *Et ut hu-*

jusmodi distinctionem percipere possis, si velis, nota hanc utriusque causæ differentiam, quòd causa formalis dum præstat subjecto suum effectum formalem, non se duplicat, aut multiplicat, sed eadem ipsa per se ipsam cum subjecto constituit suum effectum formalem. Tum venit ad causam efficientem & de illa sic ait. *Attamen causa efficiens, licet sui formam, aut naturam communicet passo sibi subjecto, non hoc facit, nisi se duplicando, aut multiplicando in duas vel plures, si sint plura subjecta, quibus suam formam, aut naturam communicare conatur.* Audis, concipis, mi Rocchi?

ROCCHIUS. Audis, concipis, Domine Philalethes?

PHILALETHES. Plenum mysterii est hoc discrimen: unde mirum non est, si non concipitur illico, ut auditur.

ROCCHIUS. Quod mysticum vocas, Domine Philalethes, ego minùs urbane, sed magis vere metaphoricum dicerem. At non amo in rebus physicis istas metaphoras. Quid igitur an ego non fui hactenus causa efficiens plurimorum effectuum, nec tamen unquam multiplicatum me vidi? Quin dum hæc loquor, numquid sum causa efficiens meæ vocis, neque tamen me multiplico? Ipsa potiùs causa formalis meæ vocis, id est, ut Aristotelice loquar, *vocalitas*, ipsa est quæ se multiplicat. Videte, Domini mei, quot voces in his dialogis nostris edidimus; & nihilominus qui tres ab initio fuimus, tres nec plures sub finem erimus. Sed, mi bone Pazzi, nunquamne veniemus ad novum illum nostræ sanctificationis modum, quem ex Palanco promisisti. Rumpe moras.

XXVII. Falsum est causam efficientem se multiplicare in suo effectu.

PAZZIUS. Parce moris, mi Rocchi. Quidquid præmisi de discrimine inter causam efficientem & formalem, præmitti debuit: multa sunt quæ mens non capit, nisi parata fuerit. Jam itaque tandem sto promissis. Audi Palancum. *Unde*, inquit, *cùm Deus homines Deos facit, hoc facit duplicando quodammodo Deitatem: nam per suam Deita-*

XXVIII. Affertur novus modus theologicus explicandi effectus nostræ justificationis.

tem, quæ est talis per essentiam, efficienter communicat hominibus Deitatem participatam, facitque illos Deos per quandam altissimam participationem: ubi certe resultat dupplex Deitas, una talis simpliciter & per essentiam, qua Deus essentialiter Deus est, alia participata in anima tanquam imago Deitatis increatæ, qua homines Dii per participationem constituuntur. Ac tum hanc expositionem amplificat Doctor noster similitudine ista sequente. *Et similiter cùm Deus justus homines justos facit, non facit eos justos eadem ipsa justitia, qua ipse justus est per essentiam; sed alia justitia distincta efficienter in ipsis causata, quæ est participata efficienter ex divina & increata justitia.* Jam itaque habes quod toties rogasti; & vides qualiter anima sanctificetur per duplicatam in ipsa quodammodo Deitatem.

ROCCHIUS. Imo, Domine Pazzi, nondum habeo quod rogavi: nondum quicquam obtinui, donec adhuc per te obtinuerim clariorem notitiam Deitatis in anima duplicatæ.

XXIX. Affertur exemplum petitum à generatione leonis.

PAZZIUS. Obtinebis fortè illam, mi Rocchi, per exemplum familiare, quod Palancus adjungit. *Cùm enim*, inquit, *leo efficit leonem, & quodlibet animal suum simile, non illud efficit nisi duplicando, aut multiplicando suam naturam & formam in passo, vel in pluribus passis sibi subjectis, unde illis dictum est*, Crescite & multiplicamini & replete terram.

ROCCHIUS. Sed dum ais, *obtinebis fortè illam*, &c. an non illud fortè à te de industria dictum est?

PAZZIUS. Sic plane, quia timui ne fores unus eorum, pro quibus timuit Palancus ne non suaderentur, & eapropter hîc omisit multa, quæ utinam non omisisset. *Mitto*, inquit, *innumera, quæ hîc inserere possem pro vobis explicanda doctrina Aristotelica de causa efficienti & formali: timeo enim hujusmodi laborem ad vos persuadendos fore frustraneum.* Sed *fortè*, (iterum dico *fortè*) suadebi-

Dial. 79. n. 6, 9.

mini, quia scitote, ut alibi scripsit, *non defuturos Theologos sapientiores, qui efficaciùs longe contra vestrum gratiæ systema ex locis theologicis militabunt ipsumque debellabunt.* Dial. 80. n 688.

ROCCHIUS. Ego verò nolo prædictioni prædictionem opponere. Nolo vaticinari fore aliquando Theologos Atomistas, quorum sapientia vestris illis Theologis sapientioribus prævalebit. Tantùm dico, mi Pazzi, nunquam eventurum esse, ut mihi suadeatur doctrina, quæ hîc mihi à te proponitur circa sanctificationem nostram ex Palanco, si expectanda sunt tempora, quæ sapientiorem illo Theologum ferant; illa esse remotissima conjicio & forsitan nunquam ventura.

XXX. Nulla est probabilitas in præmisso modo theologico.

PHILALETHES. Sed jam, Domini mei, non est vobis ultra in his vaticiniis aut urbanitaribus hærendum; non sic disputatio promovetur; sed sic inaniter tempus præterfluit properatque ad noctem. Tuum est, Domine Rocchi, declarare, cur tibi suaderi non sinas novum istum sanctificationis modum, quem attulit Pazzius ex Palanco: ego verò interim quæram apud memetipsum iter, quo possim vos, quamquam infinite discordes, ad idoneam consensionem perducere.

ROCCHIUS. Itaque ut obtemperem Domino Philalethi, declaro tibi, mi Pazzi, non posse ferre me prophanum illud, quod attulisti pro explicanda sacrosancta sanctificatione nostra, exemplum leonis efficientis leonem. Quid tam pura, tam spiritualia Dei sanctificantis & animæ sanctificatæ commercia possunt commune habere cum tam impuris tamque carnalibus genituris leonum? Condonarem tamen exemplum, quamquam indecens, si veritate aliqua niteretur. At nihil magis ab omni physica veritate distat, quàm quòd leo dum efficit leonem, multiplicet *suam naturam & formam in passo, vel in pluribus passis sibi subjectis.* Verum equidem est, quòd quando germen seminis leonini effusi & idonee recepti evasit in alterum

XXXI. Ostenditur quàm inutile ac indecorum sit exemplum genituræ leonum

leonem, tunc in rerum natura sunt duo leones, generans & genitus; atque ita multiplicantur leones; sed tum nec anima leonis generantis, nec corpus ejusdem multiplicatur; alia quippe anima omnino est, aliud quippe corpus omnino est leonis geniti. Quomodo igitur vere ac physice loquendo leo generans multiplicat suam naturam, aut formam? Tam nihil leonis generantis est in genito, quàm nihil geniti est in generante: ac proinde leo generans multiplex non evasit; unitatem suam retinuit: nisi potiùs unitatis suæ aliquid amisit per effusi seminis jactionem. Atque hinc patet sensus, in quo accipi debeat quod scriptum est, *crescite & multiplicamini*, scilicet per multiplicitatem individuorum, quæ multiplicitatem physicam naturarum secum importat, licet in una quadam similitudine convenientium, propter quam leonum omnium natura, licet nullatenus physice sit una, logice tamen, aut metaphysice, id est, prædicabiliter, aut prædicamentaliter dicitur una.

XXXII. Nec intelligi potest illa multiplicatio Divinitatis suæ si physice in justis.

Quare, ut vides, mi Pazzi, valde differimus, nisi præmissum exemplum leonis efficientis leonem sicque multiplicantis *suam naturam & formam*, referas ad sensum logicum, aut metaphysicum à quæstione præsente alienum. Deinde adhuc minùs fero quod audio de Deitate in nobis efficienter multiplicata, & in hunc modum à nobis participata: nam illa quæ à nobis participatur aut est illa ipsa, quæ se tradit participandam, aut non est illa ipsa, sed alia? Si *primum*: nostra Deitas esset increata & essentialis, cujusmodi est illa, quæ se tradit participandam. Si *secundum*: illa quæ se tradit participandam, & quæ videlicet increata est & essentialis, non se multiplicat. Sed neque magis multiplicare se potest justitia divina: & ideo, Domini mei, non est possibile, ut mihi placeat aliquando modus iste novus, ita crudus & ita durus explicandi nostram sanctificationem, quæ à Deo est. Sed quale tandem est illud

iter,

iter, Domine Philalethes, quo vis hæc duo capita tam dissentientia iu consensionem perducere?

PAZZIUS. Aut nullum, aut longum erit hoc iter, Domine Philalethes; & est jam diei serum, ut vides.

PHILALETHES. Si mihi non vacat ire per iter, ibo per semitam, quæ est via compendii. Audite me, Domini mei. Scriptum est. *Ego dixi, Dii estis, & filii Excelsi omnes*: quem locum interpretantur omnes Sancti Patres ac Theologi de hominibus, qui ambulant coram Deo in sanctitate & justitia. Itaque dum sancti, sive justi sumus, Dii sumus, & filii Excelsi sumus: neque alius esse potest, quàm Deus, qui nos deificet & affiliet sibi: sed neque nisi nos assimilet sibi, quomodo deificabit nos, aut affiliabit? atque ita unus est & idem modus, quo sanctificamur, quo justificamur, quo deificamur, quo affiliamur, & quo assimilamur. Assimilari autem Deo nisi per intellectiones & affectiones non possumus, quæ sunt operationes mentis & voluntatis: & quæ sunt ordinis naturalis aut ordinis supernaturalis pro effectu assimilationis aut naturalis, aut supernaturalis: de ista loquimur. Igitur quando Deus homini revelat supernaturalem aliquam veritatem speculativam aut practicam, tunc homo per suam illius veritatis cognitionem assimilatur Deo; sed nondum satis ad sanctitatem.

XXXIII. Qualiter possit intelligi præmissa multiplicatio *Psal. 81. 6.*

Pergit Deus & illi homini revelat motiva supernaturalia talis veritatis seu simpliciter credendæ, seu in praxim aliquam reducendæ; his motivis ita cognitis homo incenditur, uriturque affectu credendi & operandi, ut opus est. Intelligite postmodum hominem generatim instructum omnibus his, quibus par est, supernis affectibus ad cognitionem & operationem virtutum: sicque in eo videbitis hominem Deo assimilatum; scientem scilicet res divinas, & propensum atque ardentem pro illarum praxi; nempe proclivem ad opera justitiæ, misericordiæ, clementiæ:

XXXIV. Adhuc magis exponitur præmissa multiplicatio Divinitatis in justis.

item ad opera fidei, spei, charitatis: item ad opera humilitatis, temperantiæ, ac generatim omnis pietatis. Tandem per præmissas intellectiones & affectiones supernaturales Deus assimilat sibi hominem, affiliat sibi hominem, efficitque illum, ut Deum alterum. Hinc vides, Domine Rocchi, Deum in homine duplicatum; & hominem per hanc duplicationem Divinitatis sanctificatum, sicut aiebat Pazzius ex Palanco. An hîc aliquid reprehendis?

ROCCHIUS. Reprehendo nihil: & miror te opinionem illam crudam & duram ita digessisse ac emolliisse, ut ab illa mihi posthac non liceat dissentiri.

XXXV. Opponitur qualitur adhuc opus sit entitatibus productis.

PHILALETHES. Ecce igitur inter vos, Domini mei, consensio, quam promisi.

PAZZIUS. Pace tuâ dixerim, Domine Philalethes consensionem adhuc nullam hîc esse inter nos; quia opinionem nostram ita extranee vestiisti, ut nulla egere videatur entitate producta, quæ sit sanctitas à Deo effecta; nulla pariter entitate producta, quæ sit justitia à Deo effecta: & ita de cæteris virtutibus, quas falsum erit effici à Deo in nobis, si non sunt entitates à Deo productæ in nobis. Talium entitatum meminisse debuisti, & consensissem.

PHILALETHES. Sed, mi bone Pazzi, si meminissem illarum, quid de illis dicere potuissem, nisi nihil in illis, siquidem omnis intellectionis & affectionis expertibus esse similitudinis cum Deitate: ac proinde per eas non posse hominem Deo assimilari, & ita nec duplicari posse per eas Deitatem in homine ad illius sanctificationem, sicut aiebas. Quare per mentionem entitatum talium prætermissam opinioni vestræ favere volui.

XXXVI. Non posset anima fieri similis Deo per tales entitates.

ROCCHIUS. Ac præsertim, ut advertebam, favere illi voluisti, quando prætermisisti dicere, quòd si sanctitas hominis explicanda esset per entitatem productam, quæ illum assimilaret & affiliaret Deo, esset pariter explicanda

impietas hominis per entitatem productam, quæ illum assimilaret & affiliaret Diabolo. Hæc autem entitas esset pariter spiritualis, ideoque creata : quis, si placet, illam crearet ? an homo impius ? an Diabolus ? an Deus ? quid ais, mi Pazzi ?

PAZZIUS. Aio tempus non permittere, ut quæramus accessorias lites : hæreamus in principali, quæ est de sanctificatione, quam Deus in nobis efficit : & quam utique non efficeret; si nullam in nobis produceret entitatem quæ sit entitas sanctitatis. Atque hoc clare demonstrat Palancus his verbis. *Præterea actio Dei justificativa vel est omnino infæcunda in genere causæ efficientis, qua Deus nihil prorsus efficit, nec producit, nec operatur ad extra ; vel est in genere causæ efficientis vere factiva, productiva & operativa alicujus effectûs ad extra.* *Dial. 80. n. 688.*

XXXVII. Opponitur quòd actio Dei sanctificantis esset omnino infœcunda.

Ac tum sic pergit. *Si primum. Quis tam turpiter erravit ut diceret Deum hominem justificare per actionem omnino infæcundam in genere causæ efficientis, qua nihil efficiat, operetur aut producat ad extra ? Si secundum. Ergo ut justificet in genere causæ efficientis eget effectu à se operato, facto vel producto, quo nos formaliter justos faciat : animaque eget tali effectu in se producto vel facto, ut per illum formaliter justificatur.* Quid clariùs ?

ROCCHIUS. Clarior est Luna hæc argentea, quæ exoritur & monet nostrum festinari reditum oportere.

PHILALETHES. Oportet plane : nam hac nocte ego & Pazzius apud nostrum Mathematicum, apud quem nulla, mi Rocchi, erit tui oblivio, convivamur ; neque jam, ut opinor, sumus inexpectati. Et ecce itur valde festinanter, ut optas.

XXXVIII. Afferuntur plurimi effectus gratiæ divinæ sanctificantis.

ROCCHIUS. Quare opus est, ut ego etiam festinanter dicam errare hīc magis, quàm ullibi, Pazzium nostrum, quando putat Deum nihil in nobis efficere, si aliud nihil efficit, quàm ut ipsum cognoscamus, quàm ut ipsum

amemus, & quidquid præter ipsum amari præcipit. Si Pazzio creditur, Deus est infœcundus, licet efficiat in nobis & nostras omnes cognitiones de ipso, & nostras omnes affectiones pro ipso: pro nullo divino effectu computat consensum fidei, affectum fidei: consensum spei, affectum spei, & ita de omnibus consensibus nostris, atque affectibus virtuosis. Affectus tandem sanctitatis secum virtutes omnes habentis nihil est, nisi sit entitas aliqua producta & accidentalis prædicamentalis Aristotelica. Vult hujusmodi entitatem aliquam accidentalem, prædicamentalem Aristotelicam quæ sit justitia: aliam quæ sit misericordia; aliam quæ sit humilitas; aliam quæ sit temperantia; altam quæ sit fortitudo; aliam quæ sit fides; aliam quæ sit spes: aliam quæ sit charitas; & ita sine fine, quia divinarum virtutum & ab hominibus sanctis participabilium nullus est finis. Vult itaque fœcunditatem divinam consistere in productionibus talium entitatum accidentalium, licet alias impossibilium & inutilium ad effectus intentos, ut millies dixi.

XXXIX. Contendit Adversarius justitiam participatam esse entitaté productam.

PAZZIUS. Ut millies dixisti & nunquam probasti: nam quando quis est justus, est-ne justus formaliter per justitiam divinam essentialem? minime. Igitur est justus per justitiam participatam & accidentalem & productam à Deo: atque ita de virtutibus cæteris.

ROCCHIUS. Quando quis est justus, mi Pazzi, non aliter justus est, quàm per affectum ad opera, quæ sunt justitiæ: talis autem affectus non potest esse, sive formaliter, sive non formaliter entitas illa, quam ais productam: hæc enim entitas nec est intelligens, nec vitalis, nec meritoria, &c. ille verò affectus nec est sine intelligentia, nec est sine vita, nec est sine merito, &c. Quomodo igitur possunt vestri Aristotelici sic affectus spirituales, in quibus consistunt virtutes hominem sanctificantes, exponere per entitates productas, quæ sunt omnium affectuum incapa-


ces, omniumque perfectionum ad spiritualitatem spectantium?

PAZZIUS. Et quomodo possunt vestri Atomistæ resilire ab istis entitatibus productis, sine quibus non possunt loca sacrorum Bibliorum ac Conciliorum plurima, quæ Palancus affert, exponi salvâ fide catholica: scopulus hic est, ad quem feros fluctus omnis Atomisticæ pertinaciæ frangi oporteat. XL. Affirmat etiam multa esse loca Sacræ Scripturæ, quæ probant tales entitates.

PHILALETHES. Sed ecce, mi Pazzi, Rocchium ædibus suis reddidimus; & ire celeriter oportet ad nostrum hospitem. Vale Domine Rocchi: cras erit ad fores tuas theda mea statim à prandio, veniesque apud me, ubi consuletur de loco magis idoneo ad finiendam imperturbate disputationem, quæ cepit hodie agitari.

PAZZIUS. Vale, Domine Rocchi.

ROCCHIUS. Valete, Domini mei, sitque vobis in salutem multam longa illa cœna quæ vos expectat: mihi, cui adhuc medice vivitur, erit brevis, & uno alteroque vini haustu complebitur.





DIALOGUS XIX.

QUAM BENE SENTIANT ATOMISTÆ de gratia habituali.

Personæ Colloquentes.

PHILALETHES, ROCCHIUS, PAZZIUS.

I. Proluditur ad disputationem de gratia habituali finiendam

PHILALETHES. Amor, qui sui juris esse hominem non sinit, eripuit me vobis, Domini mei, durante biduo: amor erat rerum amici longa lite afflicti, qui ope mea suos apud judices indigebat. Sed ecce tandem vester sum hac die tertia, voluique vos in meam hanc suburbanam solitudinem esse perductos, ubi tutus erit ab omni perturbatione noster dialogus: ac tum quia illius in prolixitatem trahendi manifesto indicio sunt authoritates plurimæ, quas ad rem suam relaturum te promisisti, Domine Pazzi, aggredere, oro, statimatque sederimus.

ROCCHIUS. Parum est, Domine Philalethes, quòd Dominus Pazzius plurimas ad rem suam authoritates referendas promiserit: id condonarem, nisi etiam comminatus fuisset, & accumulandas quidem ac obdurandas in scopulum, ad quem collidi ex integro Atomismum necesse sit. Fallor: non his verbis; sed aliis, quarum memini, miniacioribus ac durioribus usus est, *Ad quem*, aiebat, *feros fluctus omnis atomisticæ pertinaciæ frangi oporteat.* An non hæc ipsa sunt verba tua, mi Pazzi.

II. Promittun.

PAZZIUS. An hæc ipsa sint, an non hæc ipsa sint,

nihil intereſt ad me, qui utique his verbis aut ſimilibus noluì, niſi expreſſam eſſe fiduciam; qua valde arbitror Atomiſtas tandem convictum iri, non poſſe videlicet ſacras illas omnes authoritates, quas lego apud Palancum, exponi ſine recurſu ad entitates deſuper productas, & animæ inhærentes, quæ conſtituant illam formaliter ſanctam, juſtam, miſericordem, fortem, temperantem, fidelem, ſperantem, &c. Videris autem, mi Rocchi, pace tua dixerim, in verbis illis meis, aut non meis rixam expiſcari velle acceſſoriam, quæ nos à principali removeat. Si veniam non habet inter nos impetus colloquendi, pereundum eſſet, ſiquidem certandum pugnis poſt verba.

tur authoritates, quibus non poſſit contradici.

ROCCHIUS. Ne iraſcaris, Domine Pazzi; nihil hîc à me dictum, niſi animi gratia, & in argumentum brevis proludii. Cæterùm claude illud & illico per authoritates, quas non jam comminaris, ſed confidis obtenturas à me palmam convictionis.

PHILALETHES. Age, oro, mi Pazzi. Noſti æmulum tuum amare proludia, & in proludiis hilaritates ac jocoſitates, quæ in longum irent, niſi per gravem tuam ſeriamque indolem illas retineres. Age itaque.

PAZZIUS. Itaque dico Palancum expreſſe inſtituiſſe dialogum ſeptuageſimum quintum ad probandum, *tanquam quid fide certum, dari accidentia ſpiritualia, præſertim ſupernaturalia & infuſa*: quæ utique ſunt accidentia gratiæ habitualis, ſanctitatis habitualis, juſtitiæ habitualis, miſericordiæ habitualis, &c. de quibus inter nos hodie ſermo eſt. Vide autem, mi Rocchi, quomodo illa probet ſuo Atomiſtæ. *Illa probo, inquit, primò ex ſacro textu, in quo frequenter reperitur aliquid nobis donari à* Deo, *quod nomine doni vel donorum exprimitur, juxta illud*, Omne donum perfectum deſurſum eſt deſcendens à Patre luminum. *Et illud ſecundæ Petri*, Magna & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes na-

III. Afferuntur tres authoritates, ſed anteà diſcuſſæ, & ideo omittendæ.

turæ. *Et illud Joannis*, Videte qualem charitatem dedit nobis Pater ut filii Dei nominemur & simus. Quas tres authoritates . . . .

Rocchius. Quas tres authoritates, mi Pazzi, omittere potuisti, siquidem inter nos nuper discussas, quum agebatur de gratia actuali; cui tu equidem tribuebas notionem entitatis productæ stabilitam in hac ipsa notione doni supernaturalis: ego verò contendebam innumera esse dona & materialia & spiritualia, quæ secum nullatenus afferunt notionem ullius entitatis productæ: meminitque haud dubie Dominus Philalethes illius nuperrimæ discussionis simul ac decreti, quod de illa tulit.

IV. Possunt esse multa donorum genera sine entitatibus productis.

Philalethes. Memini saltem promissorum, præceptorum, consiliorum, monitorum, documentorum, &c. quæ tam in ordine supernaturali, quàm naturali aiebas posse dari & recipi, quin essent entitates de novo productæ & inhærentes aut danti, aut recipienti. Nec hac in re tibi potui dissentire, sicuti nec potui apud me non inferre anticipate, quòd tam gratia habitualis, quàm actualis potest esse, uti revera est, donum divinum, & nihilominus non esse quid entitative productum, & inhærens animæ, sicut Aristotelici crasse, ut ita loquar, & materialiter cogitant. Quare ut omnis repetitio caveatur, oro te, mi Pazzi, ut velis gradum ad alia testimonia facere.

Pazzius. Memineram, Domini mei, anteactæ hujus contentionis; sed illius plenæ decisioni deerat, quod fortè accessurum hodie ominabar; sed quia non vultis aliquid repeti; quin etiam vultis caveri occasionem aliquid repetendi, obsequar & transibo ad authoritates sequentes.

Dial. 75. n. 646.

Sic igitur pergit Palancus. *Secundò quia in sacris scripturis frequenter reperitur Deum diffundere in cordibus nostris charitatem & spiritum gratia, juxta illud*, Et effundam de spiritu meo super omnem carnem. *Et illud Zachariæ*, Et effundam super Domum David & super habitatores Jerusalem

Jerusalem spiritum gratiæ. *Et illud Apostoli*, Charitatis Dei, quæ diffusa est in cordibus nostris per Spiritum Sanctum. Ex quibus testimoniis Palancus sic argumentatur. *Certe*, inquit, *id quod diffunditur in animabus, seu cordibus hominum, aliquid est re ipsa distinctum à Deo & ab anima, in qua diffunditur: non certe aliqua substantia: ergo aliquid reale accidentale, seu aliquod accidens reale realiter superadditum animæ.* An aliquid idonee responderi ad discursum ita communitum potest?

V. Ostenditur præmissa loca non posse intelligi de ulla entitate producta.

Rocchius. Responderi valde idonee potest illum discursum omnino esse immunitum, si non aliunde muniatur, quàm ex citatis locis, in quibus de accidentali vestra illa entitate Aristotelica explicatis tu & tui omnes Aristotelici erubescere deberetis. Ecce de spiritu divino scriptum est, quòd effundatur super omnem carnem: de spiritu gratiæ scriptum est, quòd effundatur super habitatores Jerusalem: & vos spiritum illum divinum, spiritum illum gratiæ affirmare audetis esse aliquam entitatem accidentalem productam, insubsistentem, fragilem, nihil intelligentiæ, nihil affectionis habentem. Sicne rem divinam, qualis est spiritus ille divinus, qualis est spiritus ille gratiæ cum re, quæ intelligentiæ divinæ, imo humanæ nihil, voluntatis nihil, sapientiæ nihil, prudentiæ ac discretionis nihil habet, confunditis? Sicne cum hujusmodi re, si quæ tamen res est, confunditis charitatem divinam, quæ diffunditur in cordibus nostris per Spiritum Sanctum?

VI. Qualiter nostra sanctificatio sit effectus operationis divinæ.

Intellige, mi Pazzi, sanctificationem nostram effectum esse operationis divinæ, operationis supernaturalis & increatæ: & ne deinceps illam tribuas operationi creaturæ ullius. Operatio divina illa est, quæ in cordibus nostris diffunditur: hanc voca *gratiam*, hanc voca *charitatem*, hanc voca *justitiam*: bene est; quia illa est, quæ nos & gratos & charos, & justos efficit: sed cave ne his titulis dones entitatem illam fictam accidentalem, quæ nec ipsa

esse ullatenus Deo grata potest, aut chara, aut justa, & ideo excellentiæ nullius est sufficientis ad efficienda in nobis opera gratiæ, charitatis, justitiæ, &c. Videris, Domine Philalethes, inclinare satis in hoc responsum.

PHILALETHES. Inclino equidem; sed nondum satis: quia fieri potest, ut authoritates, quæ afferendæ supersunt, inflectant me in partem alteram. Tantùm interim aio entitatem istam accidentalem, pro qua Peripatetici militant, esse creatam, factam & veluti constructam pro ædificio nostræ sanctificationis; quæ notiones ita infimæ valde contradicunt notioni tam sublimi, quæ in nobis est Spiritus Sancti & omnium divinarum operationum illius. Unde fit ut diffusio, si quæ est entitatis illius, non possit accipi pro diffusione Spiritûs Sancti, nisi abusive.

VII. *Favet isti nostræ opinioni authoritas S. Basilii. Lib. 5. contra Eunomium.*

ROCCHIUS. Habes, Domine Philalethes, tuæ hujus conjecturæ authorem S. Basilium, qui loquens de Spiritu Sancto, quem Deus copiose per Jesum Christum super nos effudit hoc verbum *effudit* sic interpretatur, *Effudit, non creavit; largitus est, nō fecit; dedit, non construxit, &c.* At illa entitas, si quæ est, creatur, fit, construitur. Alia igitur, quàm hujus entitatis effusio est illa, quam sacra Scriptura vocat effusionem Spiritûs Sancti, & cui debere ferri acceptam passim & ubique clamat omnem sanctitatem nostram. Et jam, si placet, perge, Domine mi Pazzi, ad reliquas Scripturæ authoritates.

PAZZIUS. Pergam, non antè tamen, quàm dixerim nihil in hoc esse inconvenientiæ, quòd simul intelligamus in anima fieri & effusionem Spiritûs Sancti, & effusionem entitatis illius spiritualis accidentalis productæ, de qua est sermo: scilicet effusionem utramque, ut par est, fieri respective ad modum diversum, quo potest fieri: sicque simul essent in anima quæ illæ effusiones, una dominans & efficiens, altera serviens & effecta. Hinc autem posset utrique illi effusioni nostra sanctitas tribui; sed aliter

atque aliter, nempe priori efficienter, posteriori formaliter. Jam pergo.

VIII. Omnino esset inutilis altera è duabus illis effusionibus.

ROCCHIUS. Perges modò, mi Pazzi, sed antè audi vanam omnino esse tuam cogitationem de illa duplici effusione: altera esset supperflua & inutilis, illa scilicet talis entitatis creatæ. Esset equidem superflua; quia cogitari nisi temere non potest operationem divinam, per quam Spiritus Sanctus sese in animam effundens vult in ea parere sanctitatem, esse insufficientem ad talem effectum, ac simul egentem subsidio alicujus entitatis creatæ pariter in animam effundendæ. Esset etiam inutilis hujus entitatis effusio ad sanctitatem in anima qualitercunque efficiendam; quia videlicet sanctitas animæ est formaliter affectus animæ ad omne bonum: talis autem entitas non est iste affectus, ut patet: item non habet quicquam commune cum isto affectu, qui rationalis, supernaturalis, meritorius est: talis autem entitas excellentiam nullam habet hujusmodi.

PHILALETHES. Poteras, mi Rocchi, superfluitatis hujus & inutilitatis exprobrationem, rem toties dictam, omittere. Noli tu ipse superflue, aut inutiliter remoram facere relationi authoritatum cæterarum. Prosequere igitur, mi Pazzi.

IX. Referuntur aliæ authoritates sacræ Scripturæ. Ibid. n. 646.

PAZZIUS. Prosequor, scilicet referendo verba ipsa nostri Scriptoris. *Tertiò*, inquit, *quia etiam in sacris scripturis frequentissime reperitur Deum justificare impium & animam sanctificare: quod omnes Patres & Theologi intelligunt, non eo sensu quòd Deus nos sanctificet formaliter per eam ipsam sanctitatem & justitiam substantialem, qua Deus sanctus est & justus, sed in genere, causa, efficientis, efficiendo nos sanctos ea sanctitate & justitia, qua nos justos facit.* Hinc autem concludit sanctitatem nostram esse sanctitatem effectam, quam utique, cùm substantialis non sit, accidentalem esse necesse. *Ergo*, inquit, *est sanctitas*

accidentalis, seu accidens reale sanctitatis, realiter animæ adjectitium ab eaque realiter distinctum. Quomodo itaque jam effugies, mi Rocchi, accidentalitatem productam nostræ sanctitatis?

X. Entitas illa producta non posset animam sanctificare.

ROCCHIUS. Si possem evadere sanctus, mi Pazzi, per talem accidentalitatem productam, non illam effugerem, sed insequerer. At scio evadere me sanctum non posse, nisi per supernaturalem animæ meæ affectum ad omne bonum: & similiter scio non posse in me accendi aliter affectum istum, quàm per splendorem & ardorem divinæ cujusdam supernæ illuminationis repræsentantis mihi omne illud bonum, & suadentis amorem illius. Fac itaque, si potes, ut talis accidentalitas producta, sit iste affectus, aut ut affectum istum commoveat repræsentando mihi bonitatem illam & amabilitatem illius cum vi ac claritate, ut par est, supernaturali, fac, inquam, hoc totum, si potes, & fatebor illico sanctitatem nostram aliud nihil esse, quàm vestram illam accidentalitatem productam. At id quomodo facere poteris, quando nec à Deo fieri potest, ut entitas omnis rationis expers aliquid aut meæ menti ostendat, aut voluntati suadeat?

XI. Anima non est sancta, nisi quatenus affecta supernaturaliter ad omne bonum.

PHILALETHES. Et hæc quoque responsio toties data est, ut præteriri potuerit. Vel præsertim, quia Pazzius surgit illico & instat dicens nihil rationis in accidentalitate illa producta requiri, quia non causat efficienter sanctitatem, sed tantùm formaliter: tu verò hanc causalitatem formalem habes pro mere objectiva: vel ais animam esse formaliter sanctam per hoc unum, quòd est affecta supernaturaliter ad omne bonum: & istum affectum supernaturalem, qui vitalis est, rationalis & meritorius, probas esse quid omnino aliud ab accidentalitate producta, de qua hîc agitur. Quem in modum videtis, Domini mei, quòd hæc & similia toties disputata repeterentur hîc inutiliter: quare oro vos non immorari deinceps in istis tam sæpe tritis contentionibus.

ROCCHIUS. Sed si authoritates, quæ afferuntur, in veterem aliquam contentionem nos trahunt, quid agendum? malo iterum contendere, quàm authoritatem in sensu aliquo reprobo intellectam admittere.

PAZZIUS. Audi, mi Rocchi, aliam novæ contentionis materiam. *Quartò*, inquit, Palancus, *quia sæpe etiam in sacro textu reperitur Deum regenerare nos in filios, nosque filios regenerari & nasci ex Deo, juxta illud*, Regeneravit nos in spem vivam, *Et illud*, Per lavacrum regenerationis. *Et illud*, His, qui ex Deo nati sunt: Tum subsumit Palancus & ait, *Atqui hoc est impossibile, nisi anima ex Deo recipiat aliquam participationem intrinsecam accidentalem naturæ divinæ, per quam fiat consors naturæ divinæ.* Ac tandem ita concludit, *Ergo hujusmodi participatio naturæ divinæ in anima recepta est verum accidens reale in anima factum à Deo & ab ipsa realiter distinctum, cùm substantia aliqua non sit.* Novam hîc habes, mi Rocchi, materiam contendendi.

XII. Pergit Adversarius referre alias authoritates. *Dial. 75. n. 647.*

ROCCHIUS. Si nova est materia contendendi, Domine Pazzi, erit, ut confido nova occasio profligandi accidentalitates illas Aristotelicas, in quibus Gens vestra Peripatetica putat consistere gratias omnes atque virtutes animam sanctificantes. Scriptum est, Domini mei, *Et creavit Deus hominem ad imaginem & similitudinem suam*: quam imaginem & similitudinem nemo est, qui non referat ad animam, siquidem spiritualem, & hac sua spiritualitatis dote intelligentem atque volentem. Unde sequitur homines esse tantò similiores Deo Creatori suo, quantò plura & altiora sunt, quæ intelligunt; quantò plura & meliora sunt ea, quæ volunt. Tum objecta ista intelligentiæ nostræ ac voluntatis spectant vel ad ordinem naturalem, vel ad ordinem supernaturalem; & hinc resultat dupplex similitudo Dei cum homine, scilicet naturalis vel supernaturalis.

XIII. Quæ sit vera ratio humanæ similitudinis cum Deo.

XIV. Quæ sit similitudo supernaturalis hominis cum Deo.

Agitur jam de ista; & de ista quidem per gratiam supernaturalis ordinis obtinenda: quare jam aio animā frui similitune ista, quando intelligit res desuper revelatas, & eas vult ex motivis etiam desuper revelatis: sic enim intelligentiæ & affectiones sunt supernaturali quodam modo similes divinis. Atque hæc est similitudo, propter quā & per quam homo venit in consortium Divinitatis, in adoptionem filiorum Dei, in jus ad hæreditatem regni cælestis, ac tandem in omnes prærogativas & excellentias, quas sacra Scriptura passim tribuit felicissimo &, ut ita loquar, divinissimo nostræ sanctificationis statui, ad quem utique refertur illud Scripturæ, *Ego dixi, Dii estis & filii Excelsi omnes*. Venio jam ad accidens illud reale productum, quod in Scholis Peripateticis vocatur *gratia habitualis*, & quod inhærere animæ reputatur ad effectum illius sanctificandæ: ac tum in illo nihil invenio præmissæ similitudinis cum Divinitate: nihil invenio intelligentiæ, nihil invenio voluntatis.

XV. Accidens creatum nihil talis similitudinis posset conferre homini.

Quid igitur talis similitudinis conferre animæ aut efficienter, aut etiam formaliter posset, licet illi ex hypothesi quantumcunque intime inhæreret? Esset utique per hanc hypothesim in sinu illius; sed ibi jaceret iners, otiosum, inutile: quare nihil ad chimæram potest propiùs accedere, quàm quod cogitatur sanctitatem nostram, quæ actuosissima propensio est ad rerum divinarum meditationem & praxim, consistere in inertia, otio, & inutilitate accidentis illius. Deinde ad hujus accidentis nullitatem clariùs concipiendam date mihi veniam hujus exempli familiaris, quod inter res humanas accipio ex patre, qui filium suum, ut pro vero filio suo agnoscat, vult illum similem sibi esse per veriorem illam ac digniorem similitudinem, quæ est notitiarum & morum. Quid agit? Erudit illum vel erudiri providet in illis ipsis artibus, aut doctrinis, quas novit. Quid ultra? Suggerit illi, vel curat suggeri à

Magistris motiva omnia, quibus incitari possit ad eadem quæ amat opera pietatis, & deinceps ad eadem quæ exercet officia sive literaria, sive mechanica, sive militaria, sive forensia, sive politica, &c.

XVI. Qualiter pater sibi assimilat e solet filium.

Qua educationis via sibi & in notitiis & in motibus illum, utut potest, assimilat; & hæc est hujus filii regeneratio quædam alteraque nativitas verior digniorque priori. Sed jam in hoc tam longo progressu totius educationis, aut in illius termino tandem obtento nullum apparet vestigium accidentis ullius Aristotelici, de cujus productione atque insinuatione in animam filii cogitaverit Pater, aut cujus productioni & insertioni filius debeat suas illas cognitiones & affectiones paternis similes: sicque tandem sine ullo tali accidente Aristotelico filius evadit doctus & pius ut pater, vel artifex, vel miles, vel Senator, vel Prætor, ut ille, &c. Neque de cætero, Domini mei, timeatis prolixitatem fusioris sermonis, quo velim applicare ad rem meam præsens exemplum.

XVII. Hinc infertur clare modus, quo Deus sibi assimilat supernaturaliter hominem.

PHILALETHES. Potes, mi Rocchi, tuo huic labori parcere. Nam uterque nostrûm splendide videt mentem, quam habes hinc inferendi Deum, postquam hominem creavit ad suam illam similitudinem, quæ est ordinis naturalis, voluisse illum præ infinito amore velut iterum creare ad veriorem ac digniorem suam illam alteram similitudinem, quam vocamus supernaturalem, & ad quam pervenit homo per lumina valde superiora sibi à Deo communicata rerum intelligendarum & agendarũ. In qua tota negotiatione Dei hominem supernaturaliter educantis, & hominis supernaturaliter educati, sicque assimilati & affiliati Deo & ut ita loquar, deificati comperdis nullam occurrere entitatem accidentalem in anima productam & ei more Aristotelico inhærentem: ac proinde nostram hanc assimilationem, sive affiliationem divinam, nostram hanc eificationem sive participationem naturæ divinæ; & mo-

verbo nostram, hanc sanctitatem habitualem non esse ullum *verum accidens reale in anima factum à Deo & ab ipsa realiter distinctum*, sicut mox loquebatur Pazzius ex Palanco.

XVIII. Arguitur, ut probetur gratiam nec esse Deum, nec animam.

PAZZIUS. Ita loquebar; nec adhuc Rocchius noster suo sub illo amne profluo verborum extinxit, ut fortè putat, difficultatem stabilitam in tot locis Sacræ Scripturæ. Ardet adhuc. Nam si aliquid in anima fit, ut aliquid in ea fieri Scriptura tam sæpe, tam clare affirmat, & id quidem fieri ad effectum illius sanctificandæ, quid illud est? Deus non est, quia utique Deus est, à quo illud fit: anima non est, quia utique in anima illud fit: igitur est aliquid, quod nempe Deus est, neque anima est: & eapropter est *verum accidens realè in anima factum à Deo & ab ipsa realiter distinctum*, ut antè aiebam ex Palanco & hîc repetitum volo.

XIX. Exponitur quid sit animam esse à Deo gratificatam.

ROCCHIUS. Et hoc amo audire repetitum à te, mi Pazzi, ut in occasione mihi sit clariùs respondendi quid sit illud aliquid, quod in anima fit à Deo, ad effectum illius sanctificandæ. Illud aliquid & est unum & valde multiplex. Illud aliquid est id, quod est animam esse ab initio præventam eruditione interna, qua Deus ipsi revelat è rebus divinis eas, quas ab ipsa vult cognosci, credi, sperari, amari; & è rebus humanis eas, quas ab ipsa vult fieri cum humilitate, cum temperantia, cum mansuetudine, &c. Est id, quod est animam esse insuper eruditam de motivis pluribus ipsi revelatis, & ipsam ferentibus ad idoneam speculationem, aut praxim respective ad res præmissas & obnoxias aut speculationi, aut praxi. Est id, quod est ipsam esse pie inclinatam & libere determinatam ad nihil omittendum ex rebus illis omnibus, quas didicit debere se speculari, aut agere. Est id, quod est ipsam hac determinatione præmissâ esse constanter promptam atque proclivem ad omnes actiones correspondentes

revelationibus

revelationibus præmissis. Est id quod est ipsā per suam hanc promptitudinem & proclivitatem esse affectam ad omne bonum, & ita suos habere affectus divinis similes. Est id quod est ipsam per affectus divinis similes renovari, regenerari, nasci ex Deo, affiliari, adoptari à Deo, deificari tandem, seu naturæ divinæ consortem fieri.

Hæc omnia sane multa, & alia multò plura, quæ possem persequi, fiunt à Deo in anima, nempe ad effectum ipsius sanctificandæ; & tu, mi Pazzi, adhucne quæres quid illud sit, quod in anima fit à Deo? Quæres utique: quia totam hanc negociationem Dei animam illuminantis suaque hac illuminatione incendentis ad omne bonum, & animæ obedientiam, qua se pie ac humiliter sinit illumina ri & ad illud omne bonum incendi, qua se ad illud promptam exhibet, & constantem, & qua se Deo totam devovet in significationem grati animi pro tot beneficiis, quibus se ab illo cumulatam agnoscit, totam hanc, inquam, negociationem sanctissimam pro nulla re computabis, si nullum in ea vides accidens reale productum, licet aliàs ineptissimum ad initium & progressum & finem hujus negociationis totius. XX. Et hæc omnia fiunt sine ope ullius accidentis producti.

PHILALETHES. Nimis exardescis, mi Rocchi.

ROCCHIUS. Imo quis potest nimis exardescere, Domine Philalethes, in conspectu opinionis, propter quam vir Aristotelicus putaret se beneficium nullum accipere posse à Deo, nisi acciperet aliquod accidens reale, scilicet de genere illorum, quæ in scholis Aristotelicis propugnantur. Quare supponite mecum, si placet, hominem, qui lapsus sit in præcipitium & ibi misere periturus est, nisi retrahatur illinc à socio, qui labentem vidit. Quid agit socius? Currit ad villam proximiorem, mutuatur funem, affert & offert unum illius caput homini pereunti; hic applicat se funi, attollitur & redditur margini, unde ceciderat. In hoc casu Philosophus Atomista considerat XXI. Hæc veritas ostenditur exemplo familiari.

beneficia multa, quæ homo ille periturus referre accepta debeat socio. Non tantùm illi admovit funem, sed hortatus est bono animo esse; modum suggessit, quo se tutiùs applicaret funi; totis viribus ad attollendum illum incubuit, nullisque conatibus pepercit, ut illi vitam servaret. Tum illi congaudet, quod è periculo tanto evaserit; si quæ habet vulnera, statim alligat; si quæ patitur animi deliquia, refocillat; ut prætereа taceatur de beneficiis externis, relatis scilicet ad personas, cum homine liberato conjunctas.

XXII. *In hoc casu apparent multa beneficia sine productione ulius accidentis.* Liberator enim, dum servat suo socio uitam, servat uxori maritum, filiis patrem, nepotibus avunculum, civibus concivem, principi subditum, &c. Videte, Domini mei, quot in uno beneficio beneficia sunt. Jam verò Philosophus Aristotelista inattentis omnibus istis beneficiis à socio liberatore socio liberato collatis quæret quid illud sit, quod liberator fecit in liberato. Et quia nihil ab illo in isto factum deprehendit, nisi quòd illius ubicationem mutavit, quando illum è loco humili in altum extulit, ideo universa illa beneficia redigit ad hanc unicam superiorem ubicationem productam. Iterumne jubebis, Domine Philalethes, ut non exardescam, quando video Aristotelicos adhuc peiùs discurrentes in casu justificationis, in quo nihil respectu animæ, aliàs perituræ, arbitrantur aliud fieri, nisi quòd Deus in illius sinu ponit unum quoddam accidens Aristotelicum: & ecce universa Dei erga hominem beneficia, quæ pene infinita sunt, ad unius accidentis Aristotelici productionem reducta.

PHILALETHES. Nolo, mi Rocchi nolo immiscere me tuis istis ardoribus: malo illos Domino nostro Pazzio temperandos deserere.

XXIII. *Affertur authoritas Conc. Tridentini.* PAZZIUS. Illos temperabo, si potero, per authoritatem Concilii Tridentini explicantis casum justificationis & decernentis quid in eo fiat. In hoc itaque Concilio

decernitur justificationem impii fieri, *dum ejusdem*, (hæc sunt verba ipsa Concilii) *sanctissimæ passionis merito per Spiritum Sanctum Charitas* Dei *diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur atque ipsis INHÆRET; unde in ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo Fidem, Spem & Charitatem.* Nota, si placet, Domine Rocchi, hanc vocem INHÆRET, & vide qualiter Palancus eam ideo providit majusculis characteribus imprimi. Deinde pergit & refert ex capite septimo ejusdem sextæ sessionis, *Quòd justificatio non est sola peccatorum remissio, sed sanctificatio & renovatio interioris hominis per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ejus.*

Sess. 6. c. 6.

ROCCHIUS. Da, si placet, librum, mi Pazzi.

PAZZIUS. Illum accipe. An suspicaris in me vitiatam lectionem verborum?

ROCCHIUS. Absit hoc à me, mi Pazzi: tantùm videre volui an Palancus etiam providisset istis postremis verbis characteres majusculos, ad ostendendam scilicet clariùs in illis accidentalitatem aliquam productam. Itaque si tibi tuoque Palanco creditur, nullum superest Atomistis propter hanc utramque relatam Cõcilii declarationem spiraculum vitæ. Ego verò in omnibus & singulis verbis utriusque hujus declarationis relatæ video extinctionem Aristotelicæ Philosophiæ vestræ plenariam: & eapropter advertitis me, Domini mei, ex iracundo derepente in hilarem commutatum, quando ibi Atomistis salus est, unde ruina potuisset timeri. Tantùm, oro, audite me patienter. Itaque juxta Concilium Tridentinum accidit in casu justificationis humanæ, quòd *charitas Dei diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur*: hæc autẽ charitas aut non est charitas Dei, aut est aliqua operatio Dei secretiùs atque intimiùs, utut fieri potest, in animam illabentis; quæ equidem operatio inde *charitas* vocatur, quòd per eam velit ostendere, quantùm sibi chara sit anima; quam admirabili lumine suæ

XXIV. Sed authoritas Concilii favet potiùs Atomistis.

illius secretioris atque intimioris operationis illustrat, instruit, adornat, atque in speciem divinitatis alicujus commutat.

XXV. Qualiter charitas Dei vere inhæreat animabus nostris.

Hanc autem charitatem Dei affirmat Concilium *inhærere* cordibus eorum, qui justificantur; ut nimirum præmissæ divinæ operationis illuminantis simul atque inflammantis, quæ charitas est, probet constantiam & permanentiam in sinu animæ: atque ita subindicet discrimen gratiæ actualis, quæ diffunditur & transit, à gratia habituali, quæ diffunditur & manet; lux prioris est instar fulguris transeuntis: lux posterioris est instar lucis affixæ atque ideo *inhærentis*. Affirmat simul Sanctum Concilium hanc charitatem Dei diffundi *per Spiritum Sanctum*, nempe ut pro hujus amantissimæ diffusionis singulari authore atque ministro assignet hanc tertiam Sanctissimæ Trinitatis Personam, cui de more ac consuetudine Scripturarum characteristice tribuuntur universa ministeria divini amoris. Cæterùm constat opus nostræ justificationis esse opus Trinitatis totius, quia scriptum est. *Si quis diligit me, sermonem meum servabit, & pater meus diliget eum & ad eum veniemus & mansionem apud eum faciemus.* Cujus loci non tacebo, si placet, interpretationem, quæ est S. Augustini, & ad rem meam omnino. *Deus Trinitas*, inquit, *Pater, Filius & Spiritus Sanctus veniunt ad nos, dum venimus ad eos; veniunt subveniendo, venimus obediendo; veniũt illuminando, venimus intuendo; veniunt implendo, venimus capiendo, &c*

1. Joan. 14.

Aug. Tract. 76. in Joan

XXVI. Exponitur adhuc magis quæ sit diffusio Spiritus Sancti in nobis.

Sic enim clare intelligitis, Domini mei, charitatem illam Dei, quæ *per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur*, esse aliud nihil, quàm multiplicem operationem divinam, quæ gratuita est & hinc gratia est: & hæc aut illa gratia est & vocatur, prout animam diversimodè afficit in ordine ad virtutes diversas. Sic illa secreta & intima operatio divina prout animam perducit ad virtutem Fidei, est & vocatur *gratia fidei*; prout perducit ad virtutem spei, est & vocatur *gratia spei*;

prout perducit ad virtutem charitatis, est & vocatur *gratia charitatis*; atque ita de virtutibus cæteris & de gratiis ad illas cæteris, pro quarum inductione magis stabilienda, attendite, si placet, ad id, quod legitur in Proverbiis, c. 4. 18. *Justorum autem semita, quasi lux splendens, procedit & crescit usque ad perfectam diem.*

XXVII. Qualiter charitas illa Dei sit lux splendens.

Unde concipitur charitatem illam Dei, quæ *per Spiritum Sanctum diffunditur in cordibus eorum, qui justificantur*, esse lucem illam splendentem, procedentem & crescentem *usque ad perfectam diem*, quæ est perfecta sanctitas; sed tum illa lux ita splendens, ita procedens, ita crescens, ille ipse est splendor, de quo Propheta Regius canebat, *Et sit splendor Domini Dei nostri super nos*, & quem D. Chrysostomus sic exponit, *Unus quidem est splendor*, inquit; *sed in nos immissus*, id est, infusus, inhærens, immanens, *multos splendores producit, splendorem eleemosynæ, splendorem temperantiæ, splendorem hospitalitatis, splendorem amoris fraterni, &c.*

D. Chrys. in orat. de cæco.

XXVIII. Et sic clariùs jam exponitur authoritas Concilij Tridentini.

Quæ omnia, licet cursim dicta, si paululum attendantur, satis insinuant qualiter accipi debeant verba sequentia Concilij affirmantis quòd *in ipsa justificatione hæc omnia simul infusa accipit homo per justificationem, Fidem, Spem, & Charitatem*; id est, gratiam fidei, spei, & charitatis. Satis etiam insinuant sensum legitimum declarationis alterius Conciliaris, nempe quòd justificatio fiat *per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ejus*: quatenus gratia, quæ suscipitur, est generatim splendor ille divinus, de quo jam aiebam, & dona gratiæ sunt omnes illi virtutum splendores particulares, quos jam enumerabam. Sed quia tandem omnes gratiæ in unum collectæ non justificarent hominem, si homo renueret illas admittere: imo nisi pie atque humiliter illas admitteret, eapropter meritò declaratum fuit justificationem in homine fieri *per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ejus.* Nec addo plura: fere halitus deest.

XXIX. Charitas Dei diffusa non est entitas producta, sed est operatio divina.

PHILALETHES. Satis multa & satis animose dixisti, Domine Atomista. Quiesce igitur; ego verò interim pro more ac genio meo experiar dare formam aliquam breviorem tuæ amplificationi. Si tuam itaque mentem bene capio, totum id quod dixisti, ad hæc duo reducitur. *Primum* est, illam Dei charitatem, quam Concilium ait diffundi in cordibus eorum, qui justificantur, atque ipsis inhærere, intelligi non debere de ulla entitate accidentali producta: quia videlicet illa entitas nihil esset Dei, & ita non esset Charitas Dei: tum nec in se ipsa esset chara Deo, neque nos Deo charos efficeret: quomodo enim id præstaret? Atque ita nullo titulo esset, nullo titulo vocaretur *Charitas Dei*. *Secundum* est, quòd illa charitas Dei, sive charitas divina nihil proinde aliud sit, quàm operatio quædam divina intimior, inhærentior, constantior, qua Deus suam erga nos charitatem demonstrat per cõmunicationem supernaturalis cujusdam ferventis splendoris, tum generalis, animam perducentis generatim ad omnem virtutem: & hæc est gratia generatim accepta: tum particularis animam urgentis ad virtutes particulares: & hæc est, alia quidem gratia fidei, alia gratia spei, alia gratia charitatis, alia gratia temperantiæ, & sic de virtutibus cæteris, ad quas omnes plus minusve necesse est promptum & proclivem esse hominem vere sanctum.

XXX. Ad sanctificationem nostram opus est susceptione voluntaria gratiæ.

Atque in hoc sensu apertissime verificatur, qualiter homo vere fiat sanctus per voluntariam susceptionem gratiæ & donorum ejus: quæ voluntaria susceptio est voluntaria correspondentia animæ ad illam Dei charitatem, quæ ipsi infunditur & inhæret, exhibita per affectus voluntarios, & per actus ex his affectibus voluntariis prodeuntes. In quibus omnibus sive gratiis ex parte charitatis divinæ, sive correspondentiis ex parte animæ, nullum esse vestigium contendis, mi Rocchi, ullius accidentis realis in anima facti à Deo & ab ipsa realiter distincti: quod est, Domini

mei, grande atque unicum caput hodiernæ vestræ contentionis. Sed jam quæro, Domine Rocchi, an ego in hoc meo compendio bene assecutus sim mentem tuæ amplificationis.

ROCCHIUS. Bene omnino, Domine Philalethes; neque si voluissem ego ipse illam abbreviare, id ad rem & mentem meam præstitissem concinniùs.

PHILALETHES. Itaque gratulor mihi, quòd ad rem & mentem tuam ita prope accesserim. Sed jam inter nos dictum sit; quis te interpretem sacri Concilij Tridentini constituit, mi Rocchi? An nescis Authores Catechismi Romani delegatos ad illius interpretationem fuisse. Hi sunt judices, quos ego & tu & quotquot Catholici sumus, audiendos habemus. XXXI. Audienda est interpretatio Catechismi Romani potiùs quàm nostra.

PAZZIUS. Et eapropter, Domine Philalethes, sprevi non semel apud memetipsum & risi longam illam seriem variarum interpretationum, quas modò Rocchius attulit; sed quas, si sapit, debet submittere judicio Catechismi Romani. Tune putabis, mi Rocchi, non esse præponderaturam hanc unam interpretationem catechisticam & ab universali Ecclesia receptam tuis illis tam multis tamque novis adinventionibus atque studiis, quibus tentasti deflectere ac detorquere in sensus atomisticos unam alteramque præmissam declarationem Concilij Tridentini? Non habes, ut novi, adeò instantem spiritum. Quid ergo ages? Quam, ut hoc primum sciam, habes opinionem de authoritate Catechismi Romani?

ROCCHIUS. Opinor authoritatem illius esse humanam, sed valde indeclinabilem; quare illi obnoxium me agnosco; licet, ut bene nosti, mi Pazzi, non defuerint Theologi, qui utique illi absque ullo periculo fidei, absque læsione ulla rationis posse in multis contradici asseruerint, ac revera contradixerint. Sed ab his controversiis discedo, vel præsertim quia tu ipse videbis celebres illos XXXII. Contenditur catechismum Romanum isti atomismo favere.

Catechiſmi Romani Scriptores, ſive ſcientes, ſive neſcientes, Atomiſmo noſtro faviſſe. Neque hoc mirum eſt, ſi opus eſt & omnia Concilia, & omnia illorum legitima interpretamenta veritati ſervire.

PHILALETHES. Ad rem, ſi placet: & fac ut legam ego ipſe, mi Pazzi, authoritatem, quam Palancus affert ex Catechiſmo Romano, Verba hæc ſunt. *Eſt autem gratia, quemadmodum Tridentina Synodus ab omnibus credendum, pœnâ anathematis propoſitâ, decrevit, non ſolùm per quam peccatorum ſit remiſſio, ſed divina qualitas in anima inhærens ac veluti ſplendor quidam & lux, quæ animarum noſtrarum maculas omnes delet, ipſaſque animas pulchriores & ſplendidiores reddit. Atque id ex ſacris litteris aperte colligitur, cùm gratiam effundi dicant, &c.*

Cap. de bapt. Sacram.

XXXIII. Quæ ſint prærogativæ gratiæ habitualis ex Catechiſmo Romano.

Itaque ſi hanc authoritatem bene capio, per eam decernitur gratiam ac præſertim habitualem, de qua eſt ſermo, has quatuor eximias prærogativas complecti. *Prima* eſt, quòd ſit qualitas divina. *Secunda* eſt, quòd in animæ inhæreat, *Tertia* eſt, quòd deleat animæ maculas. *Quarta* demum eſt, quòd animam pulchram reddat & ſplendidam. Nunquid ita eſt, mi Pazzi.

PAZZIUS. Plane ita eſt, Domine Philalethes, & hinc meritò concludit Palancus admitti debere aliquod accidens ſpirituale reale productum, cui quatuor illæ prærogativæ poſſint convenire; hujuſmodi autem accidens erit gratia illa, de qua Catechiſmus Romanus Concilii Tridentini fidus interpres affirmat, quòd ſit *divina qualitas in anima inhærens ac veluti ſplendor quidam &c.*

XXXIV. Tales prærogativæ non conveniunt accidenti creato.

ROCCHIUS. Ego verò, Domini mei, contendo quòd hinc veriùs concluſiſſet Palancus gratiam à Concilio Tridentino ſtabilitam & à Catechiſmo Romano explicatam non conſiſtere in ulla entitate accidentali reali producta, cùm impoſſibile omnino ſit ullam hujuſmodi produci, cui præfatæ illæ quatuor prærogativæ, vel etiam leviſſimæ

levissimæ quaruor talium prærogativarum umbræ conveniant. Incipio à prima.

PAZZIUS. Sed antè audies, si placet, rationem fundamentalem, qua permotus fuit Scriptor noster ad illam Aristotelicam conclusionem. *At ista qualitas,* inquit *non est nihil, nō est qualitas increata. Est ergo qualitas producta & creata, tanquam quadam participatio Divinitatis in anima inhærens, ipsamque pulchrā & splendidam formaliter constituens.* Dial. 80. N. 680.

XXXV. Agitur de singulis illis prærogativis seorsim.

ROCCHIUS. Audio Scriptorem vestrum tribuere adhuc tali qualitati, quòd sit *participatio Divinitatis:* sicque adiicit quintam gratiæ prærogativam cæteris insigniorem, & quam ideo longe impossibilius est convenire ulli entitati accidentali productæ. Sine jam ut de prærogativis istis loquar ex ordine. De *prima* dico, mi Pazzi, te non satis ad Aristotelismum tuum attendere, quando contendis posse tribui tali entitati accidentali productæ nomen *divinæ qualitatis.* Qualitas, qua, ut præclare definitis, quales efficimur, nec est, nec esse dicitur, nisi subjecti ejus, in quo est; entitas autem illa in Deo non est; & ideo saltem hoc titulo qualitas *divina* non est. Tum an erit *divina* titulo perfectionis alicujus ad aliquam perfectionem divinam valde accedentis? At hoc minime: cùm enim intelligens non sit, quid habere commune potest cum quibuslibet perfectionibus divinis, quæ suo ex conceptu in intelligentia radicantur & illius aliquid complectuntur? An aliquid in se habet entitas illa divinæ sapientiæ, divinæ justitiæ, divinæ omnipotentiæ, ? Quid ergo Diviniratis habet, ut dici *divina qualitas* possit? At inquies, nunquid saltem à Deo est? nunquid hinc saltem divina est? Sed anima etiam nunquid à Deo est? nunquid saltem hinc divina est? Ad quid ergo eget entitate illa, quæ si divina est, multò minùs divina est?

XXXVI. Secunda perinde ac pri-

Venio ad *secundam* gratiæ prærogativam, quæ est *inhærendi animæ*, & dico neque hanc posse propriam esse ulli

ma non potest convenire accidenti producto. entitati accidentali productæ, qualem cogitas, mi Pazzi, animæ inhærere. Ratio petitur ex eo quòd hæc inhæsio, si quæ est, iners non est & otiosa, sed vivida & actuosa; vel præsertim quia destinata est ad delendas animæ maculas, & ad illius pulchritudinem adornandam: qui utique effectus nobilissimi ac præstantissimi sunt, nec esse possunt, nisi ab activitate animam immutante. Sed neque potest insignissima hæc immutatio esse alia, quàm motum & affectuum animæ; hujusmodi autem illa entitas inhærens nullius esse potest activitatis convenientis ad mores & affectus animæ immutandos; non enim mutantur sine deliberatione, nec deliberatio fit sine prævia rei deliberandæ notitia; item sine notitia motivorum ad illam ita deliberandam ferentium. Talem autem notitiam parere in anima nullatenus potest entitas illa, quæ notitiæ omnis expers est, etsi contra rei veritatem supponeretur in anima inhærere. Igitur *secunda* hæc gratiæ prærogativa, quæ est *inhærendi animæ* ad effectum ipsius sanctificandæ, convenire non potest ulli entitati accidentali productæ, qualem Aristotelici admittunt & vocant *gratiam habitualem*.

XXXVII. Quæritur qualiter accidens productum deleret maculas animæ. *Tertia* gratiæ habitualis prærogativa est, *quòd deleat animæ maculas*; sed antequam in hoc incumbam, ut probem hanc vim plane mirabilem *delendi maculas animæ* propriam esse non posse ulli talium entitatum accidentalium, etiam spiritualium, productarum, quas Aristotelismus propugnat, vellem, Domine mi Pazzi, ex te audire, aut per te ex Palanco brevem aliquam descriptionem modi, quo vestra illa entitas accidentalis producta, cui tribuitis esse ac vocari *gratiam habitualem*, deleat maculas animæ. Nam si modum affers hujus deletionis idoneum, muto sententiam.

PAZZIUS. Si attendisses, mi Rocchi, ad superiorem expositionem catechisticam gratiæ, ibi vidisses modum, quem quæris ex me, aut per me ex Palanco audire; ibi

didicisses gratiam habitualem lucem esse ; & hæc est lux *quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit.* Quid vis ultra?

ROCCHIUS. Lux illa, de qua sic affirmas, quòd animarum nostrarum maculas deleat, novus est meæ curiositatis fomes, mi Pazzi ; jam enim præterea quæro à te qualiter vestra illa gratia habitualis consistens in entitate accidentali producta, qualiter, inquam, sit lux ; & qualiter ista lux deleat animarum nostrarum maculas omnes : sicut deinceps rogabo, qualiter illas reddat *pulchriores & splendidiores.* Ne dedigneris hæc omnia mihi elucidare : hac enim una via potes me in tuam illam de gratia producta opinionem pertrahere. Quid tam seriò tamque diu manu fronti admotâ cogitas? XXXVIII *Et rursus qualiter accidens illud productum esse lux possit.*

PAZZIUS. Cogito ac recogito si fortè alicubi Palaucus aliquid scripserit, unde satisfieri possit tuis his curiositatibus importunis : & ecce memoria nihil suggerit. Ego verò his talium subtilitatum perscrutationibus nunquā me addixi: & esse malui sicuti cæteri confratrum meorum Theologorum, quibus satis est pie credere gratiam habitualem esse qualitatem divinam, & in anima inhærere, & ipsam illustrare, & ipsam mundare, & ipsam decorare, & in ipsa tandem præstare mirabilia multa his consimilia ; sed de cætero circa modos occultos causalitatis tam multiplicis tamque sublimis nihil inquirunt. Dic tu ipse, cui lectum est quidquid scriptum est, dic, Domine Philalethes, si meministi, quis nostrûm sese modis illis revelandis aliquando applicuit? XXXIX. *Negligunt Theologi Aristotelici parès curiositates inutiles.*

PHILALETHES. Nemo, quem sciam, de illis expresse scripsit, Domine mi Pazzi ; sed hoc haud dubie ita omissum est propter difficultates, quas quisque vidit insuperabiles. Agamus bona fide : quis enim comprehendere potest modum, quo creatura non-intelligens possit in alia intelligente ita se gerere, ut illam ex intelligentia naturali XL. *Anima non potest fieri intelligens per creaturam non intelligentem.*

elevet ad intelligentiam supernaturalem, qua perducatur ad supernaturales affectus, secum importantes & animæ conferentes formam aliquam Divinitatis, præter cæteras innumeras perfectiones talis formæ comites & sequaces. Gratiam, ex hypothesi quòd sit entitas producta, cogitamus in anima, (si à rebus corporalibus potest ad res spirituales transferri aliqua similitudo,) qualiter gemmam infixam auro: tum si aurum esset intelligens, & gemma intelligens non esset, quid, licet etiam penetraret totum, quid intelligentiæ posset illi conferre? Quid claritatis & evidentiæ posset illi communicare ad elevandam ejus intelligentiam? Quid persuasionis posset illi suggerere ad novam voluntatem ex nova intelligentia secuturam?

XLI. Et ideo gratia habitualis non consistit in entitate producta.

XLI. Has itaque ac multò plures difficultates patitur sensus physicus, in quo Theologi Aristotelici accipiunt gratiam habitualem pro entitate accidentali producta; quia sic necesse est, ut gratiæ habitualis prærogativæ omnes omnino isti entitati conveniant: & aliunde modus, quo convenire possint, valde ignoratur. Quare, si sapimus, mi Pazzi, convertamus nos ad Rocchium & ab illo impetremus, ut ipse nobis declaret sensum alium physicum, in quo Theologi Atomistæ gratiam istam accipiunt, & in quo præfatas prærogativas illi à Catechismo Romano ad mentem Concilii Tridentini attributas explicant independenter ab omni entitate accidentali producta. Etenim non est dubium, quin inter duo systemata gratiæ pro veriori, aut saltem pro verisimiliori habendum sit illud alterum, quod intelligibiliori modo & vires & dotes gratiæ qualescunque assignabiles exponit.

XLII. Alius quæritur modus explicandi gratiam habitualem.

XLII. Quare, mi Rocchi, quod paulò antè rogabas Pazzium, ut breviter tibi describeret modum, quo gratia Aristotelice accepta delet maculas animæ, hoc ipsum te rogatum volo de hac ipsa gratia considerata in vestro illo physico atomistico sensu, quem toties dilaudasti & tam alte supra

physicum alium sensum Aristotelicum extulisti. Atque ut complete rogatui meo respondeas, fac, si placet, ut de cæteris etiam gratiæ prærogativis te audiamus; sed age breviter: instat enim, ut advertitis, Domini mei, hora cœtûs solvendi.

ROCCHIUS. Multa simul rogas, Domine Philalethes, & breviloquium jubes: possumne obsequi? obsequar tamen, ut potero.

PAZZIUS. Ad hoc breviloquium, mi Rocchi, non parum conferet, si volueris non intricare sermonem tuum per hujusmodi voces ad nauseam repetitas *physicum, physicam, physice*, quas Palancus in Atomista suo ferre non poterat, & de quibus ait, quòd *in controversiis theologicis & dogmaticis abesse deberent illa syncategoremata* physicum *&* physice, *& illorum loco poni* vere, realiter, revera, *præsertim quando agitur de rebus spiritualibus & supernaturalibus, de quibus mera Physica non judicat, nec ad Physicam spectat, nisi ut subordinatur veritatibus revelatis.* Et ideo favorabilior erit etiam apud me tuus hic sermo, si afferens modum, quo gratia aliquid operatur, aut sensum in quo illam accipis, non addes *physicum*; sed adde, si volueris, *theologicum*, *verum*, *realem*, aut quid simile: sicque cautum fuit Palanco, uti quando ab Atomista suo quærebat, *An illa qualitas divina inhærens animæ in sensu theologico, vero & reali sit vera realitas in anima producta, distincta à realitate & entitate substantiali ipsius animæ, vel non.* Loquere jam, utere monito meo, & audiam te libenter.

XLIII. Sunt voces, quas Adversarius non patitur. *Dial.* 8e. n. 682.

ROCCHIUS. Loquar; sed proloquar, Domine mi Pazzi, risisse me apud me quum audivi tuam illam breviloquii formam: si dixero *realiter* brevis sum: si dixero *physice* prolixus sum. Si dixero *physice*, displiceo tibi & Palanco; si dixero *realiter*, placeo utrique. Quid hoc est? video quid hoc sit: vellet vestrûm uterque, si posset, Physicam in rebus Theologicis tractandis è numero

XLIV. Possunt tamen tales voces indifferenter usurpari.

ſcientiarũ delere. Cæterùm ſi apud nos idem eſt *phyſicum ac reale*, quid vos perturbat, quando modum aliquem, quando ſenſum aliquem vocamus *phyſicum*? Pro τῷ *phyſicum* ſubſtituite *realem*, ſi vultis; nihil intereſt; ſed intereſt ut ſciatis modos omnes, quibus vera gratia operatur, & ſenſus omnes, in quibus vera gratiæ notio accipitur, *phyſicos* eſſe, id eſt, reales: ac proinde ad Phyſicam pertinere, ut inquirat quis ſit phyſicus ſenſus, in quo vera notio gratiæ accipi debeat, & quæ ſit vera illius operatio phyſica. An fortè res ſpirituales, & res ſupernaturales non habent naturam ſuam? An fortè non habent ingenitam vim agendi & patiendi? Habent utique. Poſſunt igitur conſiderari per Phyſicam, imo conſiderari per illam debent, ne dum nimis abſtractè aut metaphyſice conſiderantur, tales conſiderationes abeant in chimeras.

PHILALETHES. Retineo te, mi Rocchi: alioquin tuum illud, quod mihi pollicebaris, breviloquium periit.

XLV. *Ex notione gratiæ paternæ humanæ conſcenditur ad divinam.*

ROCCHIUS. Non periit, Domine Philalethes: aut ſi quid illius per digreſſionẽ invitam periit, per artem aliquã compenſabo. Ars mea hæc erit. Cogitate in humanis patrem, qui filium pravis moribus corruptum vult ad frugem bonam revocare. Quid agit? conſiliis, promiſſis, minis, omnibuſque documentis ac motivis perſuaſoriis fortiter, ſuaviter, conſtanter, quandiu & quibus poteſt, illius & illuſtrat mentem & agitat voluntatem. Quid accidit? Filius ita eruditus, ita commotus priorem vitam cum meliore commutat, & actus pariter ac affectus imitatur paternos. Sic gratiam humanam & paternam pinxi, quæ quidem eapropter eſt qualitas patris, inſinuata in animam filii, eique inhærens lucis inſtar atque ſplendoris delentis maculas prioris vitæ, & novam pulchritudinem inducentis. Jam verò ex hac debili fragilique imagine humanæ hujus gratiæ, quam deſcripſi, conſcendo ad divinam, quæ illam dexteritate, ſuavitate, fortitudine, claritate, conſ-

tantia, &c. tam infinite præcellit, quàm Deus hominem.

Itaque si Deus per se intime atque immediate præstat in anima plus luminis, plus persuasionis, plus impulsionis, quàm præstari ab omnibus creaturis intelligentibus posset, num hic habemus operationem divinam, quæ gratuita est & inde gratia est: quæ rursus vim omnem illuminandi, persuadendi, impellendi naturalem excedit, & inde supernaturalis est? sicque anima supernaturaliter illuminatur, persuadetur, impellitur, & si libertate sua non abutitur, utitur divinis illis omnibus præventionibus ad exuendum omnem affectum nequitiæ; sicque per illas præventiones sancte afficitur, seu, quod idem est, sanctificatur. Redeamus jam ad catechismum Romanum determinantem ex mente Concilii Tridentini, quòd gratia sit *divina qualitas, in anima inhærens ac veluti splendor quidam & lux quæ animarum nostrarum maculas omnes delet, ipsasque animas pulchriores & splendidiores reddit*: & perpendamus an non conveniant præmissæ supernaturali operationi divinæ prærogativæ istæ omnes, quæ gratiæ ac præsertim sanctificanti tribuuntur.

XLVI. Illuminatio divina infinities perfectior est quàm humana.

Tantùm advertite animam per actus, multòque magis per affectus pravos obtenebrari, maculari fierique deformem, & illico videbitis absque ope fusioris interpretationis in præmissa operatione divina gratiam illam, de qua Catechismus Romanus pronunciat, quòd sit *divina qualitas, in anima inhærens, &c.* Operatio hæc Dei qualificat Deum sanctificantem, habetis hîc qualitatem divinam: afficit animam intime ac constanter, habetis hîc inhæsionem qualitatis illius: ac tum in hoc quòd talis operatio apud animam splendeat, & probos affectus aboleat, & sanctos inducat, lucem illam habetis, quæ animæ maculas omnes delet, & simul illi majorem splendorem ac pulchritudinem affert. Sed præsertim habetis in hac operatione divina quintam illam, de qua superiùs loquebamur, præro-

XLVII. Anima per pravos affectus maculatur, per bonos purificatur.

gativam, qua gratia est & vocatur participatio quædam Divinitatis; nam quomodo participatio Divinitatis non est, si operatio Divinitatis est, & hujusmodi quidem operatio, quæ nos quoque reddit Divinitatis participes per affectus pene divinos, quos in anima creat, inclinantes ipsam ad omne bonum? Nihil etenim tam clare, tam indubitate, quàm hæc sancta propensio, Deum in homine repræsentat. Hîc sisto linguam, ne breviloquium, quod spopondi vobis, Domini mei, pro multiloquio reputetur.

XLVIII. Decernitur posse animã sanctificari sine ope accidentis producti.

PHILALETHES. Potuisti addere multa, mi Rocchi, sine multiloquii vitio: ubi multa, si bene, nunquam: ubi pauca, si male, semper ibi est multiloquii vitium. Sed ad rem nostram quod interest, non diffitebor evanuisse jam omnino ab oculis meis necessitatem cujusvis entitatis accidentalis producendæ ad animam sanctificandam. Si tam facilè potest anima sanctificari per operationem divinam, si tam difficilè aut nullatenus per operationem entitatis creatæ, malo in tuam opinionem abire. Neque prorsus diffido te tandem in eam abiturum, mi Pazzi.

PAZZIUS. An tandem sim abiturus in eam nescio, Domine Philalethes: me tamen nunquam abiturum in eam arbitror, quia confido me reperturum aut in istis dialogis, aut in cæteris Magistri nostri operibus seu Philosophicis, seu Theologicis, quæ evolvere decrevi omnia, modum aliquem valde opportuniorem explicandi res istas omnes gratiarum atque virtutum per entitates accidentales productas. Inducias posco non majores, quàm tridui & restaurabitur inter nos pugna, mi Rocchi.

PHILALETHES. Gaudeo de pactis inter vos istis induciis: eram enim à vobis pariter petiturus, Domini mei, otia tridui. Abeamus.

DIALOGUS



DIALOGUS XX.

DE PRÆCELLENTIA ET SPE ATOMISMI.

Personæ Colloquentes.

ROCCHIUS, PHILALETHES.

ROCCHIUS. Nescio quid tandem erit, Domine Philalethes, de viro desideriorum nostrorum Pazzio. Gravissimo ab heri & nudius tertius dolore oculorum torquetur: accessit dolori largus fluor: invisi hoc mane illum, tuoque nomine salutavi. Aderat ophthalmicus peritus & reputat morbo inesse virus, fabrefactum, ait, in cerebro nimis incalefacto & arefacto per nocturnas vigilias. Vix crederes quàm ægre fero ac moleste hoc infortunium.

I. Proluditur ad agendum de præcellentia & spe Atomismi.

PHILALETHES. Non ægre minùs ac moleste fero illud, mi Rocchi; quamquam non timeo virus, quod ophthalmicus iste comminatur. Quis nostrûm, si morbus ille oculorum virus ullum haberet, non jamdiu periisset? An ullus spirat Philosophus, quem aliquando non invaserit intemperantia illa rabiesque lectionis nocturnæ? Hinc oculi offenduntur, incalescunt, lugent: quid inde? datur illis triduum aut quatriduum otii, & absque alio medicamine restaurantur. Quid igitur times? fortè hoc times, ne si æger, quod absit, hinc male pereat, reus homicidii habearis: nam revera tu es, qui nocturnas illas vigilias provocasti. Num recordaris interrogatum illum à te nuperrime fuisse de modo, quo explicari ab Aristotelicis possint.

per entitates accidentales productas illa omnia gratiarũ & virtutum ministeria, quæ tu quidẽ pro more atomistico explicueras independenter à quibuslibet hujusmodi accidentibus productis? Ille verò talem modum, quem in promptu non habuit, promisit se quæsiturum apud suos Authores, quorum nimia lectio in ophthalmiam versa est. Sed cum bona venia, Domine mi Rocchi, saltem in hoc inhumanus fuisti, quòd exegisti hoc promissum, quamquam sciebas eventurum esse, ut licet Aristotelicos omnes libros evolveret, nunquam inveniret quod quæreret. Sicne agendum cum amico fuit?

ROCCHIUS. Sic saltem agendum fuit cum Adversario, quem in amico fingebam; cæterùm si quæ in me culpa est, ibimus ad illum unà sub vesperam & me subjiciam ultioni. Sed quid interim agemus?

II. *Proponuntur duæ difficultates contra prædicta de gratia actuali & habituali.*

PHILALETHES. Hoc plane quod solemus, quoties ambo & soli sumus. Philosophabimur. Sede illic ex adverso & audi unam alteramque difficultatem, cujus solutionem à te requiro circa vestram illam expositionem gratiæ consistentis in operatione divina, sicut aiebas in postremo colloquio. Itaque *primò* divina operatio quæcunque illa est, Deus est: Deus autem gratia non est: & hæc difficultas perinde militat pro utraque gratia seu actuali, seu habituali, quia neutra Deus est; sed utraque à Deo est; & hinc probaretur utramque fore similiter aliquam entitatem productam. *Secundò* si gratia habitualis consisteret in operatione divina illustrante constanter animam, clare sequeretur parvulos baptizatos non esse participes gratiæ habitualis, quia nulla utique fruuntur illustratione, vel etiam transeunte: atque ita saltem pro explicanda gratia habituali, quæ est in parvulis, recurrere oportebit ad aliquam entitatem productam. Hæc certe tibi opponeret, mi Rocchi, Pazzius, si adesset; & haud dubie adderet videre se hoc in puncto fidem periclitantem propter vestrum Ato-

mismum, cui reciproce diceret fidem esse periculosam, & universam Theologiam generatim; quod utique tandem coactus fuit fateri Atomista ille suus collocutor his verbis, *Res est periculosa nobis Theologia.* Paulò antè dixerat alloquens Thomistam; *In praecedentibus nimium me tuis argumentis theologicis taedio affecisti: ego tamen nihil de proprio penu reponere ausus fui; sed tantummodò quae in nostrorum libris inveni, tibi opposui.* Quibus in verbis noster Pazzius exultaret: ô utinam adesset. Dial. 82. n. 691.

III. Unde ardor aliquis in nostris colloquiis exortus sit.

ROCCHIUS. Si adesset & exultaret in verbis istis, eniterer temperare illius exultationes ostendendo nullam hîc earum esse causam legitimam. Sed tum si adesset, & haec quae opposuisti opponeret, idem illi responderem quod tibi, nisi fortè quòd id responderem paulò ardentiùs, quia id haud dubie proposuisset paulò mordaciùs. Hominem novimus suavissimae, facillimae, amicissimae, tandemque optimae indolis, propter quam illum frequenter nuncupamus *bonum*; sed quia jugis illi ac frequens sermo est cum Aristotelicis rarò aliter, quàm amare de Atomismo nostro loquentibus, hinc accidit ut amaritudine aliqua saepe aspergat sua mecum colloquia. Ego verò per amaritudinem illam commoveor & ardeo vel invitus.

IV. Ratio non una est condonandi talem ardorem excitatum utrinque.

PHILALETHES. Decuit ardor ille vestra colloquia; elanguisset ingenii tui vigor, mi Rocchi, nisi Pazzius interdum illud Aristotelicis quibusdam aculeis pupugisset: caeterùm loquebatur ore suo minùs, quàm alieno: imo nihil contra tuam Sectam Atomisticam ab illo dictum audivi, quod non referret & citaret aut olim ex Gennaro, aut nunc ex Palanco. Quare nihil illi condonandum non est; quin etiam istis Aristotelicis Magistris omnino condonari oportet quidquid contumeliosum, aut asperum contra illam scripserunt. Invaduntur à vobis illorum Cathedrae: an tacebunt? An non viis, quibus poterunt, omnibus sua tueri jura enitentur? Sed hac digressione relic-

tâ solve mihi, si placet, duas difficultates, quas tibi ab initio proponebam. Tum verò rogabo te, ut, donec advenerit hora eundi ad amicum infirmum, edisseramus de summis causis, propter quas maxime arbitraris Atomismum Aristotelismo præcellere; & propter quas rursus confidis fore, ut ubique non post longa temporum intervalla prævaleat apud eruditos omnes. Hoc enim utrumque millies mihi privatim susurrasti ad aures; ego verò nihilominus hucusque fui spemque metumque interdubius hac de re.

V. Quare non sit utendum promiscue vocibus concretis & abstractis.

ROCCHIUS. Obtempero: tuaque illa prima difficultas illico evanescit, si tuæ reddis memoriæ rem toties inter nos observatam de plerisque difficultatibus philosophicis ac theologicis non aliunde ortum habentibus, quàm ex prava consuetudine utendi nimis promiscue ac sine delectu nunc concretis vocibus, nunc abstractis. Hinc enim accidit significata his vocibus correspondentia confundi: & hæc confusio materia est irremeabilium dissentionum. Ut in hoc casu tua difficultas hæc est. Gratia, inquis, non potest esse operatio divina; quia operatio divina Deus est; gratia verò Deus non est, sed à Deo est. Hìc enim, ut vides, confundis significatum unius vocis abstractæ cum significato alterius vocis concretæ; quum ais operationem divinam Deum esse, non attendendo ad hoc, quòd *operatio* vox abstracta est, *Deus* autem vox concreta est. Unde non est possibile, quòd utriusque hujus vocis sit unum & idem significatum, scilicet formale ac præcisum, & formaliter ac præcise correspondens utrique voci. Neque hoc mirum erit pro cæteris vocibus omnibus hinc concretis, hinc abstractis, quandoquidem hujus vocis *Deus*, quæ vox concreta est; & hujus vocis *Divinitas*, quæ vox abstracta est, non est unum atque idem formale ac præcisum significatum: aliàs enim quidquid de Divinitate prædicatur, posset prædicari de Deo, quod falsum est: uti falsum est, quòd Deus communicari potuerit tribus

Personis, licet *Divinitas* una & communis in illis sit.

Igitur operatio illa divina benefica, quam dixi gratiam esse, potest gratia esse, licet gratia in sensu formali ac praecisso Deus non sit, quandoquidem nec operatio illa ipsa divina Deus est in tali sensu formali atque praeciso, seu *reduplicativo*, ut multi loquuntur. Sed deinde alius sensus est, materialis scilicet & concretus, sive, ut plurimùm dicitur, *specificativus*, in quo ut Divinitas Deus est, ita Deus est omnis perfectio divina, & omnis operatio divina; & in quo proinde omnis gratia Deus est. Est itaque, Domine Philalethes, sensus unus verus, juxta quem gratia nostra à Deo est, sicut etiam spes nostra à Deo est, & gloria nostra à Deo est: item est sensus alius aeque verus, juxta quem Deus & gratia nostra, & spes nostra & gloria nostra est. Estne, Domine mi, satis idonea haec tuae illius prioris difficultatis solutio? VI. In quo sensu Deus sit, & in quo sensu non sit gratia.

PHILALETHES. Rarae sunt, mi Rocchi, solutiones, quae difficultatem omnem exhauriunt. Sed ne immoremur in difficultate minùs praecipua, transi ad posteriorem.

ROCCHIUS. Tam facilè solubilis est ista posterior, quàm illa prior. Tantùm attende ad id, quod quotidie in somnis accidit, nempe sensationes multas, quae revera fiunt in dormientibus, à dormientibus non adverti, uti quum vocantur, aut titillantur, &c. & ideo non adverti, quia sensuum internorum ligatio impedit sensationum externarum transmissionem illam, sine qua nihil adverti potest ab anima juxta observandas dependentiae reciprocae leges, quas disposuit Deus inter animam & corpus. Quem in modum potest aliquis, si apertis oculis dormierit, si lux admota fuerit, idonee affici à luce, & lucem nihilominus non videre. Transfero hanc experientiam ad animam, quam nimis frequenter accidit non intueri lucem ipsi admotam supernaturaliter à Deo, nempe ob id, quòd sensi- VII. Praemittitur posse sensum affici, quin tamen fiat sensatio.

bus sensiumque voluptatibus nimis affixa sit. Hinc nihil in sacris paginis frequentiùs consulitur, imo præcipitur animæ, quàm ut se à sensibus abstrahat, & attendat ad lucem, qua irradiatur divinitus: sicque in adultis oculi animæ ab illa divina luce multoties feriuntur, & anima illustratur, quin illustratio advertatur.

VIII. *Hinc patet modus, quo gratia sancti-ficans esse possit in parvulis baptizatis.*

Neque jam satis non intelligitur qualiter in parvulis baptizatis possit anima subire ac servare in se illam ipsam supernaturalis irradiantis luminis impressionem, licet illam non agnoscat; quandoquidem adulti sæpe illam recipiunt & non agnoscunt. Hoc autem inter utrosque discriminis est, quòd in adultis vitio vertitur & condemnationi, si non advertunt; aut si dum advertunt, non convertuntur: in parvulis autem vitiosa non est inadvertentia illa; & sic anima ipsorum splendet mirabiliter atque amabiliter in conspectu Dei: & hic splendor, quo sancte afficitur ad omne bonum, est ejus sanctitas seu effectus gratiæ habitualis ipsam continuò afficientis. Itaque jam vides, Domine Philalethes, gratiam habitualem in parvulis baptizatis.

PHILALETHES. Sed nunquid etiam videbo inutilitatem illius, quandiu audiam à te illam consistere in illuminatione, quam tales parvuli nec advertere, nec in ullum usum revocare possunt? Quare hinc saltem convenientiùs asseritur gratiam habitualem, quæ parvulis illis infunditur, esse aliquam entitatem productam & ab illa præmissa illuminatione distinctam.

IX. *Parvulis illis etiam in usu non esset ullo talis entitas gratiæ producta.*

ROCCHIUS. Quid ais, Domine mi? An igitur illi parvuli potiùs advertent & in usum aliquem revocabunt entitatem illam productam? Quare saltem hac ex parte non potest meliùs explicari sanctitas, quàm obtinuerunt per regenerationem baptismi. Tum entitatem illam nunquam advertent: illuminationem autem, quam aio, aliquando advertent; quando nempe per ætatem licuerit

juxta leges reciprocæ dependentiæ corporis ab anima & vicissim. Unde intelligitur quòd talis illuminatio non fuisset inutiliter communicata, sicuti non inutiliter infunderetur Philosophia homini dormienti, licet ad septennium dormituro, si post illud exactum recogniturus esset eruditionem suam & per illam Philosophice discursurus. Probasne, Domine Philalethes, hanc solutionem?

PHILALETHES. Satis illam probo, quia in Atomismum satis ac forsan nimis inclino. Quia enim Theologia nihil hujusmodi hucusque attulit in expositionem gratiæ habitualis, quæ omnino est eadem, & eodem modo in parvulis baptizatis, quo in adultis justificatis, recte infertur aut Atomismum esse periculosum Theologiæ, aut Theologiam esse periculosam Atomismo. At hoc alterum valde verisimilius est: & ideo Palancus summa cum æquitate ponit in ore sui Atomistæ verba hæc superiùs relata, *Res est periculosa nobis Theologia.* Nec dubitò quin hæc mea instantia placitura esset nostro Pazzio, si adesset. X. Dicitur rursus quòd Theologia sit periculosa Atomismo.

ROCCHIUS. Illi haud dubie placeret; sed non eapropter, salvâ pace, rationabilior esset. Mea mens est non posse quicquam periculi aut ex Theologia in Atomismum, aut ex Atomismo in Theologiam derivari; si fortè per Theologiam non intelligis Philosophiam Aristotelicam exponentem res theologicas, ut hactenus in Scholis Aristotelicis consueverunt exponi. Ego itaque, Domine Philalethes, per Theologiam intelligo scientiam discursivam de rebus divinis, quæ utique aut revelatæ sunt, & ita de fide sunt, aut ad revelationem, sive ad fidem aliqualiter referuntur.

Jam verò discursus illi omnes scientifici, quibus utimur ad res divinas, utut possumus, decernendas & explanandas, unde nisi ex philosophicis principiis eruuntur? Atque ita tantò verius quisque discurrit de rebus divinis, tantò veriùs decernit & explanat illas, quantò XI. Quantum conferat vera Philosophia ad res theologicas.

veriori Philosophia utitur. Quia enim *invisibilia* Dei *à creatura Mundi per ea, quæ facta sunt intellecta, conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus & Divinitas*, ut ait Apostolus, quomodo non erit magis idoneus ad invisibilia illa conspicienda is, qui hæc visibilia magis attente, magisque ingeniose conspexerit. Ab humanis rebus ad divinas nostra studia promoventur: hinc consequens est, ut supposito pro utrisque ingenio pari & labore pari cò plus in divinis unusquisque proficiat, quò plus in humanis profecerit. Et ut ad rem nostram loquar, hinc etiam in particulari consequens est, ut per clariorem notitiam rerum naturæ perveniatur ad clariorem notitiam rerum gratiæ, de quibus mihi toties cum Pazzio contentio fuit, & adhuc hodie tecum contenditur.

Ad Rom. 1. 20.

PHILALETHES. Sed hæc contentio tandem suas hìc metas habeat: & veniamus ad illam, quam olim toties, & nunc his tuis postremis verbis jactasti, præcellentiam Atomismi. Rem peto, ut arbitraris, non prolixe, sed compendiariò respondendam: quamvis illam mihi posses mille rationibus & mille aliis suadere, nolo nisi audire unam ex omnibus.

XII. *Atomistæ curiosiùs indagant causas effectuũ nauttaluim.*

ROCCHIUS. Non audies, ut jubes, Domine Philalethes, nisi unam ex omnibus; efficiam tamen ut audias omnes in hac una, quam afferam. Ecce itaque illud unicum simul ac totum, propter quod Philosophia atomistica præferri Aristotelicæ debeat; hæc nihil præter Philosophiæ nomen, illa præter nomen rem habet. Aristotelici Philosophiam à limine salutant; & inde audiunt nomina quædam abstracta causarum naturalium, suamque in abstracta ista nominum notitia eruditionem omnem constituunt. De cætero autem crederent stulto labore consumi, si causas illas naturales & naturales causalitatis earum modos curiosiùs indagarent. Atomistæ autem nunquam satis curiose putant indagasse causas & causalitates illas

illas naturales, nec unquam desinunt perscrutari quæcunquæ illa sunt abstrusissima Naturæ totius mysteria, pro causis naturalibus effectuum naturalium exponendis.

Hoc quod est venari cum sollicitudine propemodum infinita notitiam effectuum omnium & causarum naturalium, hoc est esse Philosophum: & hæc est Atomistarum sollicitudo, à qua longe absunt Aristotelici. Cæterum ita me Deus amet, ut ego per hæc aut similia judicia mea nolo esse illis injurius: hoc tantùm vellem ut hanc suam pro rebus physicis indiligentiam ad theologicas non transferrent. XIII. Et in hac indagatione cõsistit præcellentia nostræ Philosophiæ.

PHILALETHES. Retine te, mi Rocchi: quamvis enim olim inter nos confidenter aliquid de illa indiligentia dictum sit, non tamen approbo hanc tuorum contemptuum intemperantiam, si nihil de novo meditatus fuisti, quod à te vel invito illam extorqueat. Rogavi brevem rationem præcellentiæ, quam ubique ac semper adjudicas Atomismo: & ecce audio prologum, qui in immodicum modum luxuriat.

ROCCHIUS. Quid conquereris, Domine mi Philalethes? Prologus & epilogus simul est: quidquid mox dixi, exemplis pauculis firmabitur; & ecce absolvi.

PHILALETHES. Affer igitur hæc exempla.

ROCCHIUS. Nihil dicam, quod non noveris, & de quo apud me non obmurmuraveris olim, ut obmurmuro apud te hodie. Si quid in Philosophiæ Naturæ curiosum est, id maxime, quod pertinet ad operationes sensitivas, circa quas quid agunt Aristotelici? Supponunt in viventibus sensitivis facultates sensitivas, & in objectis sensibilibus qualitates sensibiles: utrasque in abstracto definiunt aut describuut; tum de illis facultatibus aiunt, quòd in suis respective organis subjectentur, & de qualitatibus illis dicunt, quòd per vicarias sui species ad sua respective organa transmittantur: & ecce suam de operatio- XIV. Aristotelici de sensationibus nihil, nisi valde perfunctorie philosophantur.

nibus sensitivis Philosophiam absolverunt. Cæterùm de partibus illis innumeris ac exilissimis & occultissime contextis, ex quibus illa organa componuntur, aut nihil omnino loquuntur, aut omnino parum & perfunctorie: modum autem naturalem, quo exilissimæ illæ partes organicæ possint affici, agitari aut adaperiri pro excipiendis aut transmittendis speciebus sensibilibus altissime ac constantissime silent: vel præsertim quia sic loquendum illis esset & de poris & de corpusculis, aut de similibus minutiis omnino apud illos exosis.

XV. Sic etiam circa nutritionem nihil curiose inquirunt: nihil etiam volunt inquiri.

Nutritur animal: & Atomistæ in perquirendo naturali modo hujus nutritionis quot anatomica experimenta non faciunt, quot ratiociniis non illa muniunt quomodo non persequuntur singulas alimentorum digestiones ac distributiones per totum corpus, & usque ad lanuginem omnem extremam corporis? Aristotelici autem supponunt corpus nutribile, & in eo facultatem nutritivam: ac tum quiescunt.

PHILALETHES. Hîc nihil improbo: sic optime abbreviant suam Physicam, impatientes Theologiæ, Nolunt esse in sua Physica Medici, aut Mathematici, & ideo universa, quæ Medicinam, aut Mathesim utcunque sapiunt, suis respective Professoribus deferunt. Quid hîc te torquet? An vis ut vel inviti Medici fiant aut Mathematici?

XVI. Quin etiam derident curiosas talium rerum disquisitiones.

ROCCHIUS. Id nolo, nam quæ sunt spiritûs, non coguntur. Sed vellem non contemni, non derideri ab illis Atomistas nostros, quando Physicam suam ampliant atque adornant multis tum ratiociniis, tum experimentis & medicis & mathematicis. Vellem non audire ab illis quod aiunt hanc omnem, quam ponimus in illis tot ratiociniis & tot experimentis sollicitudinem, vanam esse atque supervacuam, & imprimis valde imaginariam.

PHILALETHES. Ego verò si Authorem non affers, qui

hanc vestram sollicitudinem ita non spreverit, non credo.

ROCCHIUS. Author è cæteris unus, qui hanc sollicitudinem ita sprevit, Palancus est. Da licentiam legendi. Itaque sic loquitur inter monita suæ præfationis. *Non solum enim eas corporis partes, quas exactissima Anatomia detegere potest, adstruunt; sed illarum etiam particulas parvissimas usque ad atomos vel fere subtili imaginatione machinantur, illas propriis figuris praditas dicentes, penes quas apta vel inepta sint ad intromissionem & motum localem per diversas vias ac rimulas, quas etiam in corpore animato confingunt.* Et addit, *Et quod plus est, varios inter illas & continuos motus locales confingunt vel directos, vel obliquos.*

PHILALETHES. Hìc non laudabo Palancum, vel ob id unum quòd prætermisit laudare diligentiam vestræ speculationis supplentis impossibilitatem videndi & insensibilissimas partes, & insensibilissimas rimas & insensibilissimas motiones, quæ detegi per anatomiam, licet exactissimam, non possunt. Illa certe pertingere non potest ad exhibendam oculis nostris medullam nutritivam tenuissimi alicujus pili. Sed an eapropter deest illi pilo medulla sua, & proinde fistula interior, per quam alimentitius succus transmittitur? iste autem succus constat ex parvissimis utique particulis, quæ si moleculam suam, suæque moleculæ figuram non haberent proportionatam meatui fistulæ illius, quomodo transmitti per eam possent? XVII. Laudanda tamen est in Atomistis hæc diligentia.

ROCCHIUS. Prosequitur Palancus observationes diligentiæ nostræ his verbis. *Hinc etiam motus locales spirituum animalium, (quos corpuscula esse ponunt,) ad cerebrum confluentium & ab illo effluentium per nervos, fibras aut filamenta, in quibus nescio quas vias aut cavitates oblongas imaginantur, per quas illa corpuscula subtilissima eant & redeant motu locali, vel facilè, ubi aditus dilatantur; vel difficilè, ubi angustiantur, tanquam si nervuli aut* XVIII. Adhuc magis derident hanc diligentiam.

filamenta sint per modum fistulæ intus dilatabilis, vel angustiabilis localiter penes internam cavitatem. Simili modo exponunt spiritus vitales è corde promanantes . . . . . .

PHILALETHES. Sile cætera, mi Rocchi: jam enim satis intelligo vestras illas atomisticas, licet valde subtiles, licet eximiè curiosas, perquisitiones modorum connaturalium, quibus fieri oportuniùs nutritio possit, non placere Palanco. Visne adhuc ut illi placeant vel invito?

XIX. Gloriantur posse id totum explicare per solas formas.

ROCCHIUS. Sed tibi forsan vel invito displicebit quod addit. *Hac quidem omnia, non ingenti labore adhibito, refellere possem sigillatim & ostendere vitales animalesque functiones non per illos motus locales atomorum, sed per transmutationes vel substantiales, vel accidentales, per qualitates & virtutes activas ad tales alterationes destinatas, seu per varios actus & potentias activas & passivas exerceri.* An à primo verbo ad ultimum quidquid mox ultimò legi, non displicet?

PHILALETHES. Fateor hoc saltem displicere mihi, quòd cùm possit *non ingenti labore adhibito* vitales omnes & animales functiones exponere independenter ab omnibus illis vestris observationibus anatomicis, sine vestris ullis nervis, fibris, filamentis, sine ullis vestris corpusculis aut eorum meatibus, sine ulla figura & motione locali spirituum animalium, &c. adhibere tamen noluerit laborem illum non ingentem. Etenim vide quàm commoda esset expositio illa Medicis & Chirurgis: vide quot laboribus, quot sumptibus, quot jurgiis anatomicis parceretur; quando superfluum evaderet aut omnino, aut fere totum illud, quod hactenus circa intimiores & occultiores dispositiones organicas corporum animatorum fuit per anatomiam deprehensum.

XX. Si credimur Aristotelicis solæ virtutes

ROCCHIUS. At ego, Domine mi, si hoc unum tibi displicuit, facilè te placabo, vel sola repetitione textûs, quem ultimò legebam: nam hîc satis insinuavit func-

tiones omnes vitales & animales fieri per qualitates, virtutes, activas scilicet & passivas; sicque revera *non ingenti labore adhibito* modum omnem quo functiones illæ universæ possint fieri, revelavit. Et generatim in alimentis qualitas, virtus, potentia nutritionis: est in corpore qualitas, virtus, potentia nutribilitatis; sicque corpus nutritur. Et adhuc magis particulatim. Est in cibis qualitas, virtus, potentia digeribilitatis: est in stomacho qualitas, virtus, potentia digestionis: sicque cibi digeruntur. Cæterùm quòd digestio fiat per fermentationem, aut triturationem alimentorum in stomacho, nihil interest: erit enim in eo qualitas, virtus, potentia fermentatrix aut triturattrix, ut opus fuerit. Atque ita pro reliquis omnibus vitalibus & animalibus functionibus exercendis nunquam deerunt qualitates, virtutes, potentiæ, & activæ & passivæ ad illud exercitium requisitæ. activæ & passivæ ad hoc totum sufficiunt.

XXI. Sed tales virtutes apparent valde insufficientes ad præmissos effectus.

PHILALETHES. Vellem, Domine mi Rocchi, aliquid amplius: vixque puto Palancum non habuisse in conspectu aliquid amplius, quando jactabunde insinuavit posse se *non ingenti labore adhibito* evertere vestrum illud atomisticum systema de functionibus vitæ corporalis, & aliud nempe Aristotelicum ac conformius veritati statuere. Male illum interpretaris, quantùm conjicio.

ROCCHIUS. Salvâ pace arbitror etiam, quòd si adesset, non aliter interpretaretur se ipsum. Nam hæc & similia quæstionum naturalium compendia sunt passim apud Aristotelicos in usu: nullos vidi aut audivi aliquando, qui amarent in particulares ullas earum considerationes descendere. Habe hoc exemplum ex millibus. Ecce quando relicta compositione corporum naturalium metaphysicâ, scilicet *ex materia & forma*, sive, ut aiunt, *ex potentia & actu* veniunt vel inviti ad compositionem illorum verè physicam, quæ est mixtio elementaris, agnoscunt quatuor elementa vulgaria, ex quibus admittunt illa componi.

XXII. Tum apud Aristotelicos nihil auditur de prima cōpositione elementari.

Sed tum licet ad oculos pateat vulgaria ista quatuor elementa esse multùm impura, sive heterogenea; & ita non esse nisi quædam valde secundaria elementa ex multis aliis primariis secum permixtis coalescentia, nolunt de prioribus illis elementis quicquam audire. Malunt jurare nihil in ullis mixtis esse præter terræ, aquæ, aëris, ignis formas aut qualitates, aut virtutes aut potentias, activas scilicet & passivas. Malunt pro fabulis habere quidquid Chymici de suis aquis, spiritibus, oleis, salibus, capitibusque mortuis post mille ac millies repetitas experientias asseverant. Et quando id totum palpant, malunt id contra verisimilitudinem omnem ad novas generationes, quàm ad simplicioes extractiones ac dissolutiones referre. Atque hîc certe nescitur quomodò cum tali genere hominum convivatur. Negligunt rationes & parvi faciunt experientias istas Chymicas, quibus humana mens non possit adinvenire oportuniores simul atque promptiores pro determinandis universis naturalium rerum principiis.

XXIII. Insuper nolunt Philosophiam cum aliis scientiis permiscere.

PHILALETHES. Equidem, mi Rocchi, si de notitiis istis chymicis agitur, fateor vos Atomistas curiosiores ac sollicitiores esse Aristotelicis, quia per chymicas iteratas plurimorum mixtorum resolutiones magis acceditur ad heterogenea illa primaria corpuscula, & proinde indivisibilia, sive atoma, qualia contendiris esse prima rerum materialium universarum principia. Sed quid hinc proficitur ad rem tuam? Aient Aristotelici relinquere se istas chymicas considerationes & elaborationes Professoribus suis, sicuti Medicis, & Mathematicis sua theoremata & experimenta deserunt, ut antè aiebam, ex professo tractanda: sicque religiose suos se intra limites retinent. Num oportet scientias singulas suis seorsim privatis limitibus circumscribi?

XXIV. Scientiæ ad

ROCCHIUS. Sed, ut nosti, Domine Philalethes; circumscriptio ista non impedit quominùs se complectan-

tur, aut etiam quominùs aliæ apud alias hospitentur. Hinc nulla est, quæ ad suum illustre ac nobile complementum non indigeat primis saltem quibusdam irradiationibus aliarum. Sicuti singularum scientiarum partes reciproco egent commercio, ita scientiæ omnes summatim se mutuò juvant atque illustrant: an erit aliquis sine Metaphysica summus Logicus, an summus sine Physica Metaphysicus, & vicissim? An summe callere quis potest sine Arithmetica Geometriam, aut sine Geometria Gnomonicam & vicissim? Ita nemo in rebus Philosophicis unquam fulgebit, si nihil luminis à Medicina, vel à Mathesi mutuabitur, prout materiarum connexio id postulabit.

suum complementum indigent aliæ aliis.

Atque hîc habes, si bene advertis, Domine Philalethes, causam potissimam, in qua potui hactenus stabilire jactantiam meam de præcellentia nostri Atomismi: Deo enim sic volente pauci ex Philosophis Atomistis Scriptores sunt, qui suas præsertim opiniones physicas non communiant atque illustrent, quando & quoties opus est, subsidio plurimarum scientiarum & artium, quibus ad id studiose incumbunt: atque in hunc modum Philosophia atomistica est veluti quædam omnium scientiarum, quæ possunt illi subservire, collectio. Quare sic satis respondi ad illud primum quod rogabas, in quo Philosophia nostra præcellat Aristotelicæ: superest ut respondeam ad illud alterum quod rogasti, videlicet in quo etiam mihi sit posita spes ad aures tuas, ut ais, privatim toties susurrata, qua confido fore, ut aliquando prævaleat & regnet in Scholis & Academiis.

XXV. Et in hunc modum Philosophia atomistica excellit super Aristotelicá.

PHILALETHES. Equidem, mi Rocchi, hæc est recentiorum Atomistarum consuetudo, ut suos adornent libros & dictionis cultu, & ordinis delectu, & multo schematum apparatu, quem ex aliis scientiis ac præsertim ex Mathesi suffurantur. Sed quid inde? Si prævalere sola veritas potest, ad quid illorum hanc extraneam & emendi-

XXVI. Opponitur solam veritatem prævalere.

catam præstantiam affers velut in præsagium & spem Atomismi vestri tandem prævalituri? Nihil hîc video quod in te potuerit spem talis eventûs legitimam parturire. Sed tum si sola veritas est, in qua confidis, perges de veritate ista contendere cum Pazzio, si volueris, cum revaluerit: mihi autem de illa tecum nihil hîc contendetur, ne in personam partis adversæ mutem personam arbitri. Quare jam abeamus domo ad invisendum amicum.

XXVII. *Hæc spes proxima est & fundatur primò in verbis Gennari.*

ROCCHIUS. Sed non antè tamen, si placet, Domine mi, quàm audieris pauca quædam adhuc à me dicenda de hac spe mea. Forsan putasti loqui me velle de spe remota; quasi tantùm post multa tempora evenire possit, ut Atomismi nostri veritas pateat. Interpretari potuisti spem proximam. Hanc in me peperit jam sunt decem anni Gennarus Dominicanus quando in proludio dogmatici sui opusculi adversùs atomos redivivas confessus est hanc nostram atomisticam doctrinam *in agro Ecclesiæ iterum disseminatam ita in dies inolescere, ut non sit locus, in quo eam radices figentem & paulatim subrepentem* non inveniret. Aiebat adhuc quòd *in aliquibus Seminariis publice promovetur; imo in quibusdam Galliæ & Italiæ protometropolitanis Urbibus sustinetur.* Vide quàm proxima sit spes Atomismi non longa post temporum spatia regnaturi.

XXVIII. *Hanc etiam secundò confirmat Palancus suis his verbis. In præf.*

Sed tum hanc spem mihi valde proximiorem fecit nunc nuperrime noster Palancus, quando per ipsum intellexi rationem, qua permotus fuit ad scribendum adversùs Atomistas, hanc esse quòd *illius Philosophia recentis fama paulatim percrebrescens, etiam in Hispaniarum animos & Academias . . . . . , . aditum sibi*, nesciente se *quibus agentibus, sollicitabat; jamque aliquos Physicos & Politicos ita sibi devinxerat, ut in illius plausum & immodicas laudes non semel* audiisset *nonnullos prorumpentes.* Istæ laudes, illi plausus mirum in modum instant atque inflammant spem meam: ac tum ineluctabiliter illam obfirmant tot

nobilium

nobilium ingeniorum, tot Collegiorum & Academiarum ex Italia, ex Hispania, ex Gallia in atomismum confertim defluentium tam unanimes consensiones.

PHILALETHES. Bene est, Domine mi Rocchi, satis firma posset esse hinc spes tua, nisi quo tempore surgit Atomismus supra orbis literarii horizontem, irrueret desuper Aristotelismus, ad illum retrudendum in tenebras prioris oblivionis. Ecce Maignanum Tuum rigidi Atomismi Authorem, aut Restauratorem oppugnant in Gallia Raynaudus, in Italia Gennarus, in Hispania Palancus. Quid hîc non potiùs metuas, quàm confidas? An tribus prævalebit unus, quando nec Hercules contra duos? XXIX. Sed isti spei obstat quòd Atomismus valde impugnatur.


ROCCHIUS. Sed tu, Domine mi Philalethes, sicne igitur putas Atomistas, de quibus aiebam, esse animi calamique inertis, ubi pro Maignano audendum & scribendum est. Habemus è nostris in Gallia, ut Extraneos taceam, Salierios & Poyrierios, quos opponamus Raynaudo: in Italia Ursayas & Isidoros, qui manus conserant cum Gennaro. Ac tum in Hispania si Palancus, unus è Nostris, insurrexit nuper contra Maignanum, assurrexit alter illico nec impar pro tuitione Maignani contra Palancum: Is est R. P. Joannes de Naxera, cujus eruditionem Maignanisticam ita suspexi, ut vix debeam computare me: quasi unum, qui aliquando ausus fuerim, aut deinceps ausurus sim scribere* pro Maignano. XXX. Nec tamen obstat quia validius propugnatur.

PHILALETHES. Numquam, credo, absisteres, si vellem te audire, mi Rocchi: an non vides diem ruere in præceps: discedamus & properemus ad Pazzium, in cujus conspectu hoc imprimis cave, ne de præcellentia & spe tui Atomismi quicquam loquaris. XXXI. Itur ad Pazzium, & hi dialogi finiuntur.

ROCCHIUS. Sed neque absistam loqui, Domine Philalethes, donec dixeris an in utramque admittendam tandem inclines.

PHILALETHES. Inclino; Sed adhuc cautiùs vide, mi Rocchi, ne hoc illi renunties, donec redierit ei claritas oculorum.

FINIS.





INDEX

ALPHABETICUS.

RERUM MAGIS NOTABILIUM IN HOC opere contentarum. Prima litera quæ eſt *p* indicat paginam, & ſecunda quæ eſt *n* deſignat numerum.

Abſtractio. Abſtractum. Vide *Forma.*

Accidens. Vide *ſubſtantia. Subjectum. Res.*

Actio. Agens. Vide *Deus.*

Angelus. Vide. *Simplicitas. Compositio.*

Anima. Vide. *Simplicitas. Gratia.*

Qualiter

Apparentia. Vide. *Species. Similitudo.*

Aqua. Vide. *Rarefactio.*

Aristoteles. Aristotelici. Vide. *Atomista.*

Atomus. Atomistæ. Vide. *Creatio.*

Calor. Vide. *Rarefactio.*

Causa. Vide. *Forma.*

Compositio. Vide. *Angelus. Anima. Atomus.*

Conceptus. Vide. *Res.*

Concilia. Vide. *Species. Accidentia. Forma.*

Concretum. Vide. *Abstractum. Forma.*

Consequentia. Vide. *Principium.*

Corpus. Corpuscula. Vide. *Pori.*

Creatio. Vide. *Atomus.*

Demonstratio. Vide. *Atomus.*

Deus. Vide. *Gratia. Accidens Simplicitas.*

Dialogus. Vide. *Palancus.*

Doctrina. Vide. *Philosophia.*

Donum. Vide. *Gratia.*

Duratio. Vide. *Accidens.*

Elementum. Vide. *Atomus.*

Ens. Essentia. Vide. *Res.*

Eucharistia. Vide. *Species. Accidens.*

Figura. Vide. *Atomus.*

Forma. Vide. *Materia.*

GRATIA.

Ignis. Vide. *Porus.*

Immutabilitas. Vide. *Deus.*

Lapis. Vide. *Vita.*

Maignanus. Vide. *Atomista.*

Materia. Vide. *Atomus.*

Metaphysica. Vide. *Abstractum.*

Motus. Vide. *Atomus. Accidens.*

Palancus. Vide. *Aristoteles.*

Panis Eucharisticus.

Pars. Vide. *Atomus.*

Perfectio. Vide. *Materia.*

Philosophia. Philosophi.

Porus. Vide. *Ignis. Rarefactio.*

Productio. Vide. *Materia.*

Pulvis tormentarius. Vide. *Rarefactio.*

Quantitas. Vide. *Accidens.*

Res. Vide. *Conceptus. Forma.*

Rarefactio. Vide. *Quantitas.*

Sanctitas. Vide. Gratia. Anima.

Similitudo. Vide. Gratia.

Simplicitas. Vide. Compositio.

Species. Vide. Accidens. Eucharistia.

Spongia.

VVicleffus. Vide. *Aristotelistæ.*

Vita. Vide. *Anima. Corpus.*

Vulgus. Vide. *Philosophi.*

FINIS.

ERRATA.

Condona, si placet, Lector, Errata Typographica, quæ irrepserunt, & ea sic corrige. Lege pag. 12. l. 27. intermissiones. p. 26. l. 26. inulti. p. 37. l. 14. Deinde verò licet præfatus. p. 140. l. 23. intextum. p. 141. l. 18. sinu. p. 200. l. 5. ponimus. p. 230. l. 15. exilissima. p. 260. l. 20. confirmavit. p. 285. l. 7. ferit p. 337. l. 10. rogavi. p. 381. l. 3. ad. p. 399. l. 20. quid de hoc Rocchii. p. 402. l. 9. eruditionis. p. 450. l. 26. jocose. p. 482. l. 32. duæ. p. 488. l. 13. neque. Cætera, quæ leviora sunt, Deo volente, sensum nec occultant, nec mutant: quare inemendata relinquo.

